PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXI / FASC. I
15 FEBR. / 1942

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1942

23700

FASCICULI INDEX ANALYTICUS

Nota. *Periodica edentur hoc anno quater, sc. mensibus februario, aprili, iunio et novembri.*

I - Dissertationes et quaesita varia

Pag.

De viro ut subiecto unico validae ordinationis sacrae, F. HÜRTH, S. I. 5

Quo vertitur probabilismus?, U. LÓPEZ, S. I. 12

De laudibus carolinis, I. M. HANSSENS S. I. 31

II - Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XII

1 - Allocutio natalitia de novo ordine 54

Annotationes, PH. AGUIRRE S. I. . . . 61

5 - Acta summatim relata 99

SS. CC. de Religiosis et de Seminariis et Univ. stud.

2 - Decretum, 25 iulii 1941, de alumnis admittendis in Seminarium vel in Familiam religiosam . . 73

Annotationes, J. CREUSEN S. I. 74

S. Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis

3 - Indultum, 19 decembr. 1941, circa legem de ieiunio et abstinentia 82

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXI / FASC. I
15 FEBR. / 1942

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1942

V. 31
1942

IMPRIMI POTEST

Romae, 20 febr. 1942

P. Emmanuel Porta
Praep. prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Romae, 21 febr. 1942

† Aloysius Traglia
Archiep. Caesariens. Vic. Ger.

ROMAE - TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

De viro ut subiecto unico validae ordinationis sacrae.

1. De subiecto sacrae ordinationis statuitur canone 968 haec norma: « *Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus* ». Haec norma effert *ius divinum*, non vero ius mere eclesiasticum.

Hinc persona quae non est vir, *ex iure divino est incapax validae ordinationis* [1]; persona de cuius sexu virili dubitatur, est *dubie capax validae ordinationis*, ideoque, manente dubio, ab ordinibus suscipiendis arceri, et, si ordines iam suscepit, ab eorum exercitio removeri debet, ne fideles ex administratione sacramentorum dubie valida periculo gravis damni exponantur. Valet ergo de ordine sacro suscipiendo et exercendo aliud principium atque de matrimonio ineundo et utendo.

Quoad matrimonium in casu capacitatis dubiae, sive agatur de dubio iuris sive de dubio facti, matrimonium non est impediendum; habet enim homo ab ipsa natura indubium ius ad matrimonium ineundum et utendum. Ideo a matrimonio ineundo et utendo arceri non potest, nisi certo probetur

---

[1] De *muliere* tamquam subiecto ordinationis sacrae, necnon de quibusdam factis historicis explicandis inspiciantur probati auctores, e. gr.: *S. Many*, De sacra ordinatione, pg. 184 sq., n. 73-75 (Parisiis 1905); *Wernz*, Ius Decretalium, tom. II, pg. 184 sq., n. 80; *Gasparri*, De sacra ordinatione, n. 125 (Parisiis 1893); *Richter, Aem., Lud.*, Canones et Decreta Concilii Tridentini, etc., pg. 421, Nota 4 (Lipsiae 1833), ubi etiam amplus veterum auctorum catalogus invenitur, qui de hac re scripserunt.

ad hoc incapax. E contra in casu capacitatis dubiae ad ordinem sacrum (sive suscipiendum, sive exercendum) susceptio et exercitium ordinis positive impediri debet, cum ex una parte grave damnum boni communis et personae tertiae immineat, et ex altera parte nullum in candidato sit « *ius ad ordinem sacrum* », neque ex iure naturae neque ex iure positivo sive divino sive ecclesiastico.

2. Incertitudo sexus haberi potest in casu *hermaphroditismi*; quo qui afficitur criteria somatica typice sexualia (plura vel pauciora) utriusque sexus exhibet. « *Criteria sexualia* » intelliguntur criteria, quibus sexus vel tantummodo manifestatur (criteria mere manifestativa) vel etiam tamquam elementis constitutivis constituitur (criteria simul manifestativa et constitutiva). Praescindendo a quaestione, unde prima in organismo efformando determinatio sexus habeatur, in organismo quoad sexum iam efformato, *criterium sexus essentiale et radicale* (manifestativum et constitutivum) secundum hodiernam scientiam medicam *unice constituitur* glandulis germinativis, idest testiculis aut ovariis. Omnia alia criteria typice sexualia, tam psychica quam somatica (ad quae pertinent etiam alia organa apparatus sexualis interna et externa), in quantum contradistinguuntur a glandulis germinativis, habentur *criteria secundaria;* in quorum efformationem et evolutionem glandulae germinativae haud parum influunt.

Unde efficitur, ut persona aliqua dici possit ac debeat esse « *sexus determinati* », si criterio radicali et essentiali, idest glandulis germinativis, a natura habet essentialem determinationem sexus *ad unum* seu *essentialiter univocam*. E contra qui talem determinationem « ad unum » non habet, est « sexus incerti », seu non est « *vir simpliciter dictus* » neque « *femina simpliciter dicta* ».

Qui vero a natura habet illam *essentialem* sexus determinationem ad unum, sed simul, quod ad criteria secundaria (maxime quod ad apparatum sexualem externum) attinet, alterius quoque sexus criteria quaedam prae se fert,

non quidem est neque dici potest « *sexus incerti* »; attamen est *minus perfecte individuum sui sexus*, seu non est « *vir sensu pleno* » aut « *femina sensu pleno* ».

3. His positis, facile perspicitur, quid intellegatur « *hermaphroditismus verus* » et « *hermaphroditismus falsus* » (seu « *pseudohermaphroditismus* »).

a) *Hermaphroditismus verus* consistit in coexsistentia glandularum germinativarum utriusque sexus in eodem subiecto. A plurimis theologis usque ad recentissima tempora exsistentia hermaphroditismi veri negata est; at ultimis decenniis nonnulli casus publicati et a peritis medicis examinati agnitique sunt, quibus exsistentia veri hermaphroditismi evincitur; licet omnes concedant eum rarissime inveniri. De variis formis huius hermaphroditismi plura dicenda non sunt, cum res exclusive spectet ad medicos et biologos; iuvat tamen notari vix unquam inveniri « hermaphroditos veros », in quibus utriusque sexus glandula germinativa sit anatomice et physiologice, etiam quoad functiones typicas, perfecte evoluta.

Accidere potest, ut a non sufficienter peritis hermaphroditismus verus asseratur, ubi non est; sed etiam ut, ubi revera est, erronee negetur et pro pseudohermaphroditismo habeatur. Diagnosis enim absolute certa quoad personam vivam saepe est impossibilis; exigeret dissectionem corporis et glandularum exstirpationem, ut generale et plene sufficiens examen peragi posset.

Hermaphroditismus verus dicit veram et proprie dictam *deformitatem*, immo quandam monstruositatem; minime autem peculiarem quandam perfectionem, quae cumulative potentias ac praerogativas utriusque sexus denotet.

Hermaphroditus verus (secundum ea quae supra exposita sunt), non est neque vocari potest « vir simpliciter dictus », sed haberi debet persona *incerti sexus;* quia non habet a natura essentialem sexus determinationem *ad unum* seu *essentialiter univocam*.

4. b) *Hermaphroditismus falsus* seu pseudohermaphro-

ditismus consistit in coexsistentia criterii essentialis non nisi unius sexus cum secundariis criteriis organisque typice sexualibus (uno vel pluribus) alterius sexus in eodem subiecto. Haec secundaria organa atque criteria alterius sexus possunt esse organa interna (varii canales deferentes), vel organa externa (apparatus externus sexualis) vel et interna et externa; in primo casu loquuntur de *pseudoherm. interno*, in secundo casu de *externo*, in tertio de *completo*. — Criterium essentiale in his casibus designatur terminis « masculini » vel « feminini »; hinc *pseudohermaphroditismus masculinus externus* dicitur de subiecto quod glandulis germinativis a natura univoce designatur vir, simul tamen exhibet quoad apparatum sexualem externum quasdam proprietates feminae. At hi termini non ab omnibus medicis eodem sensu adhibentur et ab aliquibus habentur pro quadamtenus ambiguis; ideo proposuerunt ad significandum individuum tale, quale modo descriptum est, terminum « *androgynoidae* »; et correspondenter ad designandam personam, quae ex glandulis germinativis est univoce femina, habens tamen criteria secundaria (somatica) viri, terminum « *gynandroidae* ». Huius diversitatis in usu terminorum omnino ratio habenda est, si quando theologo contingit, ut in casu particulari de voto medicali peritorum iudicium ferre indeque conclusiones practicas deducere debeat.

Pseudohermaphroditismus non raro occurrit; frequentius in viris, quam in feminis.

Significat veram anomaliam et deformitatem, et qui eo afficitur, non est « *vir sensu pleno* », respective « *femina sensu pleno* ».

Non solum hermaphroditi veri, sed etiam pseudohermaphroditi saepe exhibent praeter anomaliam, quae ipso hoc nomine designatur, alios defectus, plus minus graves: morphologicos, biochimicos, functionales, psychicos; praesertim haud raro in iis inveniuntur inclinationes sexuales abnormes et pathologicae.

5. Ut clarius eorum, quae dicta sunt, *pondus et momentum* pateat, iuvat ex pluribus unum afferre casum particularem:

« X, brevi post ortum patre privatus, a prima infantia a matre didicit: se aliquid pueri et aliquid puellae habere, ideoque se caute cum aliis agere debere. Interrogato medico, mater infantem fecit educari tamquam puerum inter pueros, cum hoc secundum judicium medici infanti esset magis utile. Post annos pubertatis filium paulatim et caute edocuit: eum numquam cogitare debere de matrimonio ineundo; neque tamen hoc aegre ferendum esse, cum multi, et inter eos vel optimi ingenio et moribus, a matrimonio abstinerent, alii quia nollent, alii quia non valerent contrahere. Parochus, quem mater de omnibus edocuit, eam in educando filio pro posse iuvabat. X. optimi fuit ingenii, studia gymnasialia facile et cum laude absolvit; integritate morum ac pietate sincera inter aequales excelluit; at in agendo cum aliis singularem quandam animi timiditatem ostendit. Finitis studiis gymnasialibus, sponte sua (neque a parocho neque a matre ullo modo inductus) statuit studio theologico se dare et sacerdos fieri. Mater de hoc filii consilio anxia fuit, sed parochus iussit eam acquiescere, cum medicus suo tempore filium examinasset eumque tamquam puerum inter pueros educandum dixisset; insuper matri promisit se optima de filii indole et moribus testimonia ad Ordinarium loci daturum esse. At non obstante hoc parochi responso, mater a suo Confessario, quem de filii intentione et de propriis dubiis etiam interpellavit, gravem repulsam passa et sub denegata absolutione obligata est, ut cum plena sinceritate rem totam Ordinario exponeret eiusque iudicio staret. Parochus vero, ad quem mater perturbata statim refugit, eam acquietare studuit dicendo: decisionem confessarii esse iniustam atque erroneam, cum tale quid nulla lege divina vel ecclesiastica exigeretur vel comprobaretur ».

Casus, prout sonat, non permittit iudicium, utrum agatur de hermaphroditismo vero, an de pseudohermaphroditismo; et si alterum: utrum de pseudohermaphroditismo masculino vel feminino (de « androgynoida », an de « gynandroida »); at ex iis, quae narrantur, sufficienter apparet: huiusmodi casus non posse obiter et leviter expediri.

6. Quod si nunc quaeritur, an hermaphroditi ad sacros

ordines admitti possint, in quolibet casu ante omnia « *quaestio facti* » per medicum vere peritum ex mandato Ordinarii examinanda et pro posse solvenda est. Medicus votum suum, exposito « *statu facti* » et *additis rationibus*, cur ita et non aliter iudicet, ad Ordinarium mittat eique, si quae ulteriora interroganda restant, respondeat.

7. Dein, diagnosi medica facta, si certo agitur de *hermaphroditismo vero*, candidatus ab ordine sacro arcendus est. Est enim subiectum *dubie capax* validae ordinationis (cf. supra n. 1), et non licet fideles exponere periculo invalidae administrationis sacramentorum. Idem dici debet, si quidem non *certo* constat de « herm. vero », sed *dubium positivum et grave* de tali anomalia habetur; ratio est eadem, scl. grave damnum fidelium, quod timeri debet. Neque valet argumentum a pari, desumptum ex iure ad matrimonium, quod ius in casu dubii matrimonium impedire vetat, (cf. quod de hac re in eodem n. 1 expositum est).

Quando haec anomalia detegitur in subiecto iam ordinato, ob easdem rationes talis homo ab exercitio sacri ordinis removendus est, et expedit, ut per competentem auctoritatem ecclesiasticam (idest S. Sedem) ad statum laicalem reducatur, solutis obligationibus et oneribus, Ordinibus Maioribus adnexis.

8. Si ex diagnosi medica constat de *pseudohermaphroditismo*, distingui debet, utrum agatur de *viro*, insignito criteriis secundariis feminae (« androgynoida »), an de *femina*, insignita criteriis secundariis viri (« gynandroida »).

In casu *gynandroidae* subiectum, utpote omnino incapax validae ordinationis, a sacro ordine suscipiendo absolute impediendum est, et a quolibet exercitio ordinis, forte (invalide) iam suscepti, sine mora arceri debet. — Accedat oportet pro foro externo sententia qua declaretur: nullas adesse obligationes ordinis sacri, et respectivum subiectum pertinere in omnibus ad statum laicalem. (*N. B.* De *dispensatione* ab oneribus ordinis sacri et de *reductione* ad statum laicalem in tali casu sermo esse non

potest, quia subiectum numquam pertinuit ad statum clericalem, neque umquam, quia certo invalide ordinatum, contraxit obligationes ordinis sacri.)

9. Etiam in casu « *androgynoidae* » seu viri, insigniti criteriis secundariis feminae, candidatus ab ordine sacro suscipiendo arcendus videtur, etsi est validae ordinationis capax. Ad eum a susceptione ordinis repellendum invocari forte non potest canon 984 n. 2, vi cuius sunt « *irregulares ex defectu: corpore vitiati qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant* ». At cum experientia teste in huiusmodi individuis frequenter graves anomaliae, maxime psychicae (quod vitam intellectualem, aequilibrium sanitatemque iudicii, quod sanitatem et rectitudinem vitae affectivae spectat) occurrant, et cum nemo provocare valeat ad naturale quoddam aut lege positiva concessum sibi ius ad sacros ordines: magis expedire videtur ad bonum commune Ecclesiae, ut huiusmodi viri a sacra ordinatione arceantur. — Si vero iam ordinati sunt, in casibus particularibus videndum est, quid magis expediat. Si nullae graves anomaliae adsunt et defectus somaticus sexus non innotuit, generatim nihil faciendum, sed res neglegenda est. Si vero anomaliae graves observantur, aut si affectio hermaphroditica pluribus innotuit indeque vilipensio personae, immo et status sacerdotalis orta est: saepe magis expedit, ut sacerdos ab exercitio ordinis sacri arceatur et pro rerum condicionibus e statu clericali secedat, manentibus vel exstinctis secundum S. Sedis decisionem sacri ordinis obligationibus. Sed pro his casibus norma generalis statui non potest; potius recurrendum erit in singulis casibus ad competentem auctoritatem ecclesiasticam (idest ad S. Sedem), ut ipsa statuat, quid sit magis conveniens.

10. De hermaphrodito, tq. subiecto ordinationis sacrae, quid iudicari et agi debeat, his regulis comprehendi potest:

1°. In casu *positivi et gravis dubii de sexu virili* fiat inquisitio per medicum, vere peritum et ab Ordinario de-

mandatum, qui ad ipsum Ordinarium votum suum mittat, iuramento firmatum.

2°. In casu *hermaphroditismi veri*, sive de eo certo constet, sive tantummodo positivum et grave de eo dubium habeatur; item in casu *pseudohermaphroditismi feminei* (seu feminae, quae criteriis secundariis viri insignitur): *sacra ordinatio omnino deneganda est.* Et si agitur de subiecto iam ordinato, illud *ab exercitio ordinis sacri arceri debet*, (petita et addita *Sanctae Sedis* declaratione: respectivam personam pertinere ad statum laicalem et nullis obligationibus ordinis sacri teneri).

3°. Non expedit *pseudohermaphroditum virilem* seu virum insignitum criteriis secundariis femininis (« androgynoidam »), ordine sacro ornare; ideo ab eo ordinando practice semper abstinendum est. — Si iam ordinatus est, et graves in eo anomaliae observantur, recurratur in singulis casibus et exquiratur a S. Sede, quomodo procedendum sit.

11. *Ex explicita interpellatione debito loco facta certo scimus: quae tribus his regulis continentur exhibere mentem ipsius Sanctae Sedis, quae omni qua potest diligentia securitati et dignitati muneris sacerdotalis providere intendit.*

F. Hürth S. I.

Quo vertitur probabilismus?

1. Qui sine praeiudicio scriptores de Theologia morali diligenter perlustraverit, atque attente partem specialem, in qua normae particulares, pro actionibus humanis, traduntur, inspexerit, vehementer mirabitur in lectione aliquorum scriptorum qui de usu opinionum probabilium recenter agunt.

Dum enim in tractatibus sicut et in praxi ministerii pastoralis, parvam inveniet discrepantiam auctorum in proponendis normis et criteriis moralibus: si illos scriptores

audiat, magnum quoddam chaos, periculis plenum regnare crederet in theologia morali, illudque totum uno systemati probabilismo, tribuendum.

Sunt quidem, in theologia morali excolenda et proponenda, quae corrigantur aut perpoliantur. At, si hos auctores legas id obtineri non posse intelliges donec ex scholis probabilismi semina non exterminentur.

Fatendum quidem est controversiam circa probabilismum, saeculo XVII vertente, incoepta, non parum contulisse ad theologiam moralem deiciendam. Per illam controversiam animi ita praeoccupati sunt ut multis nihil melius se facturos videretur quam totos se convertere ad quaestionem dilucidandam. Tunc apparere coeperunt tractatus qui sic inscribebantur: « *Fundamentum Theologiae moralis*, id est *Tractatus theologicus de recto usu opinionum probabilium* » [1]. At si historiam inspiciamus hoc minime probabilismo aut probabilistis tribui potest.

2. In primis, Auctores classici a Medina O. P. ad Ioannem a S. Thoma O. P., qui primo in tractatu de conscientia solutionem probabilismi proposuerunt, breviter et sobrie quaestionem agitant, atque mira concordia, eodem modo, quamvis ad diversas scholas theologicas pertineant, eam solvunt.

Et merito quidem. Deo sic providente, maxime per Revelationem christianam veritates morales quae vitam hominis dirigunt, et perspicuae satis in se sunt, et clare hominibus generatim apparent. Probabilismus autem locum habet tantum in casu in quo, omnibus adhibitis mediis ad veritatem investigandam, nonnisi ad dubium vel ad opinionem perventum est, quae *per se*, non sufficiunt ad certam conscientiam inducendam.

Quare multum videtur mitiganda assertio *P. Ter Haar* C. SS. R.: « *frequentissime* accidit ut, etiamsi debita ad-

[1] Auctore P. Thyrso Gonzalez S. I., probabilismi acerrimus impugnator.

hibita sit diligentia, irritus sit huius investigationis effectus, ita ut veritas certo ac liquido non pateat »[2].

3. Praeterea, valde notandum est, in praesenti studiorum theologicorum instauratione, ad Theologiam moralem quod attinet, pro dignitate et necessitatibus temporum excolendam non minoris momenti fuisse labores auctorum, qui omnino probabilismum tuentur, quam aliorum. Pauca nomina invocare sufficiat. *Lehmkhul*[3], *Ballerini-Palmieri*[4], *Vermeersch*[5], magnopere operam dederunt ad quaestiones morales scientifice agitandas, et ad perfectionem christianam animis inculcandam.

Demum si quid adhuc manet faciendum, et revera manet, id quod desideratur: scilicet, ut Theologia moralis magis informetur veritatibus christologicis[6], ut consequenter non modo quodam negativo sed positivo et constructivo proponatur[7], ut consideratio habeatur conditionis socialis hominis viventis ut membrum societatis tum ecclesiasticae tum civilis[8], ut problemata socialia, politica, psychologica, professionis intimius a moralistis perspiciantur, et alia eiusmodi, numquid a probabilismo pendet? Immo ut id quod sentio aperte proferam: dum longiores dissertationes adversus probabilismum evolvo, non possum non timere ne haec studia ad nihil aliud conferant quam ad animum ab his maioris momenti quaestionibus considerandis evertendum, novam lucem tamen afferendo nullam.

4. Has notas conscribendo in votis tantum habemus con-

---

[2] De triplici statu post indagatam veritatem iuxta doctrinam S. Thomae, *Angelicum*, XVIII (1941), pag. 6.

[3] Theologia moralis.

[4] Opus Theologicum morale.

[5] Theol. Moralis - Quaestiones de Iustitia etc. Cf. Miscellanea Vermeersch, vol. II pag. 371 et seq.

[6] *Mersch S. J.*, Morale et Corps Mystique, 1937, *Tillmann*, Hand. d. kath. Moraltheologie.

[7] *Vermeersch*, Cinquant'anni di Teologia morale, Scuola Cattolica, 1930, pag. 276.

[8] *G. Thils*, Tendances actuelles en Theol. morale (Zembloux, 1940).

fusiones quasdam circa probabilismum, recentissimis scriptis contentas, pro viribus, dissipare [9].

R. P. Ter Haar (art. cit.) innixus praesupposito « ad legis obligationem directe sufficere illam... certitudinem moralem latam et imperfectam... (pag. 10) statuit, hanc certitudinem tolli tantum per dubium stricte tale, quando scilicet pro utraque parte occurrunt rationes *aeque* probabiles. Et cum lex dubia ad sensum S. Alph. efficiatur tantum quando opinio quae stat pro libertate est aequalis momenti, seu quando adest dubium strictum, prono alveo conclusio deducitur pro praxi. 1° *Pro statu* dubii: Licet agere iuxta sententiam aeque probabilem simul ac iuxta paulo vel dubie minus probabilem (pag. 25).

2° *Pro statu opinantis* concludit agendum esse iuxta sententiam probabiliorem pro lege quando excessus est notabilis et gravis.

Haec autem illustrare conatur per expositionem triplicis status mentis secundum S. Thomam et S. Alphonsum.

Ubi, cum multa ex simplici notionum confusione oriri videantur, sufficere nobis videtur pauca in mentem revocare ut appareat quid adversus probabilismum sequatur.

4. Et primo quidem, de illa distinctione inter certitudinem moralem et probabilitatem sensu logico et sensu morali, quaerere licet ubinam apud S. Thomam inveniatur, in eo sensu quo a P. Ter Haar, proponitur.

Ait *P. Ter Haar*: « In Ethica et Theologia morali certitudo perfecta excludere debet, non quidem erroris formidinem logicam vel radicalem, sed eam actualem et moralem, id est illam formidinem quae actu adducit erroris periculum, non solum mere possibile, sed *morale* et *prudens*, seu aliquomodo propinquum et imminens » (pag. 7-8).

Haec certitudo aut est certitudo vero sensu logico aut nullo modo vocari potest certitudo [10].

---

[9] Cf. *López*, Thesis probalismi ex s. Thoma demonstrata, Romae, 1937.

[10] *Boyer*, Cursus Philosophiae, vol. II, pag. 212.

Cognitio moralis non differt a cognitione aliarum scientiarum nisi ratione obiecti proprii, quod est moralitas actuum humanorum. Neque homines aliis criteriis uti possunt in cognitione rerum moralium ac in aliis scientiis.

5. Quae ut clare pateant opus est in mentem revocare processum mentis ad rectam conscientiam efformandam.

Iudicium conscientiae ad instar conclusionis syllogismi se habet, in quo maior est veritas quaedam speculativo-practica continens normam quamdam generalem activitatis humanae; ex. c.: « Non licet innocentes directe occidere ». Minor est factum concretum quod legi comparatur; ex. c.: hic interventus chirurgicus in matre praegnanti continet directam foetus occisionem. Conclusio est applicatio normae ad factum, in qua, proprie, dictamen conscientiae consistit: Tibi non licet interventum hunc patrare.

Quando loquimur de lege ut de norma activitatis nostrae, de illa veritate speculativa sermo fit. Intellectus autem noster relate ad illam veritatem se habet sicut relate ad alias veritates in statu certitudinis, dubii, et opinantis, secundum notam S. Thomae doctrinam [11].

Quoad minorem, cum circa contingentia versetur, mens habere de illa non potest nisi certitudinem moralem. Conclusio demum illam habebit certitudinem quae ex praemissis hauritur.

Proprium utique est certitudinis quae in Ethica consideratur, hoc, quod, cum S. Thoma, omnes asserimus:

Obiectum scilicet iudicii in conclusione formaliter non est veritas ontologica vel logica propositionis, sed honestas vel liceitas, aut contra, actionis de qua agitur. Et hoc non quia alia est veritas in rebus speculativis et in rebus moralibus, sed quia veritas in moralibus consideratur non « secundum materiam obiecti », sed secundum « rationem obiecti ». « Omnis enim actus humanus habet rationem pec-

[11] *De veritate*, q. XIV a. 1.

cati vel meriti in quantum est voluntarius. Obiectum autem voluntatis secundum propriam rationem est bonum apprehensum, in quod per se voluntas fertur, et non secundum materiale obiectum actus ». Itaque verum omnino est, in illo casu, agentem bene vel male agere: haec est veritas necessaria in moribus quaerenda quae practica vocatur, quia etsi *per se*, cum speculativa conveniat, tamen adhuc verificari potest sine tali convenientia quae, *per accidens*, abesse potest. Puta, in exemplo allato, medicum errare et credere agi de indirecta tantum foetus occisione. Speculativa veritas abest in conclusione ex defectu veritatis in minore; illa actio speculative est prohibita. Tamen practice vere est licita, quia conformitas habetur inter actionem et appetitum rectum, quae in moralibus contingentibus sufficere debet, cum alia interdum attingi non possit [12]. Assensus tamen mentis ut certus vocari possit excludere debet non iam « imminentem », « propinquum » sed, absolute, omnem errandi timorem, *in actu*.

6. In hoc sensu magni momenti reputanda est opera auctorum scholasticorum renascentis aetatis qui « humanismo christiano » imbuti, tractatum de conscientia data opera a scholasticis mediaevalibus non propositum, commentariis S. Thomae addendum putarunt. Hoc iam Vasquez [13] et Suarez [14], inter alios, praestaverunt.

Cum responsabilitas coram Deo, teste S. Paulo, ultimatim ex conscientia petatur, « Omne quod non est ex fide peccatum est », (Rom. 14, 23), valor ipsius in plena luce ponendus erat, ita ut intima et sincera hominis agentis persuasio de rectitudine vel minus propriae actionis primum et decisivum momentum teneret in aestimanda eius responsabilitate [15].

---

[12] Cfr. S. Th. l. 2 q. 57 a 5 ad 3: et VI Ethic. c. 2, l. 2. q. 19 a 5.
[13] *Vasquez*, In l. 2. Sti. Thom. Disp. 59, seq.
[14] *Suarez*, De bonit. et malit. act. hum. Tract. II. Disp. 12.
[15] Cfr. *Brisbois*, Eph. Theol. Lov. XIII (1936), pag. 91 seq. *Merkelbach*, Rev. sc. ph. et theol. XII (1923), pag. 175. Beltrán *de Heredia O. P.*, Francisco de Vitoria Com. a la Secunda secundae, t. III, Introducción, pag. XXVI.

Et cum haec persuasio firma, sine prudenti errandi formidine necessaria semper sit, omnes conveniunt in asserenda necessitate et sufficientia certitudinis moralis practicae. Sufficientiam dico, nam materia aliam non patitur cum de actibus humanis, natura sua contingentibus, agatur; necessitatem, cum sine illa, conformitas subiectiva cum ratione recta haberi non possit.

7. Cum vero, de natura certitudinis moralis non una sit philosophorum ratio loquendi, ex natura rei dicimus quod requiritur illa moralis certitudo quae *actu* excludat a voluntate quamlibet ad peccatum adhaesionem. Hoc obtinetur utique in certitudine morali stricta, nam in ea conscientia pronuntiat, sine ulla prudenti erroris formidine, actionem ponendam esse licitam.

Quid in illa certitudine morali late dicta, in sensu quo eam intelligere videtur *P. Ter Haar* [16]. Haec « genuina certitudo non est, sed incidit in statum *opinionis* » cum definiri possit: « adhaesio mentis uni parti cum *prudenti errandi* formidine » (ibid.) [17]. Responsum esse non potest nisi hoc: Ubi agitur de praeceptis, illam certitudinem minime sufficere affirmamus. Nam etiam tunc operamur cum *prudenti* formidine violandi aliquod praeceptum; qui autem ita agit non excludit a voluntate omnem adhaesionem ad peccatum [18]. Ergo opinio seu moralis certitudo lata ad sensum P. Ter Haar *sola* non sufficit ad actionem humanam directe moderandam in materia praeceptiva.

Nec ideo reicimus usum certitudinis prudentialis in rebus moralibus, sed omnino illum probamus. « Ut confessarius paenitentem absolvat sufficit certitudo moralis lata de

---

[16] Art. cit. pag. 10-11.

[17] Non hic est sensus ut patet quem certitudini latae tribuunt passim AA. Cf. Patrem a *Loiano*, Inst. Theol. mor. vol. I n. 278.

[18] Absque dubio, non imputamus P. Ter Haar, nec auctoribus probabilioristis hunc errorem, quamvis logice ad hanc conclusionem devenire deberent. Non negamus ergo defectum potius in modo loquendi verificari. Cf. *Frins*, De actibus humanis, Part. III, n. 93 sqq.

eius dispositione... » ait *P. Ter Haar* (pag. 10). Abs dubio.

Sed in vi cuius ratiocinii confessarius concludit: « absolvere possum? ». Si bene res consideretur, praemissae non continent tantum opinionem sed certitudinem strictam liceitatis: nam stricta certitudine constat ceritudinem moralem latam, de dispositionibus, sufficere in casu.

8. Quod si quis dicat cum *P. Peinador*[19]: « Certitudo haec (prudentialis) distinguitur a certitudine morali logicorum, quae *in sola cognitione sistit*, atque fundatur in modo agendi hominum, ut in pluribus. Certitudo moralis prudentialis dicit praeter cognitionem, *directionem*, atque fundamentum sumit a rectitudine voluntatis circa finem »... verum dicit, nam *directio* actus venit consideranda in rebus moralibus; sed etiam tunc admittendum est certum esse, in ordine quoque cognoscitivo, talem directionem bonam esse. Quare semper ultimum iudicium practicum in quo consistit conscientia, certum sensu logico erit. Quo sensu universalem valorem habent verba S. Alph. « ad licite operandum sola non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo »[20]. Verumenimvero haec certitudo non semper *directa*, i. e. ex scientia principiorum in subiecta materia haberi poterit. Ideo principia *reflexa* invocanda sunt, i. e. petita aliunde.

Stricte tamen loquendo nemo, nisi sensum verborum mutet, asserere potest solam opinionem qua talem sufficere ad normam praeceptivam actionis humanae constituendam. Sed de hoc infra.

Nec inter probabilistas *hodie* invenietur aliquis qui non reiciat, ut sibi iniuriosam, inculpationem *P. Ter Haar*: « Semper, inquit, valet ipsis (probabilistis) adagium: « Qui probabiliter agit prudente agit ».

9. His prae oculis habitis veniamus ad quaestionem de lege dubia.

---

[19] *Antonius Peinador*, C. M. F., De Iudicio conscientiae rectae (Madrid, 1941), n. 41.

[20] Th. Mor. vol. I, In Edit. P. Gaudé pag. XX.

Argumentum nostrum pro thesi probabilismi ad hoc reducitur: secundum S. Thomam et S. Alph. ut lex obliget requiritur « scientia » ipsius. Atqui scientia habetur tantum in statu certitudinis legis. Ergo extra illum lex non obligat [21].

Mens nostra non est iterum agitare controversiam Ligorianam [22] neque nos defendere ab accusatione de errore in S. Alphonso interpretando, quam *P. Ter Haar* (l. c. p. 33) adversum nos movet [23], sed argumenta ipsa considerare. Ait nos errare in interpretando tum S. Thoma tum S. Alphonso. « Nam ut supra iam vidimus Doctor Angelicus vocem « scientiae hic sumit sensu lato pro quavis simplici notitia « ... quae adest » in opinione certe (notabiliter) probabiliori, i. e. sic *cognita* et *iudicata* quae sententia est certe quaedam cognitio seu excludens veritatis ignorantiam; hoc enim tantum occurrit in dubio stricto, sive negativo sive positivo seu utrinque aequali, in certe probabiliori iuxta dictamen conscientiae quae proxima est hones-

---

[21] Cf. diss. nostram supra citatam, pag. 39 sq.

[22] Cf. nostram diss. supra citatam, pag. 31 seqq.

[23] Hoc tamen ferre non possumus quod nobis tribuat quae non diximus: dicit: « ipse P. Lopez candide fatetur, S. Alphonsum sibi adversari sed *ait ipsum errare* » (pag. 34) et non diximus *errare*, sed allatis verbis quae a *P. Ter Haar* citantur subiungimus: « Pro S. Alphonso tota vis argumentationis reposita est in distinctione inter scientiam legis et opinionem legis... Ergo aut argumentatio S. Alph. nihil probat aut thesim probabilismi ». « Obici potest Sanctum Alphonsum haec non deducere, sed perpetuo in sua dissertatione deducere tantum legem esse dubiam ubi duae sunt « opiniones aequalis ponderis » (n. 59). Id ultro concedimus. Et *vere concludit* S. Alphonsus; at ut nobis videtur, non *omnem* veritatem, quae in praemissis continetur, deduxit, sed limitavit extensionem conclusionis, praeter necessitatem logicam; utique, fatemur, non prater necessitatem historicam ».

Et mentionem fecimus de « necessitate historica », quia ab ea praescindere, si critice agere velimus, non possumus in interpretatione Sti. Alphonsi. Constat enim ipsum, aetate confectum, coactum esse quaedam scribere quae non omnino cohaerent cum integro suo systemate morale, ad vitanda gravissima mala quae nascenti suae Congregationi imminebant, eo quod tamquam redivivi iesuitae, vel saltem ut sectatores doctrinarum illorum habebantur. Cfr. Gaudé, l. c. pag. XV-XIX. *Ferreres*, Theologia Moralis, I. n. 132 seq.

tatis regula, una contradictionis pars, puta pro lege, certe magis ad veritatem obiectivam seu ad legem aeternam antecedentem accedit. Idem etiam intendit S. Alphonsus utens verbo « scientiae » (cf. supra p. 30). Per vocem « opinionis » intendit non opinionem minus probabilem, quam expresse reicit, sed aeque probabilem, ut saepius declarat » (pag. 34).

10. De S. Alphonso, libenter accipimus consilium interpretandi verba Auctoris « ex contextu et locis parallelis, ex harmonia totius eorum doctrinae ».

Ex harmonia totius doctrinae S. Alphonsi deduximus praecise vim demonstrationis ipsius valere pro omni opinione *vere* probabili.

Quod, verbis, contrarium dicat nemo negat. Historia enim testatur S. Alphonsum in fine vitae suae debuisse vitare omnia quae communionem doctrinalem cum extinctis « iesuitis » sapiebant, ut notum est, et ipse P. Gaudé testatur.

Constanter et clare S. Alphonsus asserit legem incertam non valere certam inducere obligationem. Quandonam revera lex efficitur incerta? Unum de duobus: Aut ad legis obligationem inducendam requiritur legis *scientia* seu notitia, sensu stricto, certa; aut sufficit notitia sensu lato certa, seu opinio. Si primum, cum haec certitudo desideretur quoties hinc et inde sunt opiniones *vere* probabiles, sufficit quaelibet opinio vere probabilis ad hanc certitudinem et consequentem obligationem tollendam; si secundum, cum in qualibet opinione aliqua legis notitia iam contineatur, neque in casu aequalis probabilitatis lex dici potest incerta. Ergo ut logice principiis stet S. Alphonsus admittere debet legem incertam esse quoties opiniones simpliciter vere probabiles adversus ipsam dantur.

Ergo aequiprobabilismus, qui exhibetur ut media via inter probabiliorismum et probabilismum, in medio consistere non valet sed fatali logica necessitate incidit in unum vel in alterum extremum.

Nunc quaero quid magis congruit cum « harmonia totius doctrinae » S. Alphonsi? Teste *P. Ter Haar*, S. Alphonsus initio probabiliorismo adhaeserat, postea, « ut ipse testatur, ministerio apostolico operam dans expertus est, hoc systema nimis rigidum esse et animabus damnum inferre »... Relicto igitur tutiorismo mitigato transivit ad probabilismum quemdam generalem vagum... « tandem post triginta annos » mentem suam fixit... et sic pervenit ad « suum systema probabilismi moderati » quod etiam vocat « meum systema aeque probabilis opinionis » [24]. Et revera, inter probabilismum moderatum, i. e. genuinum et aequiprobabilismum S. Alphonsi discrepantiam potius in verbis quam in re haberi iam suo tempore notaverat Card. Gennari, dicendo « differenze che praticamente svaniscono » [25]. Solutionem discrepatiae nos tentavimus in dissertatione citata, pag. 37.

10. Quoad S. Thomam, fatemur ipsum quaestionem nostram systematice non attigisse: solutiones datae a S. Doctore ad diversas opiniones trahi posse videntur [26]. Tamen merito putamus S. Doctoris patrocinium a probabilismo invocari posse quatenus requirit ad hoc ut lex liget « scientiam » legis. (De Veritate, q. 17, a. 3).

De qua « scientia » loquitur S. Thomas? Secundum P. Ter Haar (pag. 34))Doctor Angelicus vocem « scientiae » hic sumit sensu valde lato pro quavis simplici notitia, quae non est ignorantia. Affert ad hoc probandum verba S. Thomae eodem loco, art. 2, ad 2 « Vel dicendum, quod cum dico conscientiam non dico vel implico scientiam solummodo stricte acceptam prout est tantum verorum, sed scientiam largo modo acceptam, pro quacumque notitia, secundum quod omne quod novimus communi usu loquendi scire dicimur ». Ita quoque *P. Peinador* [27].

---

[24] Art. cit. pag. 31.
[25] *Monitore E.*, vol. 25, pag. 75.
[26] Cf. *Lottin*, Rech. de Théol. A. et M. t. V (1933), pag. 292.
[27] De Iudicio cons. rectae, n. 99.

Quid dicendum? S. Alphonsus sic iam respondebat Patri Patuzzi: « Quod sub nomine *scientiae* intelligatur probabilis notitia, haec est novi vocabularii nova significatio »[28].

Non ergo est nova controversia[29]. Cum argumenta a nobis prolata (o. c. pag. 46) ad ostendendum S. Thomam loqui de scientia vel de notitia certa, non tangantur ab his auctoribus, nobis non restat nisi obiectionem ex loco citato invocatam, solvere.

11. Primo quidem agitat, in loco citato, quaestionem S. Thomas, non data opera, sed ad solvendam obiectionem propositam contra thesim in art. sustentatam: Conscientiam posse errare. Obiciens sic arguit: « conscientia addit aliquid supra scientiam: id autem quod addit, nihil diminuit de ratione scientiae. Sed scientia numquam errat... Ergo nec conscientia ».

S. Thomas respondet 1° « dicendum quod conscientia addit supra scientiam applicationem scientiae ad actum particularem; et in ipsa applicatione potest esse error quamvis in scientia error non sit. Vel dicendum... sequuntur verba supra citata.

Nullo modo negamus scientiam, notitiam, de qua loquitur S. Thomas in utroque loco esse non solum scientiam *verorum*, i. e. quae aliter esse non posse demonstratur sed etiam scientiam *factorum*, seu eorum « quae communi usu dicimus nos novisse ».

Sed apud S. Thomam, ut constat maxime ex De Veritate q. 14, a. 1, nomine scientiae, vel notitiae numquam venit opinio vere talis. Perpetua est distinctio et ratio distinctionis: in qualibet scientia etiam largo sensu, supponitur a S. Doctore cognitio certa obiecti, ea utique certitudine quam materia patitur, cui respondet *assensus* intellectus sine illa *actuali* formidine: in opinione non habetur proprie assen-

---

[28] Theol. Mor. vol. I n. 74.

[29] De qua cfr. *P. Merkelbach* O. P., Summa Theol. Mor. vol. II n. 92, not. 2. *Gregorianum*, III (1922), pag. 447.

sus: « dubitans ait S. Doctor, non habet assensum, cum non inhaereat uni parti magis quam alii, *similiter nec opinans*, cum non firmetur eius acceptio circa alteram partem » (De Vere. q. 14, a. 1 c).

Quapropter cum ad hoc ut lex liget, secundum S. Thomam, requiratur certa legis notitia et haec certa legis notitia absit quando lex per opiniones tantum manifestatur, merito concludimus legem quae opinionibus tantum manifestatur non ligare, i. e. non esse legem.

12. Abs re, et a mente S. Thomae aliena videtur tota illa constructio *P. Deman* [30], quam latino sermone et cum quadam specie originalitatis proponit P. Peinador [31] de opinione ut vicaria certitudinis, quae sumenda esset ut iudicium conscientiae rectae sequendum.

Ad hoc proponunt notionem opinionis quae cum S. Thoma cohaerere non videtur: ait *P. Peinador*: « Opinio est *assensus* qui causatur a verisimilitudine absoluta, vel a maiori relative verisimilitudine » (o. c. n. 49, a) S. Thomas dicit, ut vidimus: « dubitans *non habet assensum* »; « *similiter nec opinans* » (l. c.).

Ait P. Peinador: « Assensus intellectus (in opinione) est *adhaesio, positiva* determinatio pro una contradictionis parte, quae accipitur non tamquam *omnino vera* sed tamquam *verisimilis* » (n. 46, a)... « opinionem revera non dari quando intellectus est adhuc determinabilis... » (n. 47)... S. Thomas vero: « Quandoque intellectus *inclinatur* magis ad unum quam ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod *determinet ipsum in unam partem totaliter* » l. c. Pro P. Peinador e contra: « Opinio... determinat intellectum pro una parte contradictionis, altera *totaliter* reiecta », n. 77 [32].

---

[30] *Deman*, D. T. C., vol. 25, col. 602 et seq.

[31] De Iudicio conscientiae rectae, cap. III, art. 2, Cap. IV, art. 2.

[32] Non ignoramus S. Thomam aliis in locis de opinantibus dicere: « uni parti *adhaereant*, tamen cum formidine alterius » (2-2, q. 2, a. 1). Immo in 1 Anal. Post lect. 1 dicit: « ratio to-

13. Sed, pro nobis, non est necessarium hanc controversiam resolvere [33] Probabilismus quamvis vere dicat licere agere secundum opinionem probabilem, minime per hoc supponit unam alteramve opinionem assumendam necessario esse ut normam propriae actionis, vel ei speculative adhaerendum esse.

Ratio eius intima non exigit quod una opinio, ut *propria* assumatur, in quo esset iudicium opinativum, sed simpliciter, ut prudens et sensatus agens pondus et valorem motivorum in singulis opinionibus, vel si vis in una, aestimet et consideret; ad quod nulla adhaesio ad aliquam opinionem requiritur.

14. Hoc posito, queritur: Suntne, in re morali, opiniones circa nonnulla praecepta ab omnibus consideratae ut obiective vere probabiles? Quis hoc neget? Iam, de valore imperativo, non quidem pro uno vel altero, sed in se, et in ordine obiectivo, harum opinionum quaestio vertitur. Atqui lex movet voluntatem per imperium, et, teste S. Thoma, « nec ex imperio alicuius regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium *attingat* ipsum cui imperatur, attingit autem ipsum per *scientiam* » (De Verit. q. 17, a. 3). Ergo imperium quod opinionibus tantum manifestatur, cum non attingat hominem per scientiam, (vel certam notitiam) voluntatem eius non ligat ad id faciendum quod per opinionem tantum manifestatur. Ergo praecepta opinionibus contenta carent obiectiva eefficacia ad ligandam conscientiam.

---

taliter declinat in unam partem contradictionis licet cum formidine oppositi ». Sed in « De Veritate » data opera et diligenter exponit status mentis circa veritatem; in aliis locis semper insistit in *infirmitate inclinationis* vel assensus quem in II Anal. Post. lect. 44 vocat « debilem et incertum ». Manet ergo semper indubitatum apud S. Thomam opinionem, etsi aliquando appelletur *assensus*, hunc esse *debilem, incertum* in quo « *semper remanet motus in contrarium* » (3 d. 26 q. 2 a. 4) qui ergo sub nullo aspectu vocari potest certus, nec illam habere firmitatem quam ad conscientiam ligandam requirit S. Thomas.

[33] Cf. *Boyer*, Cursus Philosophiae, vol. II, pag. 228. *Richard*, Etudes de Théol. moral., II, pag. 179 seeq.

Ad quorum intelligentiam notandum est obligationem in actu primo pendere a lege, sed in actu secundo nonnisi ab *applicatione* legis. In casu dubii vel opinionum, si lex revera a legislatore data sit, per opinionem lex non tollitur; sicut, e contrario, si data non est per opinionem non constituitur. At obligatio non sequitur vices legis, sed *applicationis* legis ad agentem humanum. In casu autem dubii vel opinionum, circa legem, causa ipsa efficiens obligationis est tantum dubia vel probabilis; et quidem, in tali stadio scientiae theologicae invincibiliter dubia, i. e. indeterminata, fluctuans: obligatio est vinculum morale adstringens voluntatem, sub reatu peccati *ad unum faciendum*. Quo iure inducitur effectus qui in virtute causae non continetur, qui eam superat?

15. Dicet aliquis, non inducitur effectus superans causam sed sequens naturam causae: ideo « notitia nulla, obligatio nulla; notitia dubia, obligatio dubia » [34].

Sed dico quid est obligatio dubia, vinculum dubium, dubie cogens sub peccato? Bene intelligitur suspensio assensus in intellectu, vel susceptio unius partis cum formidine de opposita, sed cum obligatio sit vinculum morale, aut voluntatem *tenet* aut non *tenet* et medium non datur. Ergo obligatio dubia, obligatio nulla.

Et re quidem vera. Ipsi adversarii undenam desumunt causam obligationis in casu dubii vel opinionis? Si res penitius consideretur, nonne ipsi petunt *aliunde* istam causam? Ergo implicite fatentur notitiam opinativam legis vim inducendi obligationem, de se, non habere.

Ideo recurrunt ad prudentiam, ad praeceptum vitandi periculum etc. tamquam ad veram causam obligationis; i. e. ad principia extrinseca, reflexa.

16. Ecce quid ex probabilismo sequatur, et quid sit in se probabilismus.

Non agnoscit vim obligandi legibus dubiis sive dubio

---

[35] *P. Peinador*, o. c. n. 97.

stricto proponantur sive per opiniones probabiles tantum. Ergo obligationes morales non imponit nisi quae certo hominibus innotescunt.

Et quaestionem solvit in genere, pro omnibus hominibus, pro omnibus casibus, in quibus, investigatione directe instituta, principium obligationis manet incertum. Qui autem asserit libertatem in legibus dubiis, nullo modo subducere conatur homines a iugo amabili legis divinae, minime eos avertit ab studio perfectionis. Immo vero, eo ipso quod aufert dubiae legis sollicitudinem, vires auget ad pulchram viam legis certae strenue calcandam.

17. Ideo dolendum sane est, adhuc inter catholicos auctores inveniri aliquos, qui ea adversus probabilismum insimulent quae a iansenistis, cum Pascal, iam proponebantur. « Ergo concludendum existimamus, ait clarissimus *P. Peinador*: « quod perfectionis adquisitioni *per se obstat*, non est bonum. Solutio benigna dubiorum (probabilista) quae ex adverso opponitur solutioni in textu explicatae (tutioristicae, opinionis imperativae) non solum est *occassio* impedimentorum, sed per se obstat perfectionis adquisitioni. Non est, igitur, bona et acceptanda solutio » [35].

Minorem sic probare contendit: « principium legis dubiae non obligantis, nonne tenedum est claudere in se aliquid veluti necessario impediens perfectionem adquirendam? Etenim certum est... applicantem principium hoc, in casibus dubiis a nobis descriptis, *negligere scienter et volenter* illud in quo certo nulla lex transgreditur, nec materialiter, ut accipiat illud in quo aberit forsan peccatum omne formale, propter conscientiam suam probabilisticam, sed in quo certo exponitur periculo infringendi obligationem aliquam, *saltem materialiter*, hocque sine ulla necessitate. Obligatio enim, si existit, non tollitur propter dubium adveniens, nisi expresse hoc voluerit ille a quo pendet obligatio » (ib.).

---

[35] O. c. n. 88, nota.

Ut aliquid veri esset in hac argumentatione requireretur: ut qui aliquem liberum declarat ad agendum quod maluerit ubi lex est dubia: eo ipso aliquid ponat « veluti necessario impediens perfectionem adquirendam »; requireretur ut non obligare sub poena peccati ad aliquid, sit negligere « scienter et volenter » illud ad quod non imponitur obligatio.

Confunditur iudicium concretum de electione practicae normae ad agendum et iudicium speculativum de valore alicuius normae generalis. Qui negat existentiam obligationis, in casu, in vi legis, optime potest et tenetur ex prudentia consilium dare circa normam practicam. Haec norma aliquando erit id quod tutius vocatur, aliquando maioris perfectionis erit aliquid aliud amplecti. In omni casu nunquam permittitur agere cum dubio practico: sed exigitur certitudo practica, cum qua stricte loquendo nemo exponitur, ne materialiter, periculo infringendi *obligationem* quam constat antecedenter ad actionem, non existere.

Demum, merito praesumitur Deum Sapientem qui « attingit... a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter » (Sap. 8-1) nolle hominibus tamquam legem suam illud imponere quod opinionibus hominum tantum manifestatur. Quae, ceteroquin, nec multa sunt nec talia ut ab ipsorum observatione vita christiana omnino pendere videatur.

Unde, quamdiu lux certitudinis non affulgeat, suavi dispositioni divinae Providentiae sese conformare videtur qui humanas opiniones non acceptat ut expressionem voluntatis Dei praecipientis.

18. Tandem, pauca de argumento auctoritatis. Nobis videtur Ecclesiam statuendo in can. 15 C. I. C. principium interpretationis, indirecte defendere probabilismum ab una ex impugnationibus adversariorum; ab illa praecise de qua supra, quae vellet illum considerare ut necessario impedientem perfectionem, ideo ut fomitem malorum in vita morali. Si ita esset hoc veniret ex eo quod in dubio non praecipitur

electio partis tutioris. Quare, ne haec mala sequantur, praecipienda esset. Ecclesia vero statuit in dubio leges non urgere. Ergo nihil timet, nec necessarium putat imponere obligationem amplectendi tutiora: nec ideo Christiani retardantur a studio perfectionis. Ergo nec per adoptionem principii: Lex dubia non obligat.

19. Nobis tamen in mentem non venit umquam causam probabilismi causam facere Ecclesiae. Tantum diximus modum loquendi P. Deman, arma praebere quae contra ipsam Ecclesiam converti possent, nam « Tolerari ab Ecclesia non potest, ut doceatur et ad praxim reducatur doctrina quae contra morum integritatem attentat, vel quae Christianos saltem a studio perfectionis christianae retardat. Si probabilismum admittit, aut deficit a munere fovendi vitam christianam, aut probabilismus nihil horum in se continet » [36]. « Sunt quae unquam confundi non licet a viris scientificis » [37]. Neque talis assertionis inventionem nobis vindicamus. Multo antea prolata est, ita ut adversarii respondere debeant sequenti rationi: « Nunc igitur praeter paucos theologos qui propriae veteri scholae abstricti sunt, omnes indiscriminatim probabilismum purum profitentur. Impossibile itaque est probabilismum esse falsum, nam si revera esset falsus, non illum admisissent tot doctores, *neque Ecclesia illum tolerasset* ». Ita R. P. Seraphinus a Loiano O. M. Cap., Institutiones Theologiae moralis, vol. I. n. 314. 2°.

20. Quare vehementi admiratione, sine dubio, auctores probabilistae a P. Peinador accipient notitiam angorum conscientiae quibus agitari debent ad suum systema ad praxim deducendum: etenim, illo testante, « credimus neminem sincere negare posse hoc esse verum conscientiae testimonium (malum esse eligere partem minus tutam); ita ut etiam ille qui conscientiam habens probabilistice formatam eligeret, in casu, reflexionis ope, partem minus

[36] Thesis prob. ex. S. Th. dem. pag. 54.
[37] *P. Peinador*, o. c. pag. 121.

tutam, hoc certo non faciet, nisi *quasi suffocans* vocem intimam naturae ad tutius incitantis » (!!)

Verumtamen videtur satis probatum historicis documentis, directionem animarum quae ab Auctoribus probabilistis praebetur sincero amore veritatis duci, et nonnullos fructus ad animarum sanctificationem, in Ecclesia, attulisse. Et hoc fortasse quia vitae christianae directioni praeponere volunt, non systemata opinionibus humanis fallibilibus composita, sed genuinam Domini nostri Iesu Christi doctrinam, ex qua docemur ita vitam christianam caritate « quod est vinculum perfectionis » (Col. 3, 14) penetrandam esse, ut quod certo a Deo praeceptum est usque ad mortem adimpleatur, in reliquis, amor intimus erga Iesum Christum Deum nostrum, qui virtute superat omnes leges, supremum locum teneat; quo fiet ut intima inclinatio naturae ad perfectiora sectanda, secundum hominis rationalis conditionem, humanius, per semitas iustitiae et veritatis dirigatur.

U. López, S. I.

De laudibus carolinis

III.

DE IPSIS ADCLAMATIONIBUS

Ut obiter iam diximus, varius est numerus adclamationum in laudum carolinarum exemplis: in compluribus namque una tantum agenda est, papae plerumque, sed etiam imperatoris vel novi cardinalis, in aliis ternae, quaternae aut quinae sunt, in duabus septenae, in una octo. Varia quoque est earum adclamationum ordinatio. Quarum rerum dispositionem ut lector uno quasi conspectu intellegat, illam in hac tabella exhibemus, in qua litterae et numeri primae columnae referuntur ad sex exemplorum species quas in priore huius articuli parte percensuimus. Ceterarum columnarum numeri indicant quales adclamationes in singulis exemplis adsint et quo ordine.

Addendum et corrigendum

Editionibus quae in *Periodica*, 30, p. 281, percensentur, addenda est haec: M. Andrieu, *Le pontifical romain au moyen-âge*, T. III, *Le pontifical de Guillaume Durand*, (Studi e Testi, 88), Città del Vaticano, 1940. Porro liber I huius pontificalis, XXV, p. 427-435, continet *Ordinem ad benedicendum seu coronandum imperatorem* (*Cum rex in imperatorem electus*), quem ad litt. A, num. 3 indicavimus. In appendice vero totius pontificalis editur, p. 665-669, quidam *Ordo ad coronandum summum pontificem romanum*, cuius prima verba sunt *Coronandus summus pontifex descendens de palatio*. Adclamatio autem papae in laudibus haec est: « Domino nostro papae vita ». Invocationes vero sanctorum eae sunt quas dedimus in *Periodica*, 30, p. 292-203, omissis tamen nominibus ss. Silvestri, Basilii, et Luciae. Tardius nobis haec editio praesto fuit quam ut hoc exemplo in exaranda nostra dissertatione uti possemus.

In textu autem laudum graecarum codicis Mettensis 351, *Periodica*, 30, p. 291, vers. 2, pro: Christos exelexon, scribendum erat: Otheos exelexon.

	Pp.	Imp.	Reg.	*Imp. Reg.*	Pro.	Ep.	Cl.	Iu. E.	Al.
A 1	1		2. 4. 5.	6	3			7	
2	1		2		3			4	
6	1	2		3		4		5	
7	1		2	3	4			5	
9	1		2			3	4	5	
10	1		2			3			
B 1	1								
2	1								
3	1								
4	1								
5	1								
6	1								
C 1	1	2			3			4	
2	1	2		3				4	
3		1							
4		1							
D 1	1								
2	1	2			3			4	
3	1								
4	1	2			3			4	
5									1
6	1								
7	1								
E	1								
F 1	1		3	4		2		5	
2	1	2		3	4	6		7	5
3	1		3	4		2		5	
4	1		3	4		2		5	
5	1		2			3		4	
7	1		2	3		4		5	
8	1	2	4	3 5		6	7	8	
9	1		2	4		3		5	
	1		2	3				4	

Simplex et eadem stabilissima est forma adclamationis quae papam spectat. Canitur nimirum: « N. summo pontifici et universali papae vita ». Ad hac diversa est adclamatio laudum graecarum (A, 10): « Ioannis apostolici papae multi anni », et adclamatio laudum ecclesiae Remensis (F, 5): « Domino N. a Deo decreto apostolico et sanctissimo papae

vita », quae inter se conveniunt in adhibenda apostolici papae appellatione. Plane singularis est adclamationis forma altera in ipso ordinario quod continet *Liber politicus* Benedicti (D, 1, ad n. 22): « Summo et egregio antistiti beatissimo papae N. vita ».

Nullius quidem momenti est adiunctio vocum « et victoria » post verbum « vita » in laudibus Passaviensibus (A, 9), sed maiorem significationem habet quod inserta sunt verba « a Deo decreto » in formula adclamationis quae in papae coronatione, sive post eius ordinationem, sive post missam in maioribus anni sollemnitatibus, usurpabatur (B, 2-6; C, 1 et 2; D, 1-5; 7; E). Canitur scilicet: « Domino nostro N. a Deo decreto summo pontifici et universali papae vita ». Etenim hoc ideo factum esse existimaverimus, ut in adclamatione papae idonea quaedam verba responderent verbis « a Deo coronato » quae iam saeculo VIII et IX in adclamatione regis et imperatoris pronuntiabantur. Certe verba « a Deo decreto » primum occurrunt in duobus ex antiquioribus ordinibus coronationis imperialis (C, 1, 2) in quibus etiam papae adclamatur. Adiunctio vero vocum « Domino nostro », quae in iisdam exemplis adsunt, simili de causa fieri potuit. Estne fortasse coniungenda ista adclamationis papalis amplificatio cum reformatione cui opera Nicolai II, anno 1059, subiectus est modus electionis Summi Pontificis? Decretum vocabatur instrumentum quo pro antiqua consuetudine edicebatur novi pontificis electio, facta a clero, optimatibus et populo; notum autem est quot et quanta incommoda ex istis electionibus popularibus nata sint, ita ut non raro vix dici posse videretur per illas voluntatem divinam exprimi [1]. Nonne igitur verbis « a Deo decreto », papae adclamationi adiectis, significatum est nova electionis ratione, quae electionem solis cardinalibus episcopis committebat, ipsum divinae voluntatis decretum manifestari?

---

[1] T. Ortolan, *Election des papes*, in DTC, 4, col. 2304-2418.

Omnium imperatoris adclamationum in laudibus carolinis antiquissima simul et simplicissima est illa quam praebet exemplum latinum codicis Mettensis 351 (A, 6): « N. imperatori vita et victoria ». Quod autem nullam mentionem complectitur coronationis, id ei commune est cum adclamatione imperatoris quae adest in *Ordine ad benedicendum seu coronandum imperatorem* et in *Caeremoniali romano Patritii* (C, 3, 4); « Domino N. invictissimo Romanorum imperatori semper augusto salus et victoria ». Porro in his duobus exemplis deest quaelibet alia adclamatio, etiam papae. Cetera cuncta laudum exempla e contrario mentionem coronationis imperialis continent, eundemque typum fere omnia exprimunt, cuius vetustissima figura haec est: « Domno nostro N. a Deo coronato magno et pacifico imperatori vita et victoria » (C, 1, 2; D, 2, 4; F, 2). In ordine A. XLVII post nomen imperatoris addendum esse significatur verbum « augusto », desunt vero voces « et victoria (C, 1) ». Exemplum autem in appendice *Libri politici* Benedicti appellationem « augusto » pari ratione post nomen imperatoris ponit (D, 2, 4). Aliquantum ab illo typo discrepat adclamatio lectionarii Vesontionensis: « N. excellentissimo imperatori magno et pacifico a Deo coronato vita et victoria », et praesertim adclamatio in ecclesia Aquileiensi adhibita: « N. Romanorum imperatori augusto a Deo coronato magno et pacifico salus, vita et victoria ». Cum nulla ex istis formulis plene congruit neque adclamatio quam *Liber pontificalis* [2], neque ea quam *Annales Laurissenses* [3] in coronatione Caroli Magni (a. 800) pronuntiatam esse affirmant. Neutram congruere dicimus; etenim etiam duo ista documenta in referenda hac adclamatione non leviter inter se discrepant. Narrat namque *Liber Pontificalis* fideles Romanos « altisona voce, Dei nutu atque beati Petri clavigeri regni caelorum », exclamavisse: « Karolo piissimo augusto a Deo coronato, magno et pacifico imperatori vita et victoria », *Annales* a cuncto populo Romano adclamatum esse: « Carolo augusto a Deo coronato, magno et pacifico imperatori Romanorum, vita et victoria ». Ex duabus autem formulis prior certo veritati vicinior apparet. Non enim credendum est iam Carolo Magno titulum tributum esse imperatoris Romanorum.

[2] XCVIII, xxiii, edit. Duchesne, t. II, p. 7.

[3] Ad ann. 801, MGH, SS., t. I, p. 188. Item Enhardi *Annales*, ann. 801, ibid., p. 189. Ab illis etiam magis discrepat adclamatio quam exhibet *Ordo romanus IX* (795/816) in ordinatione papae canendam: « Domnus Leo papa quem sanctus Petrus elegit in sua sede multis annis sedere ». Sed ad typum laudum carolinarum non videtur pertinere.

Vetustissima in laudibus carolinis regis adclamatio, ea scilicet quam primo loco post adclamationem papae ponit psalterium Montis Pessulani (A, 1), et psalterium codicis Parisiensis 13159 (A, 2), ordinariae imperatoris adclamationi simillima est: « N. excellentissimo et a Deo coronato magno et pacifico regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum vita et victoria ». Ab ea quibusdam omissionibus dumtaxat, vel levioribus mutationibus, discrepant ceterae pleraeque. Codex Sangallensis prior (A, 7) et Vindobonensis (A, 9) hanc formulam praebet: « N. a Deo coronato magno et pacifico regi vita et victoria ». Codex Parisiensis B. N. lat. 8898 (F, 7): « N. excellentissimo a Domino coronato magno et pacifico regi vita et victoria ». Codex Bellovacensis apud St. Baluze (F, 3)): « N. serenissimo et a Deo coronato magno et pacifico regi vita et victoria ». Paulo magis a communiore illa forma differt adclamatio codicis Arelatensis (F, 1), quamquam est inter antiquiores: « N. regi excellentissimo, magno et pacifico a Deo coronato vita et victoria ». Appellationem Gallici regis propriam refert codex Remensis (F, 5): « Domino N. christianissimo regi Francorum a Deo coronato magno et pacifico vita et victoria ». Brevissima est adclamatio Aquileiensis (F, 8): « N. regi nostro a Deo coronato salus, vita et victoria ». Formula laudum graecarum e codice Mettensi 351 (A, 10) ex usibus aulae et ecclesiae byzantinae derivanda est: « Multi anni Ludowici ». Ad reges secundarios tantum pertinent adclamationes: « Pipino regi Langobardorum vita », « Chlodovico regi Aquitaniorum vita » in psalterio Montis Pessulani (A, 1), nec cum aliis comparari possunt.

Imperatricis duae tantum sunt adclamationis formulae. Ordo coronationis imperialis *Cencii IIus* (C, 2) hanc habet: « Dominae nostrae N. eius coniugi excellentissimae imperatrici vita »; exemplum vero Aquileiense hanc alteram: « N. imperatrici augustae a Deo coronatae salus et vita perpetua ».

Longe omnium brevissimae sunt adclamationes reginae: « N. reginae salus et vita » (A, 1, 6; F, 2, 3, 7); « N. reginae nostrae vita » (A, 7): « N. inclitae reginae lux et gratia » (F, 1, 4). Una dumtaxat coronationis mentionem complectitur: « N. reginae nostrae a Deo coronatae salus et vita perpetua » (F, 8).

Proli imperiali vel regali duobus modis adclamatur, vel adhibendo vocem ipsam prolis: « Nobilissimae proli regali (salus et) vita » (A, 2, 7; F, 2), vel nomen filiorum usurpando: « N. et N. nobilissimis filiis eius vita » (A, 1); « Tuisque praecellentissi-

mis filiis regibus vita » (C, 1); « Eiusque praecellentissimis filiis regibus vita » (D, 2, 4).

Etiam episcopi adclamatio valde simplex est, sive illi soli, sive una cum eo clero quoque et populo adclamatur. Brevissima formula est in laudibus latinis codicis Mettensis 351 (A, 6): « N. pontifici salus perpetua »; hanc graece reddere videtur exemplum graecum eiusdem codicis: « N. magno episcopo salus in saeculum ». Salutem quoque perpetuam adprecantur laudes Remenses (F, 5): « Domino N. archiepiscopo salus perpetua ». Aliae plures salutem et vitam: « N. episcopo et cunctae congregationi N. salus et vita » (F, 2); « N. huius ecclesiae pontifici et omni gregi sibi commisso salus et vita » (F, 3); « Domno N. pontifici nostro salus et vita » (F, 7); « N. a Deo electo vel consecrato patriarchae salus et vita ». Aliae denique salutem et gloriam: « N. pontifici, clero, et populo sibi commisso salus et gloria » (F, 1, 4). Mira utique est adprecatio « Antistiti a Deo electo vita et victoria » (A, 9), quae magis exercituum duci quam episcopo convenit. Nihilo minus etiam clero sic adprecatur idem exemplum: « Omni clero Pataviensis (sic, pro Passaviensis) ecclesiae vita et victoria ». Aptior est adclamatio laudum Aquileiensium (A, 8): « Omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus et omni clero salus et vita ». Novo cardinali canitur: « Dominum cardinalem N. Deus conservet ».

Constantissima est adclamatio iudicum atque exercitus et adprecatio quam haec continet. Mutatur solum nomen populi cuius sunt iudices et exercitus: « Francorum », vel « Francorum et Alemannorum », vel, si nullus determinatus populus nominandus est, in huius nominis locum substituitur mentio « Christianorum ». Laudes codicis Vindobonensis (A, 9) post vocem « iudicibus », addit « fidelibus »; laudes vero Aquileienses (F, 8) pro voce « vita » habet « salus ». Ordo A. XLVII coronationis imperialis, Ordo *Cencii IIus* (C, 1, 2), ordo appendicis *Libri politici* (C, 2 4) mentionem iudicum plane omittit. Primus habet: « Exercitui Francorum, Romanorum et Teutonicorum vita et victoria »; alter: « Exercitui Romano et Theutonico vita et victoria »; tertius: « Exercitui Romanorum et Teutonicorum vita et victoria ». Duci Foroiuliensi in laudibus Aquileiensibus his verbis adclamatur: « N. ductori pacifico salus et vita ».

Unius tantum ex istis adclamationibus origines in praesentia persequi possumus, illius scilicet quae Romanum episcopum spectat. Est enim quam maxime theologorum stu-

dio digna, nimirum ob appellationes summi pontificis et papae universalis quibus constanter primum ecclesiae pastorem honorant ac celebrant.

Duplicis tituli summi pontificis et universalis papae antiquissimum documentum est in *Libri diurni romanorum pontificum* formula LXXIII, id est in *Promissione fidei* episcopi qui a papa consecrabatur. Inchoatur namque ista formula his verbis: « Promitto ill. ego tal. episcopus sanctae ecclesiae ill. vobis domino meo sanctissimo et ter beatissimo summo pontifici seu universali papae et per vos »... Quae promissionis formula annis 680/685 conscripta est, quoniam in ea iam mentio fit concilii oecumenici VI[i] seu Constantinopolitani III[i] (680-681), Constantinus vero IV, cognomine Pogonatus, Byzantinus imperator (668-685), vivus inducitur [4]. Reperitur quidem etiam in nota quae epistulae X Vitaliani papae (657-672), *Ad Beneventanum episcopum*, adiecta est: « Datum III kal. febr. per manum Anastasii primicerii defensoris reverendissimae sedis apostolicae, anno, Deo propitio, pontificatus domni Vitaliani summi pontificis et universalis papae, in sacratissima sede beati Petri apostoli, primo, indictione 11 ». Sed ista epistula est spuria [5].

A fine saeculi VIII frequentius recurrit in documentis ecclesiasticis idem duplex titulus. Sic concilium Romanum anni 769 dicitur habitum esse « praesidente ter beatissimo et coangelico Stephano summo pontifice huius Romanae urbis ecclesiae et universali tertio papa », similique appellatione utuntur etiam acta eiusdem concilii: « Sanctissimus et ter beatissimus Stephanus summus pontifex et universalis papa dixit », et acta concilii Romani anni 798: « Leo, sanctissimus ac ter beatissimus sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae et universalis papa dixit » [6]. Idem « Leo, summus pontifex et universalis papa »

[4] Edith. Th. E. ab Sickel, 1889, p. 69-70; p. 73.
[5] PL 87, 1010 BC.
[6] MGH, Concilia, t. II, *Concilia aevi karolini*, pars 1, p. 80. 82, 203.

anno 813 in sacro palatio Lateranensi iudicium fecit inter virum quendam et abbatem monasterii S. Mariae [7].

Eodem quoque duplici nomine bis decoratur Paschalis papa I (817-824) in formula pacti quod cum illo anno 817 inivit Ludovicus Pius imperator (814-840): « Ego Hludowicus imperator augustus, statuo et concedo per hoc pactum confirmationis nostrae tibi beato Petro principi apostolorum, et per te vicario tuo domno Paschali summo pontifici et universali papae et successoribus eius in perpetuum »... Eodem Eugenius II (824-827), in epistula ad eum data anno 825 a Ludovico Pio eiusque filio Lothario [9]. Eodem denique et quidem pluries Ioannes VIII in documentis anni 876 quae ad electionem Caroli II imperatoris, cognomine Calvi, attinent [10].

Porro ex istis documentis praesertim animadvertendum est Caroli II Capitulare Papiense [11], cuius duo priora capitula vim quae saeculo IX appellationi summi pontificis et universalis papae attribuebatur, aliquantum illustrant, cum statuunt:

1. Ut sancta Romana ecclesia, sicut est caput omnium ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur et veneretur; neque quisquam contra ius et potestatem ipsius aliquid iniuste agere praesumat; sed liceat ei debitum tenere vigorem et pro universali ecclesia pastoralem exhibere curam atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.

2. Ut honor domno et spiritali patri nostro Iohanni [VIII, 872-882], summo pontifici et universali papae, ab omnibus conservetur; et quae secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, et debita illi oboedientia in omnibus conservetur.

Titulo summi pontificis et papae universalis Ioannem VIII appellare solebat etiam Anastasius Bibliothecarius

[7] Jaffé-Wattenbach, 2525.
[8] MGH, *Capitularia regum Francorum*, t. I, p. 253-254.
[9] MGH, Concilia, t. II, *Concilia aevi karolini*, p. 534.
[10] MGH, *Capitularia regum Francorum*, t. II, p. 99, 101, 348-352.
[11] Ibid., p. 101.

(ob. c. 879). Ita facit, v. g., in inscriptione praefationis suae in acta, latine a se reddita, concilii oecumenici VII (Nicaeni II, 787) quam inscripsit: « Domino coangelico Ioanni pontifici summo et universali papae Anastasius exiguus » et copiosius in praefatione in acta concilii oecumenici VIII (Constantinopolitani IV, 869): « Domino sancto et coangelico patri patrum Hadriano summo pontifici et universali papae ego famulus vester Anastasius peccator, abbas et summae vestrae apostolicae sedis bibliothecarius ». Ceterum etiam legati Romani in hoc concilio se dicebant locum obtinere « domini mei Hadriani summi pontificis et universali papae » [12].

At etiam sine appellatione summi pontificis adhiberi solebat titulus papae universalis, et hoc ab eodem fere tempore, id est a saeculo VII°. Etenim iam reperitur lingua graeca expressus in inscriptione duarum epistularum Constantini IV Pogonati imperatoris (668-685), alterius Dono papae (676-678), alterius Leoni papae (682-683) scriptae. Illa namque inscripta est Δόμνῳ τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης καὶ οἰκουμενικῷ πάπᾳ, haec: Λέοντι τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς ἀρχαίας Ῥώμης καὶ οἰκουμενικῷ πάπᾳ. In latinam vero linguam e graeca versus adest in inscriptione epistulae Iustiniani II imperatoris (685-695) ad Ioannem papam V (685-686): « Ioanni viro sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo antiquae almae urbis Romae atque universali papae » [13].

Adhibetur quoque in *Libri diurni* formula LXXXV, id est in tertia formula professionis fidei quam novus papa post suam ordinationem ad universum populum Dei mittere consueverat. Quam formulam annis 680/685, sicut formula LXXIII, scriptam esse constat [14]. Profitebatur novus papa se fideliter servare velle « quae a sanctae memoriae

---

[12] Mansi, t. 12, 981-982; t. 16, 1; 189-190.
[13] PL 87, 1147-1148 A; 96, 387-388 C; 425-426 C.
[14] Edit. Th. E. ab Sickel, p. 108, 109.

Martino [I, 649-655] universali papa ad confirmationem praedictarum quinque synodorum [id est quinque priorum conciliorum oecumenicorum] definita sunt ». Habetur igitur hoc in isto exemplo singulare quod ipse papa alterum Romanum pontificem titulo universalis papae appellet, cum narret sanctus Gregorius Magnus (590-604), usque ad suum tempus omnes episcopos Romanos illum titulum ab aliis sibi oblatum constanter recusasse [15].

Saeculo VIII appellatio universalis papae in usum curiae Romanae recepta esse videtur. Sic in concilio Romano a. 769 cuius acta etiam consuetudinem duplicis appellationis summi pontificis et universalis papae testantur, primicerius notariorum Romanum episcopum his verbis alloquitur: « Domne sanctissime, praesul et universalis papa » [16]. Saeculo IX porro frequentior factus est usus eiusdem tituli. Inter documenta autem quae hoc demonstrant singularem mentionem meretur *Libellus synodalis* Concilii Parisiensis anno 825 habiti, quippe qui etiam declararet praecipuo omnino iure meritoque episcopum Romanum titulo papae universalis appellari [17]:

Unde, sicut dignum et vere dignum et iustum est, ut, praeeunte Spiritus sancti virtute, ille inter eos in nomine Domini, talia correcturus et ad viam veritatis sanctissimo moderamine reducturus, primus in hominibus arbiter occurrat, quem Deus omnipotens in sede apostolica collocare eorumque vicarium [ss. Petri et Pauli] eidem sanctae suae ecclesiae dare dignatus est

et ob hoc ei nomen speciale in toto orbe terrarum ab eadem sancta Dei ecclesia prae omnibus pontificibus decretum est, ut solus, non sua abusione, sed tantorum apostolorum auctoritate, universalis papa dicatur, scribatur et ab omnibus habeatur — et quia, sicut omnibus notum est, dicente Iohanne apostolo: « Hora novissima est », et Paulo: « Nos in quos fines saeculorum devenerunt », et ideo tempus instat, diei iudicii absque ulla diuturna dilatione appropinquat, nulli dubium quin diabolus inter reliqua perditionis suae argumenta illud praecipue contendat.

---

[15] *Epistularum* lib. V, epist. 20, Ad Mauricium Augustum, PL 77, 747 A, et saepius.

[16] MGH, Concilia, t. II, *Concilia aevi karolini*, pars 1, p. 82.

ut in novissimo die sanctae Dei ecclesiae caritatem mutuam scindat... Et cum universus ei ecclesiasticus ordo merito obviare debeat, nullus tamen sub hac conditione maiori constringitur debito, quam ille qui tanto in sede apostolica, illorum auctoritate, pro eorum reverentia, in universali mundo, ac tali honorari meruit privilegio; qui tamen universalis merito non dicitur, si pro universali ecclesiae statu, viribus quibus valet, non agonizatur. Haec, domne pater, ac toto mundo venerande atque reverende sanctissime pontifex, ad insinuandam in tanta re mentis nostrae devotionem praemittere studuimus.

Quid igitur mirum, si in *Epitome* eiusdem libelli synodalis quam ad Eugenium papam II anno 825 miserunt, Ludovicus et Lotharius imperatores eum illo titulo alloqui non omittunt: « Sancte pater venerande et amande Eugeni, universalis papa », et in actis concilii Romani anni 826 iterum inducitur « Eugenius sanctissimus ac ter beatissimus et universalis papa » coram congregatis episcopis verba fecisse[18]. Quin etiam concilium oecumenicum VIII (Constantinopolitanum IV, 869-870) epistulam synodicam misit « Domino sanctissimo et coangelico maximo summo sacerdoti et universali papae Hadriano »[19]. Quibus documentis ea adiungenda sunt quae appellationem universalis papae cum titulo summi pontificis per totum saeculum IX copulatam exhibent. Historiam vero eiusdem appellationis ultra huius saeculi terminum persequi cum fine et obiecto nostrae dissertationis non congrueret. Iustum igitur est ut isto labore supersedeamus.

Sed quomodo natus est in ipsa ecclesia Romana et in ecclesiis Francorum mos episcopum illius urbis papam universalem appellandi? Habuitne iste titulus ab ipso suo principio praecipuam illam significationem quae ei saltem inter Latinos saeculo VIII et IX attribui solita erat? Estne idem ab aliis Latinis quibusdam hominibus vel ab ipsis Romanis episcopis excogitatus, ut huius sedis primatum demons-

[17] Ibid., p. 522.
[18] Ibid., p. 535; 560-563.
[19] MANSI, t. 16, c. 200 D.

traret? An aliunde acceptus est nec de se id spectabat ut perfectum illum primatum significaret? Hae sunt quaestiones quae, ni fallimur, lectorum mentibus fere necessario oboriuntur.

E compluribus documentis, quae ex parte iam adhibuimus sed maiore ex parte mox sumus commemoraturi, liquet nomen adiectivum universalis aliud non esse quam formam latinam adiectivi graeci οἰκουμενικός. In ecclesia Byzantina nimirum natus est usus huius appellationis nobisque usque ad historiam saeculi V regrediendum est, ut intellegamus qua ratione ille mos inde in ecclesias latinas transierit.

Narrat quidem bonus sanctusque vir GREGORIUS MAGNUS, tamquam rem suo tempore notoriam, nomen universalis patriarchae vel episcopi esse per sanctam Chalcedonensem synodum (451), vel in hac synodo, utroque enim modo scribit, non autem ab ea, Romano pontifici oblatum, nullum autem ex suis decessoribus eo uti voluisse [20]. Re vera nihil quod oblationem ab ipsa synodo factam manifestet in actis concilii Chalcedonensis reperire potuimus, sed in inscriptionibus quattuor supplicum libellorum qui Dioscori condemnationem poscendi causa singuli a singulis viris Alexandrinis exarati Leoni Magno episcopo Romano et ipsi concilio oblati erant [21], idem Leo titulo universalis archiepiscopi et patriarchae magnae Romae appellatur: τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ θεοφιλεστάτῳ (vel μακαριωτάτῳ) οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης Ῥώμης. Praeterea in ipsis concilii actis tres legati Sedis Romanae, Paschasinus ac Lucentius episcopi, et Bonifacius presbyter, se affirmant locum tenere seu vicarios esse domini sui « beatissimi atque apostolici viri universalis (vel « totius ») ecclesiae episcopi urbis Romae Leonis », τοῦ μακαριωτάτου καὶ ἀποστολι-

[20] *Epistularum* liber V, epist. 20, PL 747 A; epist. 43, 771 C; lib. VIII, epist. 30,933 C.

[21] MANSI, t. 6, 1005-1006; 1011-1022; 1021-1022; 1029-1030; edit. SCHWARTZ, t. II, vol. I, pars 2, p. 15, 17, 20, 23; t. II, vol. III, pars 2, p. 28, 30, 35, 38.

κοῦ ἀνδρὸς (hoc verbum deest in subscriptione Paschasini) τῆς οἰκουμενικῆς (vel, sine articulo, πάσης) ἐκκλησίας ἐπισκόπου πόλεως Ῥώμης Λέοντος. [22]. Iam nunc autem nobis advertendum est in antiquis horum actorum versionibus latinis in locum nominis ἐπισκόπου nomen papae esse substitutum, ita ut in tribus inscriptionibus habeatur « universalis ecclesiae papae ».

Appellationi a tribus legatis adhibitae aequalis est illa quam exhibet inscriptio supplicationis cuiusdam quam anno 517 archimandritae et monachi Syriae II^ae ad Hormisdam papam (514-523) miserunt: « Sanctissimo et beatissimo universi orbis terrae patriarchae Hormisdae, continenti sedem principis apostolorum Petri » [23]. Non enim ipsum romanum pontificem universalem vocat sed eum totius terrarum orbis patriarcham esse significat. Similis ratio servatur in duabus epistulis eidem pontifici anno 519 ab hominibus privatis scriptis: his verbis in altera, « Domino meo beatissimo et apostolico patri Hormisdae archiepiscopo universalis ecclesiae »; in altera, « Domino sancto et beatissimo patri patrum Hormisdae archiepiscopo universalis ecclesiae »; cum e contrario in aliis litteris ab ipso imperatore, a Constantinopolitano patriarcha, vel a Constantinopolitana synodo, annis 515 et 519, scriptis archiepiscopus quidem et patriarcha appelletur, sed sine ulla universalitatis mentione, in aliis denique diversis ab illis titulis salutetur [24]. Universalitatis vero titulum in ipsum hominem refert anno 536 libellus archimandritarum et monachorum Constantinopolis, Hierosolymorum et Orientis ad Agapetum papam I (535-536) missus: Τῷ μακαριωτάτῳ δε-

---

22 MANSI, t. 7, 135-136 C; edit. SCHWARTZ, t. II, vol. I, p. 141; t. II, vol. III, p. 156-157.

23 MANSI, t. 8, 425 B.

24 PL 63, 451 A, D, 369 C, 370 A, 443 D, 483 D, etc. Attamen in editione O. GUENTHER, *Epistulae imperatorum, pontificum, aliorum*, CSEL, 35, p. 614, 616, inscriptio duarum priorum epistularum habet ex optimis codicibus: « archiepiscopo universali ecclesiae ».

σπότῃ ἡμῶν τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ Ἀγαπήτῳ [25].

Dubium igitur non videtur quin primae honorificae appellationes quae postea in titulum universalis papae conversae sunt, episcopo Romano ab hominibus orientalibus vel inter eos delatae sint. At non minus apparet id usque ad medium saeculum VI neque in episcoporum vel synodorum orientalium neque in imperatorum publicis scriptis fieri solitum fuisse, immo eam rationem ultra medium saeculum VII perseveravisse, etsi per idem tempus acta aliaque documenta synodorum Constantinolitanarum (518, 536, 587) et constitutiones imperatorum Iustiniani (527-565) atque Heraclii (610-641) constanter archiepiscopum illius sedis nomine patriarchae oecumenici appellavisse constat [26]. Orientales contra qui saeculo V et VI episcopum Romanum titulo patriarchae vel archiepiscopi universalis honorare voluerunt, privati erant homines, presbyteri, diaconi, archimandritae, monachi, Pompeius, Anastasii imperatoris nepos, Anastasia senatoria femina et Pompeii uxor, iidemque ob suum orthodoxiae amorem erga sedem Romanam optime affecti; neque aliter quam private ad papam scripserunt. Unus tantum orientalis episcopus semel Romanum pontificem universalem papam appellavit, Eulogius, inquam, Alexandrinus patriarcha (580-607) ipsum sanctum Gregorium Magnum, qui quanta vehementia istam appellationem condemnaverit ac respuerit omnibus compertum est. Factum Eulogii nobis idem sanctus Gregorius refert in epistula quam ad illum rescripsit [27]:

[25] Mansi, 8, 895 BC.

[26] Mansi, 8, 1038 A, 1042 D, 1058 A-1066 D, 1067 A, 1094 A; 926 D, 935 C, 959 AB, 966 CD; *Iustiniani codex*, lib. I, tit. 1, 7; tit. 3, 42 (43); tit. 4, 35; *Iustiniani Novellae*, XII, XIII, XIV, XV, XXXVI, LVI, LXIX, LXXII, LXXIII, LXXIV, LXXX. Edit. *Corpus iuris civilis*, edit. stereotypa, vol. II, 1915; vol. III, 1913; *Heraclii imperatoris novellae*, Collatio I, nov. XXII, XXIII, XXIV, XXV, in Νεαραὶ καὶ χρυσόβουλλα τῶν μετὰ Ἰουστινίανον Βυζαντίνων Αὐτοκρατόρων ἐκ τῆς ἐκδόσεως C. E. Zachariae von Lingenthal, *Ius Graecoromanum*, cura I. Zepi et P. Zepi, Athenis, 1931, p. 27, 31, 33, 36.

[27] *Epistularum* lib. VIII, epist. 30, PL 77, 933 BC.

Nam dixi nec mihi vos, nec cuiquam alteri [intellege patriarcham Constantinopolitanum] tale aliquid, universalis patriarchae vel papae appellationem, scribere debere, et ecce in praefatione epistolae quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbae appellationis verbum, universalem me papam dicentes, imprimere curastis... Si... universalem me papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur universum.

At Eulogius sanctissimus vir fuit, rectae doctrinae et sedi Romanae addictissimus, carissimusque sancti Gregorii amicus, cum quo poterat, ut inter bonos senes, aliquando blanda ac iocosa malitia uti. Si igitur appellatione sua nos cogit exceptionem quandam admittere, haec ex iis est quae, ut aiunt, legem confirmant.

Si saltem usque ad medium saeculum VII ecclesiae orientales episcopo Romano titulum universalis patriarchae denegarunt, valde veri simile est ipsam ecclesiam Romanam se a tali appellatione abstinuisse. Hoc certe significare videtur sanctus Gregorius, cum narrat neminem ex suis praedecessoribus illi nomini, quamvis sibi ab aliis oblato, consensisse, neque ullum documentum novimus quo demonstretur appellationem universalis archiepiscopi vel papae Romano pontifici esse in sua ecclesia ante annos 680/685 tributam. Illam primum in quibusdam formulis *Libri diurni* occurrere quae eo tempore exaratae sunt, supra ostendimus.

Quid autem significare volebant antiqui illi orientales homines qui saeculo V et VI episcopum Romanum tītulo universalis patriarchae, vel patriarchae totius terrarum orbis, vel universalis ecclesiae archiepiscopi compellare amabant? Affirmabantne his nominibus eiusdem episcopi primatum? Hoc non constare videtur. Paucis namque ante concilium Chalcedonense annis, in actione I conciliabuli Ephesini, anno 449 habiti, Olympius quidam Evazensis episcopus (Evaza in Asia sita erat) Dioscorum Alexandrinum qui illi concilio praesidebat « sanctissimum patrem nos-

trum et universalem archiepiscopum » nuncupare non dubitavit [28], et eodem fere anno, seu 518, quo archimandritae et monachi Syriae IIae in sua supplicatione (517) Hormisdam papam « universae orbis terrae patriarcham » agnoscebant, presbyteri, diaconi, monachi Antiochiae, quae caput erat Syriae Iae, aliam supplicationem quandam, Ioanni II Constantinopolitano archiepiscopo et synodo eiusdem ecclesiae missam, his verbis inscribebant: τῷ ὁσιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ καὶ ἁγιωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ Ἰωάννῃ καὶ τῇ ἐνδημούσῃ ἁγίᾳ συνόδῳ [29].

Nec credendum est patriarchas Constantinopolitanos s. VI et VII, cum se oecumenicos vocari sinebant, neque imperatores, cum episcopos Novae Romae eodem titulo honorabant, sic significare voluisse sedem istam in universa ecclesia verum quendam iurisdictionis primatum obtinere. Hoc se illa appellatione demonstrare velle Graeci saltem postea negaverunt. Haec enim narrat Anastasius Bibliotecarius (ob. c. 879) ad Ioannem papam VIII (872-882) scribens, in sua praefatione in acta concilii oecumenici VII (Nicaeni II, 787) [30]:

> Cum, apud Constantinopolim positus, frequenter Graecos super hoc vocabulo oecumenici patriarchae reprehenderem, et fastus vel arrogantiae redarguerem, asserebant quod non ideo oecumenicum, quem multi universalem interpretati sunt, dicerent patriarcham, quod universi orbis teneat praesulatum, sed quod cuidam parti praesit orbis, quae a christianis habitatur. Nam quod Graeci oecumenen vocant, a Latinis non solum orbis, a cuius universitate universalis appellatur, verum etiam habitatio, vel locus habitabilis nuncupatur.

Qua explanatione quid Graeci non voluerint, cum suum patriarcham oecumenicum pronuntiabant, aliquantum manifestatur, vix autem ac ne vix quidem quid voluerint.

Sanctus Gregorius utique appellationem aliter interpre-

---

[28] Mansi, 6, 855 B.
[29] Mansi, 8, 1094 A.
[30] Mansi, 12, 983 AB.

tabatur. « Si unus, aiebat, patriarcha universalis dicitur, patriarcharum nomen ceteris derogatur » [31] et iterum ad Eulogium Alexandrium scribens [32]:

Quod [id est me universalem papam nominare] peto dulcissima mihi sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur quod alteri plus quam ratio exigit, praebetur. Ego enim non verbis quaero prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor universalis ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse [id est papam, quo tītulo Alexandrini episcopi appellari consueverant] quod me fatetur universum. Sed absit hoc. Recedant verba quae vanitatem inflant et caritatem vulnerant.

Quin immo in improbanda illa universalitatis appellatione eo usque ivit ut titulum universalis patriarchae, quo se a suis nuncupari saltem sinebat Ioannes IV Constantinopolitanus episcopus (582-595), « scelestum vocabulum » nominaret [33].

Quae cum ita sint, quomodo fieri potuit ut non multo plus quam quindecim lustris post Gregorii mortem pontifices Romani, contra magni praedecessoris suis sententiam, morem Romanum episcopum titulo universalis papae appellandi saltem sancirent? Quae agendi ratio eo magis mira videtur quod etiam saeculo VIII et IX appellationi patriarchae oecumenici episcopo Constantinopolitano tribui solitae pluries , etiam vehementer, reclamaverunt. Istam mutationem propterea factam esse putamus quod saeculo VII sensim sine sensu mutata est etiam interpretatio appellationis universalis papae. Haec namque magis ac magis visa est ipsum sedis Romanae primatum exprimere, cum sancto Gregorio eiusque decessoribus titulus universalis patriarchae vel universalis papae aliud numquam fuerit quam

[31] *Epistularum* lib. V, epist. 43, PL 77, 771 C.
[32] Lib. VIII, epist. 30, 933 BC.
[33] Lib. V, epist. 19, 744 B.

iniqua occupatio dignitatis quae omnium patriarcharum vel etiam episcoporum communis erat. Novae istius interpretationis indicium nobis habere videmur in epistula quam anno 785 HADRIANUS I Constantino V Porphyrogenito imperatori (780-797) et Irenae eius matri scripsit, conquerens quod in litteris imperialibus quibus sibi electio atque ordinatio novi patriarchae Constantinopolitan Tarasii (784-806) nuntiata erat, hic titulo oecumenici patriarchae appellabatur [34]. Scribit videlicet:

Valde mirati sumus quod in vestris imperialibus iussis pro patriarcha regiae urbis, scilicet Tarasio, directis universalem ibidem eum reperimus exeratum; sed utrum per imperitiam, aut schisma, vel haeresim iniquorum scriptum est, ignoramus. Sed deinceps suademus vestrae clementissimae imperialique potentiae ut minime in suarum exarationum serie universalis describatur. Quia contra sanctorum canonum instituta seu sanctorum patrum traditionem decreta esse videtur. In secundo enim ordine, si non per sanctae nostrae catholicae et apostolicae ecclesiae auctoritatem (sicut in omnibus patet), numquam valuit nomen habere. Quod nimirum si universalis super praelatam sibi sanctam Romanam ecclesiam, quae est caput omnium Dei ecclesiarum, describatur, tamquam sanctarum synodorum rebellem atque haereticum manifestare se certum est. Quia si universalis est, etiam ecclesiae nostrae sedis primatum habere dignoscitur, quod ridiculum omnibus fidelibus christianis apparet. Quia in toto orbe terrarum ad ipso redemptore mundi beato Petro apostolo principatus ac potestas data est; et per eundem apostolum, cuius vel immeriti vices gerimus, sancta catholica et apostolica Romana ecclesia usque hactenus et in aevum tenet principatum ac potestatis auctoritatem. Quatenus, quod non credimus, si quispiam eum universalem nuncupaverit, vel assensum tribuerit, sciat se orthodoxae fidei esse alienum et nostrae sanctae catholicae et apostolicae ecclesiae rebellem.

Ex hac disquisitione, etsi ea certe non omnia documenta quae ad rem nostram pertinent, percensentur, satis perspicue nihilo minus elucere videtur, non solum quinam sit ortus et progressus illius universalis papae appellationis

[34] MANSI, 12, 1074 A-D.

quas laudes carolinae, fere sine exceptione, episcopo Romano deferunt, sed etiam quam significationem isti appellationi assignare potuerint homines latini inde a saeculo VIII et IX.

Vix esset operae pretium etiam appellationis summi pontificis, quae cum titulo universalis papae coniungi solet, historiam enarrare. Demonstrari enim non posse videtur eam plus significare quam illam supremam dignitatem ac potestatem quae propria est singulorum episcoporum in sua ecclesia. Haec est sine dubio vis nominis in *Capitulari Aquisgranensi anni 803*, quod a BENEDICTO LEVITA, anno circiter 840, confictum est. In hoc enim documento summi pontifices alii non sunt quam singularum dioecesium episcopi cathedrales, id est residentiales, iidemque chorepiscopis ac presbyteris opponuntur [35]. Quare exsistimaverimus titulum summi pontificis in nostris laudibus congruere cum appellatione archiepiscopi quam Orientales saeculo VI et VII cum appellatione oecumenici patriarchae vel papae coniungere consueverant.

Quod denique ad adclamationem graecam: « Ioannis apostolici multi anni » attinet, liquet eam pari modo ex adclamationibus byzantinis esse derivandam. Sexcenties enim in actis conciliorum Chalcedoniae, Constantinopoli, Nicaeae vel in aliis civitatibus Graecis habitorum, occurrit adclamatio Πολλὰ τὰ ἔτη, cum saltem a saeculo V appellatio apostolici propria episcopi Romani iam fuerit [36].

---

[35] Edit. St. BALUZE, *Capitularia regum Francorum*, t. I, col. 382; 1115-2116; G. H. PERTZ, MGH, SS., t. II, pars 2, p. 128. Cfr. de eadem appellatione FOLCARDUS monachus Sithivensis, *De inventione et elevatione S. Bertini;* Narratio auctoris, n. 8, PL 147, 1155 AB; MILO CRISPINUS, *Vita b. Lanfranci*, n. 19, PL 150, 45 C; GISLEBERTUS CRISPINUS, *Vita b. Herluini abbatis Beccensis*, PL 150, 699 A; BARONIUS, *Annales*, ad annum 307, num. 61.

[36] Vide v. g. in *Collectione Avellana* epist. 80 (Domino sancto apostolico et beatissimo patri patrum Gelasio papae urbis Romae humiles episcopi Dardaniae); epist. 163 (Domino meo beatissimo et apostolico patri Hormisdae archiepiscopo universali ecclesiae Pompeius); epist. 166; epeist. 187, etc. Edit. O. GUEN-

IV.

DE SANCTORUM INVOCATIONIBUS

Duo sunt in laudibus carolinis modi ordinandi invocationes sanctorum: alter servatur in laudibus quae unam tantum adclamationem continent (B, 1-6; C, 3, 4; D, 1, 3, 5-7; E), alter in iis quae plures complectuntur (A, 1-10; C, 1, 2; D, 2, 4; F, 1-9).

Prior modus in hoc est quod ex singulis sanctorum choris, post invocationem Salvatoris mundi et sanctae Mariae, e singulis sanctorum choris, qui sex numero sunt, terni sancti eliguntur (cfr. D, 1, 5). Secundum istam legem mox constituta est series quam exhibent ordines coronationis papae (D, 1-6), *Ordo ad benedicendum et coronandum imperatorem* (C. 3), *Caeremoniale Romanum* Patritii (C, 4), ordinarium ecclesiae Romanae apud Albinum, l. XI, 26 (D, 3).

Eam descriptam reperiet lector in prima parte huius dissertationis, *Periodica*, t. 30, p. 292-293. De qua serie haec sunt notanda. Mirum sane est quod invocatio sancti Ioannis Baptistae sola est inter duos contextus ternarum invocationum; veri simile autem est illam Praecursoris invocationem prius coniunctam fuisse cum invocationibus Salvatoris et Sanctae Mariae, eamque postea ab iis esse divisam, cum adiunctae sunt invocationes trium archangelorum. Vix enim credendum est Ioannis invocationem unquam ante invocationes archangelorum poni potuisse. Casu factum esse videtur ut in ordinario quod continet *Liber politicus* Benedicti et in ritu cardinalem creandi (D, 1, 5), omissa sit in principio invocatio Salvatoris mundi. Eodem modo explicandum est quod in plerisque ordinibus coronationis papae (B, 2-6) et in ordinario romano Caietani

---

ther, *Epistulae imperatorum, pontificum, aliorum*, CSEL, 1, 35, p. 223, 614, 617, 644 etc.

(D, 7) omissae sunt invocationes Sanctorum Laurentii, Vincentii et Silvestri.

Alter modus disponendi sanctorum invocationes subiungit unicuique adclamationi, post Christi salvatoris vel redemptoris invocationem, praecipuam aliquam sanctorum seriem, ita ut, quantum fieri potest, singulae series cum singulis adclamationibus congruant. Huius rationis duo exempla proposuimus in prima nostrae dissertationis parte, *Periodica*, 30, p. 283-284; 285-286. Ut autem lectori integram notitiam praebeamus diversarum complexionum quibus in laudibus carolinis sanctorum invocationes cum adclamationibus coniungantur, eas hic schematice proponimus.

Adclamationes	Invocationes	Exempla
Papae	Salvat., apostolorum	A, 1, 10 (? Salv. *om.*); F, 1, 2, 4, 5, 8
	Salvat., apost., paparum	A, 2, 6, 9 (Cyriaci *add. in fine*)
	Salvat., s. Mariae, archang.	F, 3
	Redempt., apost.	F, 7
	Salvatoris (tantum)	C, 1; D, 2, 4
Imperatoris	Salvatoris, Ioann., alior. quoruml.	A, 1
	Redempt., s. Mariae, archang., Ioann.	A, 6
	Redempt., archang., Ioann., Steph.	F, 2
	Protectoris, 2 ss. militum, s. regis	F, 4
	S. Mariae (tantum)	C, 1; D, 2, 4
	Archang. (tantum)	F, 8
Regis	Redempt., s. Mariae, archang., Ioann., Steph.	A, 2, 9 (Lini *add. in fine*)
	Redempt., s. Mariae, archang.	F, 5
	Protectoris, 2 ss. militum, s. regis	F, 1
	Salvat., Steph., Dionys., 2 ss. Bellovac.	F, 3
	Salvat., archang.	F, 7

	Trium sanctorum	F, 8
	Nullius	A, 10
Imperatricis	S. Mariae, 2 sanct. feminarum mart.	F, 8
Reginae	S. Mariae(?), aliar. virg. quaruml.	A, 1
	Dei genetr., 3 ss. fem. mart.	A, 6
	Lucis mundi, 3 ss. fem. mart., 1 monial.	F, 1 4
	S. Mariae, 2 ss. monial. Germanicarum	F, 2
	Redempt., 4 ss. fem. mart.	F, 3
	Redempt., Dei genetr., 2 ss. fem. mart.	F, 7
	Trium ss. fem. mart.	F, 8
Prolis	Salvat., Ioann., alior. ss. quoruml.	A, 1
	Mauricii alior. ss. quoruml.	A, 1
	Martini, alior. ss. quoruml.	A, 1
	Sanctorum quorumlibet	A, 1
	Virginis virg. scor. et scar. div.	A, 2
	Petri (tantum)	C, 1; D, 2, 4
	Trium sanctorum	F, 2
Episcopi	Steph., sanct. et sanctar. divers.	A, 6
	Sex ss. fem. mart.	A, 9
	Salvat.(?), Panag., Mich.(?), Ioann.(?)	A, 10
	Redempt., 3 sanctor. Vesontionensium	F, 1, 4
	Trium episcoporum	F, 2
	Redempt., 4 apost.	F, 3
	Trium episcop. Remensium	F, 5
	Redempt., Gregorii, 2 episc. Suession.	F, 7
	Trium sanctorum	F, 8
Cleri	Apollinaris, 5 sanctor. diversor.	A, 9
	Trium doctorum	F, 8
Ducis	Unius episcopi, 2 ss. militum	F, 2
Iudicum et Exercitus	Sex sanctor. diversorum	A, 2
	Quinque sanctor. diversorum	A, 6
	Remigii	A, 1
	Septem sanctor. diversorum	A, 9
	Salvationis nostr., 3 ss. militum	F, 1, 4, 8 (Salv. n. *om.*)
	Unius ep. mart., 2 ss. militum	F, 2
	Martini, Dionysii	F, 5

	Redempt., Steph., Gervasii, Protasii	F, 7
Exercitus tantum	Theodori	C, 1; D, 2, 4

In ordine *Cencii II°* (C, 2), contra communem usum, omnes adclamationes in principio laudum positae sunt, easque subsequuntur cunctae invocationes: Salvatoris mundi, 3 archangelorum, 2 apostolorum, Ioannis Baptistae, 3 ss. militum.

V.

DE DOXOLOGIIS

Consilium nostrum erat etiam doxologiarum, praesertim praeconii « Christus vincit », etc. historiam indagare. Plus autem in hac re praestare non possumus, quam quod iam dudum factum est [37]. Verisimile namque est istas formulas esse exeunte saeculo VIII in ecclesia aliqua regni Francorum conscriptas; nullum enim indicium est eas umquam fuisse in ipsa ecclesia Romana adhibitas. Principium tamen aliquod seu fundamentum compositioni praeconii « Christus vincit » praebuisse videtur formula Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ quae opera Constantini imperatoris (741-775) et socii eius ac filii Leonis IV (751-775) nummis byzantinis imprimi coepta est. Existimaverit fortasse quis laudem Christi vincentis, regnantis, imperantis fuisse Caroli Magni victoris, regno, imperio aliquo modo connexam, tamquam in his eventibus ipse Christus triumphaverit. Sed isti hypothesi contradicit quod iam ante institutionem imperii carolingici, cum Carolus rex tantum erat necdum coronatus, idem praeconium iam exstiterat, ut ex duobus primis exemplis liquet.

Ioannes Michael Hanssens S. I.

---

[37] H. Leclercq *Laudes gallicanae*, DACL, VIII, 1908-1909.

MONUMENTA

1 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Allocutio natalitia*

... Di fronte alla vastità del disastro, originato dagli errori indicati, non si offre altro rimedio, se non il ritorno agli altari, a' pie' dei quali innumerevoli generazioni di credenti attingevano già la benedizione e l'energia morale per il compimento dei propri doveri; alla fede, che illuminava individui e società e insegnava i diritti e i doveri spettanti a ciascuno; alle sagge e incrollabili norme di un ordine sociale, le quali nel terreno nazionale, come in quello internazionale, ergono un'efficace barriera contro l'abuso della libertà, non altrimenti che contro l'abuso del potere. Ma il richiamo a queste benefiche sorgenti ha da risonare alto, persistente, universale, nell'ora in cui il vecchio ordinamento sarà per scomparire e cedere il passo e il posto a un nuovo.

La futura ricostruzione potrà presentare e dare preziose facoltà di promuovere il bene, non scevre anche di pericoli di cadere in errori, e con gli errori favorire il male; ed esigerà serietà prudente e matura riflessione, non solo per la gigantesca arduità dell'opera, ma ancora per le gravi conseguenze che, qualora fallisse, cagionerebbe nel campo materiale e spirituale; esigerà intelletti di larghe vedute e volontà di fermi propositi, uomini coraggiosi

---

* Cfr. *AAS.* XXXIV, 15 ss. Eam partem allocutionis referimus, quae de nonnullis postulatis essentialibus veri ordinis agit.

e operosi, ma, sopra tutto e avanti tutto, coscienze, le quali nei disegni, nelle deliberazioni e nelle azioni siano animate e mosse e sostenute da un vivo senso di responsabilità, e non rifuggano dall'inchinarsi davanti alle sante leggi di Dio; perchè, se con la vigoria plasmatrice nell'ordine materiale non si accoppierà somma ponderatezza e sincero proposito nell'ordine morale, si verificherà senza dubbio la sentenza di S. Agostino: « *Bene currunt, sed in via non currunt. Quanto plus currunt, plus errant, quia a via recedunt* ». « Corrono bene, ma non corrono nella via. Quanto più corrono, più errano, perchè recedono dalla via » (*Serm.* 141 cap. 4 - Migne PL, t. 83 col. 777).

Nè sarebbe la prima volta che uomini, i quali stanno nell'aspettazione di cingersi del lauro di vittorie guerresche, sognassero di dare al mondo un nuovo ordinamento, additando nuove vie, a loro parere, conducenti al benessere, alla prosperità e al progresso. Ma ogni qualvolta cedettero alla tentazione d'imporre la loro costruzione contro il contame della ragione, della moderazione, della giustizia nella nobile umanità, si trovarono caduti e stupiti a contemplare i ruderi di speranze deluse e di progetti abortiti. Onde la storia insegna che i trattati di pace, stipulati con spirito e condizioni, contrastanti sia con i dettami morali sia con una genuina saggezza politica, mai non ebbero vita, se non grama e breve, mettendo così a nudo e testimoniando un errore di calcolo, umano senza dubbio, ma non per questo meno esiziale.

Ora le rovine di questa guerra sono troppo ingenti, da non dovervisi aggiungere anche quelle di una pace frustrata e delusa; e perciò ad evitare tanta sciagura, conviene che con sincerità di volere e di energia, con proposito di generoso contributo, vi cooperino, non solo questo o quel partito, non solo questo o quel popolo, ma tutti i popoli, anzi l'intera umanità. E' un'intrapresa universale di bene comune, che richiede la collaborazione della Cristianità, per

gli aspetti religiosi e morali del nuovo edificio che si vuol costruire.

Facciamo quindi uso di un nostro diritto o, meglio, adempiamo un Nostro dovere, se oggi, alla vigilia del Santo Natale, divina aurora di speranza e di pace per il mondo, con l'autorità del Nostro ministero apostolico e il caldo incitamento del Nostro cuore, richiamiamo l'attenzione e la meditazione dell'universo intero sui pericoli che insidiano e minacciano una pace, la quale sia acconcia base di un vero nuovo ordinamento e risponda all'aspettazione e ai voti dei popoli per un più tranquillo avvenire.

* * *

Tale nuovo ordinamento, che tutti i popoli anelano di veder attuato, dopo le prove e le rovine di questa guerra, ha da essere innalzato sulla rupe incrollabile e immutabile della legge morale, manifestata dal Creatore stesso per mezzo dell'ordine naturale e da Lui scolpita nei cuori degli uomini con caratteri incancellabili. Ogni legge morale, la cui osservanza deve venir inculcata e promossa dall'opinione pubblica di tutte le Nazioni e di tutti gli Stati con tale unanimità di voce e di forza, che nessuno possa osare di porla in dubbio o attenuarne il vincolo obbligante.

Quale faro splendente, essa deve coi raggi dei suoi principii dirigere il corso dell'operosità degli uomini e degli Stati, i quali avranno da seguirne le ammonitrici, salutari e proficue segnalazioni, se non vorranno condannare alla bufera e al naufragio ogni lavoro e sforzo per stabilire un nuovo ordinamento. Riassumendo pertanto e integrando quel che in altre occasioni fu da Noi esposto, insistiamo anche ora su alcuni presupposti essenziali di un ordine internazionale, che, assicurando a tutti i popoli una pace giusta e duratura, sia feconda di benessere e di prosperità.

1) Nel campo di un nuovo ordinamento fondato sui principi morali, non vi è posto per la lesione della libertà,

dell'integrità e della sicurezza di altre Nazioni, qualunque sia la loro estensione territoriale o la loro capacità di difesa. Se è inevitabile che i grandi Stati, per le loro maggiori possibilità e la loro potenza, traccino il cammino per la costituzione di gruppi economici fra essi e le Nazioni più piccole e deboli; è nondimeno incontestabile — come per tutti, nell'ambito dell'interesse generale — il diritto di queste al rispetto della loro libertà nel campo politico, alla efficace custodia di quella neutralità nelle contese fra gli Stati, che loro spetta secondo il *gius* naturale e delle genti, alla tutela del loro sviluppo economico, giacchè soltanto in tal guisa potranno conseguire adeguatamente il bene comune, il benessere materiale e spirituale del proprio popolo.

2) Nel campo di un nuovo ordinamento fondato sui principi morali, non vi è posto per la oppressione aperta o subdola delle peculiarità culturali e linguistiche delle minoranze nazionali, per l'impedimento e la contrazione delle loro capacità economiche, per la limitazione o l'abolizione della loro naturale fecondità. Quanto più coscienziosamente la competente autorità dello Stato rispetta i diritti delle minoranze, tanto piu sicuramente ed efficacemente può esigere dai loro membri il leale compimento dei doveri civili, comuni agli altri cittadini.

3) Nel campo di un nuovo ordinamento fondato sui principi morali, non vi è posto per i ristretti calcoli egoistici, tendenti ad accaparrarsi le fonti economiche e le materie di uso comune, in maniera che le Nazioni, meno favorite dalla natura, ne restino escluse. Al qual riguardo Ci è di somma consolazione il vedere affermarsi la necessità di una partecipazione di tutti ai beni della terra anche presso quelle Nazioni, che nell'attuazione di questo principio apparterrebbero alla categoria di coloro « che danno » e non di quelli « che ricevono ». Ma è conforme a equità che una soluzione di tale questione, decisiva per l'economia del mondo, avvenga metodicamente e progres-

sivamente con le necessarie garanzie, e tragga ammaestramento dalle mancanze e dalle omissioni del passato. Se nella futura pace non si venisse ad affrontare coraggiosamente questo punto, rimarrebbe nelle relazioni tra i popoli una profonda e vasta radice germogliante amari contrasti ed esasperate gelosie, che finirebbero col condurre a nuovi conflitti. Occorre però osservare come la soddisfacente soluzione di questo problema strettamente vada connessa con un altro cardine fondamentale di un nuovo ordinamento, del quale parliamo nel punto seguente.

4) Nel campo di un nuovo ordinamento fondato sui principi morali, non vi è posto — una volta eliminati i più pericolosi focolai di conflitti armati — per una guerra totale nè per una sfrenata corsa agli armamenti. Non si deve permettere che la sciagura di una guerra mondiale con le sue rovine economiche e sociali e le sue aberrazioni e perturbazioni morali si rovesci per la terza volta sopra l'umanità. La quale perchè venga tutelata lungi da tale flagello, è necessario che con serietà e onestà si proceda a una limitazione progressiva e adeguata degli armamenti. Lo squilibrio tra un esagerato armamento degli Stati potenti e il deficiente armamento dei deboli crea un pericolo per la conservazione della tranquillità e della pace dei popoli, e consiglia di scendere a un ampio e proporzionato limite nella fabbricazione e nel possesso di armi offensive.

Conforme poi alla misura, in cui il disarmo venga attuato, sono da stabilirsi mezzi appropriati, onorevoli per tutti ed efficaci, per ridonare alla norma « *pacta sunt servanda* » « i patti devono essere osservati » la funzione vitale e morale, che le spetta nelle relazioni giuridiche fra gli Stati. Tale norma, che nel passato ha subito crisi preoccupanti e innegabili infrazioni, ha trovato contro di sè una quasi insanabile sfiducia tra i vari popoli e i rispettivi reggitori. Perchè la fiducia reciproca rinasca devono sorgere istituzioni, le quali, acquistandosi il generale rispetto, si dedichino al nobilissimo ufficio, sia di garantire

il sincero adempimento dei trattati, sia di promuoverne, secondo i principi di diritto e di equità, opportune correzioni o revisioni.

Non Ci nascondiamo il cumulo di difficoltà da superarsi, e la quasi sovrumana forza di buona volontà richiesta a tutte le parti, perchè convengano a dare felice soluzione alla doppia impresa qui tracciata. Ma questo lavoro comune è talmente essenziale per una pace duratura, che nulla deve rattenere gli uomini di Stato responsabili dall'intraprenderlo e cooperarvi con le forze di un buon volere, il quale, guardando al bene futuro, vinca i dolorosi ricordi di tentativi non riusciti nel passato, e non si lasci atterrire dalla conoscenza del gigantesco vigore, che si domanda per tale opera.

5) Nel campo di un nuovo ordinamento fondato sui principi morali, non vi è posto per la persecuzione della religione e della Chiesa. Da una fede viva in un Dio personale trascendente si sprigiona una schietta e resistente vigoria morale che informa tutto il corso della vita; perchè la fede non è solo una virtù, ma la porta divina per la quale entrano nel tempio dell'anima tutte le virtù, e si costituisce quel carattere forte e tenace che non vacilla nei cimenti della ragione e della giustizia. Ciò vale sempre; ma molto più ha da splendere quando così dall'uomo di Stato, come dall'ultimo dei cittadini si esige il massimo di coraggio e di energia morale per ricostruire una nuova Europa e un nuovo mondo sulle rovine, che il conflitto mondiale con la sua violenza, con l'odio e la scissione degli animi ha accumulate. Quanto alla questione sociale in particolare, che al finir della guerra si presenterà più acuta, i Nostri Predecessori e anche Noi stessi abbiamo segnato norme di soluzione; le quali però convien considerare che potranno seguirsi nella loro interezza e dare pieno frutto solo se uomini di Stato e popoli, datori di lavoro e operai, siano animati dalla fede in un Dio personale, legislatore e vindice, a cui devono rispondere delle loro azioni. Perchè,

mentre l'incredulità, che si accampa contro Dio, ordinatore dell'universo, è la più pericolosa nemica di un giusto ordine nuovo, ogni uomo, invece, credente in Dio ne è un potente fautore e paladino. Chi ha fede in Cristo, nella sua divinità, nella sua legge, nella sua opera di amore e di fratellanza fra gli uomini, porterà elementi particolarmente preziosi alla ricostruzione sociale; a maggior ragione, più ve ne porteranno gli uomini di Stato, se si dimostreranno pronti ad aprire largamente le porte e spianare il cammino alla Chiesa di Cristo, affinchè, libera e senza intralci, mettendo le sue soprannaturali energie a servigio dell'intesa tra i popoli e della pace, possa cooperare col suo zelo e col suo amore all'immenso lavoro di risanare le ferite della guerra.

Ci riesce perciò inspiegabile come in alcune regioni disposizioni molteplici attraversino la via al messaggio della fede cristiana, mentre concedono ampio e libero passo a una propaganda che la combatte. Sottraggono la gioventù alla benefica influenza della famiglia cristiana e la estraniano dalla Chiesa; la educano in uno spirito avverso a Cristo, instillandovi concezioni, massime e pratiche anticristiane; rendono ardua e turbata l'opera della Chiesa nella cura delle anime e nelle azioni di beneficenza; disconoscono e rigettano il suo morale influsso sull'individuo e la società: determinazioni tutte che lungi dall'essere state mitigate o abolite nel corso della guerra, sono andate sotto non pochi riguardi inasprendosi. Che tutto questo, e altro ancora, possa essere continuato tra le sofferenze dell'ora presente è un triste segno dello spirito, con cui i nemici della Chiesa impongono ai fedeli, in mezzo a tutti gli altri non lievi sacrifici, anche il peso angoscioso di un'ansia d'amarezza, gravante sulle coscienze.

Noi amiamo, Ce n'è testimonio Dio, con uguale affetto tutti i popoli senza alcuna eccezione; e per evitare anche solo l'apparenza di essere mossi da spirito di parte, Ci siamo imposti finora il massimo riserbo; ma le disposizioni

contro la Chiesa e gli scopi, che esse perseguono, sono tali da sentirCi obbligati in nome della verità a pronunziare una parola, anche perchè non ne nasca, per disavventura, smarrimento tra i fedeli ...

Annotationes

INTRODUCTIO

Festa natalitia Domini Nostri Iesu Christi novam opportunitatem praebuerunt Romano Pontifici ut verba plena commiserationis et sapientiae universae familiae humanae faceret. Iure asseri potest nihil ab eo non tentari ut tanquam pater benigne soletur pondere calamitatum opressos, et tanquam supremus veritatis magister viam indicet unicam, quam necessario ingredi debent sive singuli homines sive populi, si tandem aliquando periculum repetitionis periodicae tam horrendi exitii efficaciter eliminare intendatur.

Et re vera spectaculum, quod fere ex universo orbe oculis Patris communis sese offert, eiusmodi est ut non possit non concuti acerbo dolore eius cor amantissimum. Hinc enim habetur frequens exercituum collisio, qua sanguis spargitur morsque seminatur sine fine, inde vero aparet ingens multitudo eorum, qui vel membris corporis vel cara libertate sunt violenter privati. Nec satis; nam ex campo praelii debet iam converti acies oculorum ad magnas urbes vel ad centra fabrilia, ubi ope aërearum machinarum, et numerus occissorum augetur, et destructio fontium prosperitatis materialis indefesse continuatur.

Consectarium vero naturale et quasi necessarium huiusmodi effrenatae destructionis illud est, quod ubicumque machinae belicae mortiferam suam vim exseruerint, ibi et summa indigentia innumerae gentes torqueantur. Quo fieri non poterit quin et numerus eorum, qui morti succum-

bunt, crescat continuo et inedia, qua tot pueri adolescentesque hodierni conficiuntur, adultos proximae aetatis maxime infirmos praeparet. Quibus si addas ingentissimos sumptus, quos hodierni belli prosecutio implacabiliter fert secum, iam fortasse coniectura assequi poteris quanto pondere debitorum in fine huius immanis conflictus futuri Status obruentur. Funestis ergo sequelis praesentis belli, etiam cessato armorum strepitu, diu familia humana crudeliter vexabitur.

Atque hucusque non nisi damna materialia adumbravimus. Quid quod pari tempore, aestuante cupidine, conceptus ipsi iusti et iniusti, immo et boni et mali in genere, veluti obscurentur, atque hoc modo vis physica, ne dicam violentia belluina, sedem occupet augustam, quae unice competit sacrosancto et immutabili iuri?

Certe multiplicantur, ut ait R. Pontifex, in his gravibus adiunctis egregia exempla intrepidi animi in propria patria iustitiaque defendenda; multiplicantur actus heroici, sive in acerbis doloribus perferendis, sive in supremis sacrificiis acceptandis pro triumpho universali veritatis et iustitiae; libet profecto haec agnoscere laudibusque extollere; sed simul asserere licet ea omnia sublimiora evasura esse, si non ad destructionem mutuam, sed ad cooperationem fraternam adhiberentur.

Sane adiuncta difficilia facile impellunt animos ad actus heroicos perficiendos; ast non necessario debent bella exitialia excitari ut haec rerum condicio de facto habeatur. Aderunt enim semper, etiam sine bello, obiecta dignissima in quae generosi animi possint ardenti flagrare amore, aderunt insuper in qualibet plaga mundi necessitates humanae, quae non nisi per completum et continuum sacrificium efficaciter sublevari possint. Dirigantur ergo in hunc nobilissimum scopum vires pretiosae, quae in cordibus humanis latent, et sic habebuntur facta, eo maiore admiratione digna, quo in eis peragendis et maior libertas datur et diuturnior constantia generatim requiritur.

Nec cum bellum damnatur, ideo contemnitur progressus technicus, qui fortasse in machinis perficiendis obtineatur; nam quislibet progressus materialis, quo vires in sinu naturae reconditae deteguntur, est omni laude dignus Deoque gratus. Deplorandum nihilominus quod per fatalem portam belli novae acquisitiones technicae suum ingressum in dicionem familiae humanae facere debeant. Et sane, si fingatur deficiente bello retardandum esse gressum vel in via scientiarum percurrenda, vel in machinis perficiendis, absque ulla haesitatione deberet reici bellum et eligi haec qualiscumque cunctatio.

Pari tempore non potest non reprehendi fortiter immanis abusus novorum mediorum, quae homines ope progressus obtinent. Quid enim iuvat nova detegi media, quibus vel profunda maris permeari, vel aetherea spatia circumvolari queant, si dein ea in ruinam et exitium generis humani adhibentur? Solus honestus usus rerum, quas nobis progressus identidem offert, est conformis voluntati Dei familiaeque humanae utilis. Sed hic honestus usus rerum principia moralia praesupponit, quae non nisi verae religionis solidissimo fundamento suffulta subsistere possunt.

FONS CALAMITATUM

Aperte profitetur R. Pontifex defectum veri spiritus christiani causam fuisse tot calamitatum publicarum. Grassante corruptione morum, paulatim transitus factus est ad negandas veritates fundamentales, quae homines verum et bonum edocent, ad eliminandas vires, quae honestatem vitae, sive privatae sive publicae, roborant atque fovent.

Ad hanc autem eversionem peragendam non parum contulit impia illa conspiratio, quae sub tolerantia, si iam non sub ductu immediato ipsius auctoritatis publicae, omni qua poterat ratione fidem in Deum radicitus evellere, Christi Ecclesiam funditus destruere contendebat. Fuerunt

profecto populorum rectores omni laude dignissimi, qui doctrinae christianae thesaurum spiritualem non ignorantes, amice cum Ecclesia composuerunt quidquid spectat ad sanctitatem matrimonii christiani tuendam et ad rectam institutionem iuventutis curandam. Sed haec ampla libertatis concessio potius rara dicenda est et quandoque non venit nisi postquam irreligiositas magnam ubique stragem fecerit.

In hac igitur confusione animorum fieri non potest quin cupiditas rerum materialium voluptatisque terrenae magis magisque invalescat. Cum vero in hoc mundo nondum suppetat tanta bonorum materialium copia, quae huic ardenti cupiditati explendae sufficiat, sponte fit ut lucta exoriatur implacabilis, sive inter diversos coetus sociales, sive inter varios populos et Status.

Hinc quod in campo oeconomico potentes associationes alias modestiores suffocent atque destruant, hinc etiam quod non pauci, finem proprietatis privatae pervertentes, labore operariorum in personale commodum abutantur, et vicissim operarii, viribus unitis, non tam defensionem propriorum iurium quam plenam destructionem potentioris coetus socialis contendant; hinc demum quod ad magnas civitates, quae faciliorem aditum praebent ad divitias congerendas voluptatesque perfruendas, gentes confluant undequaque.

In campo vero politico acris accendebatur lucta pro summa potestate publica arripienda, quae non raro dein adhibebatur ad omne ius, sive singularum personarum, sive associationum particularium supprimendum; praevalebat nempe doctrina quae profitetur vim posse gignere verum ius. Atque in hac via eo usque fuerunt nonnulli progressi, ut conceptum Status atheum vel saltem antichristianum effingentes singulas personas omni independentia in vita sive privata sive publica penitus expoliarint.

Mirum ergo videri non debet quod in his adiunctis etiam in campo internationali effrenata cupiditas expansionis do-

minata fuerit, quae legis moralis immutabilia dictamina penitus negligit. Religio languescit ubique, sive in Europa sive in aliis regionibus mundi; religio, inquam, vera; nec enim eius vices supplere potest quaedam veluti umbra religionis, quae mythis sive nationalibus sive internationalibus innitatur, vel nomine et involucro quodam externo religionis christianae sit contenta.

Excitari debet igitur spiritus christianae religionis in iis omnibus, qui se christianos nuncupare amant; cum non raro deformatio religionis etiam inter illos eo usque procedat, ut simul non vereantur carnali concupiscentiae indulgere, aurum argentumque aucupari, honori dominationique inhiare. Id autem quid aliud est nisi velo et nomine christianae religionis spiritum prorsus mundanum obtegere? Ex quo fit ut non remaneat in praxi nisi quoddam involucrum materiale, spiritu Christi prorsus destitutum, vel nova creetur religio nulla vera anima informata.

Utique huiusmodi religio, vel potius irreligio, incapax est praebendi remedia efficacia ad graves morbos, quibus affligitur societas humana, persanandos; sed non idem dici potest de genuina religione christiana, quae, nunquam impar officio suo, indesinenter et mentes serena luce illustrat et voluntates copiosis viribus locupletat.

FUNDAMENTUM NOVI ORDINIS

Primum vero quod haec sacrosancta religio a nobis expostulat in eo consistit, scilicet quod omnes, sive privati cives sive rectores populorum, humiliter se subiciant legi morali, quae a Deo, velut a supremo fonte, proveniens manifestatur nobis per dictamen conscientiae.

Id si fiat sincere, sponte enascentur sapientes illae normae veri ordinis, quae abusus in exercitio sive libertatis personalis sive supremae potestatis in vita publica adeo faciles, efficaciter compescent. Qua de re observantia legis moralis, quae ab ipso auctore naturae nostris cordibus fuit

insita, debet ita indefesse promoveri et urgeri, ut iam in posterum nullus sit, qui publice eam vel denegare vel conculcare audeat. Sic fieri poterit ut aedificium novi ordinis, de quo tam frequenter solet nunc esse sermo, firmissima tandem rupe conquiescat. Quale quantumque momentum tribuat R. Pontifex huic principio iam ex eo colligitur, quod in exponendis singulis punctis pro futura pace in memoriam semper revocet agi de *novo ordine instaurando, qui principiis moralibus innitatur.*

Haec ergo principia moralia debebunt prae oculis haberi ab illis qui immediate post bellum paci instaurandae vacabunt. Id ut ita fiat, debebit universa familia humana absque ulla distinctione eniti.

QUALIS DEBET ESSE NOVUS ORDO

Itaque Sumus Pontifex pro iure et officio altissimi muneris quo fungitur, quaedam postulata esentialia exponit illius legis naturalis, quam revereri debebunt qui stabili pace familia humanam donare velint.

Integritas territorialis omnium Statuum, qualiscumque sit eorum vel magnitudo vel potentia bellica, sancta sit atque inviolabilis apud omnes.

Potest utique contingere ut magni Status vi prosperitatis materialis quasi trahant minores ad propriam orbitam oeconomicam. Id cum accidat, ius simul ac bonum generale familiae humanae expostulant ut libertas politica parvorum Statuum intacta maneat, ita ut in ipsis contentionibus forte inter potentes Status exortis possint de facto, prout ius gentium et naturale poscit, neutram partem amplecti, quin teneantur necessario huic vel alteri parti adhaerere. Immo et ipsa interdependentia oeconomica, de qua supra, ita erit moderanda ut neque in hoc ordine veluti suffocetur vita propria parvorum Statuum, cum proportionata evolutio oeconomica necessaria sit ad bonum

commune sive materiale sive spirituale propriis civibus procurandum.

Haec omnia iura, quae cuilibet Statui vere independenti nequeunt absque iniuria abiudicari, debent secure possideri etiam a parvis Statibus, ut sic possint tranquille proprio fini assequendo incumbere. Haec autem securitas haberi nequit, dum timor fundatus violationis huiusmodi iurium a vita internationali penitus non depellatur.

Cum dentur Status diversos populos vel nationes complectentes, singulae portiones ethnicae quaedam iura possident a natura ipsa profluentia, quae auctoritas publica, cui subiciuntur, tenetur sincere agnoscere sancteque revereri. Vitanda est igitur oppressio tam linguae quam culturae propriae cuiuslibet populi, etsi parvus sit numero, nec impediendus erit in eo progressus oeconomicae vitae, quae est necessaria ad peculiarem thesaurum ethnicum conservandum et evolvendum; secus libertas verbis data factis destrueretur, seu subdola daretur oppressio quam pari modo improbat R. Pontifex.

Multo minus licet auctoritati publicae destruere vel coarctare contra illa verba Domini « crescite et multiplicamini », fecunditatem alicuius populi, ut sic diversitas ethnica, intra limites alicuius Status forte exsistens, paulatim dispareat. Tristitiam parit quod in nostra aetate, de triumphis civilis cultus adeo superba, necessarium evadat has primarias normas vitae socialis denuo inculcare.

Venusta varietas, qua familia humana ipsa impellente natura exornata fuit, non debet vi supprimi aut subdole suffocari, sublatis scilicet mediis ad eam et conservandam et convenienter evolvendam. Linguae et stirpes singulae, aiebat ille vir in vita publica nostrae aetatis haud ignotus, ferunt secum adeo pretiosas vires spirituales, tam egregio thesauro affectuum stipantur, ut contra quodlibet sive tentamen rebellionis sive genus oppressionis, veluti res sacrae, protegi atque defendi mereantur.

Itaque, si auctoritas Status, intra cuius dicionem portio aliqua ethnica peculiaris exsistit, unitatem cum uniformitate perperam confundens, huiusmodi fundamentalia iura pertinaciter violaret, vere indigna evaderet ut ulterius suam potestatem in illum populum, qualiscumque sit eius magnitudo, exercere pergat.

Sed et ipsa ars politica suadet non laedere quae ad intima cuiusque populi pertinent; nulli enim Statui utile esse potest in sinu suo compactam aliquam multitudinem habere, quae ex iustis causis hostilem animum servet. Ex alia vero parte quo magis auctoritas aliqua suprema Status iura illius portionis ethnicae, quae minor sit, revereatur, eo suavius et efficacius poterit obtinere ab eius membris observantiam officiorum omnibus civibus communium.

Singuli Status illuc tendere debent, scilicet ut eam prosperitatem materialem civibus procurent, quae praesenti rerum condicioni conveniat; hinc quod limes aliquis sit imponendus cupidini possidendi monopolium fontium oeconomicorum et rerum usus, vel necessarii vel summe utilis, a quibus excludi non oportet Status, quorum territoria his donis naturae non gaudeant.

En quaestio fundamentalis, quam auctores futurae pacis debebunt intrepide aggredi, ut erroribus defectibusque praeteriti temporis detectis viam inveniant aptam, qua methodice et gradatim hoc problema nimii discriminis oeconomici solvatur. Hoc enim si insolutum manet, radix relinqueretur periculosissima, ex qua fere continuo contentiones et cupiditates exsurgerent, quae decursu temporis denuo impellerent diversos Status, quasi ineluctabili impetu, ad exitialia bella movenda. Cessiones vero, in hoc ordine factae, nonne compensarentur abunde diminutione sumptuum, quos defensio armata eiusmodi iniusti monopolii imponit? Solatio perfunditur animus R. Pontificis considerantis unanimem consensum, qui in hac re adeo magni momenti peractus videtur, saltem si fidem praestare licet assertis hominum publicorum, qui omnes, non exclusis iis

qui in hac hypothesi datoris potius partes agere deberent, liberum accessum omnium populorum ad fontes prosperitatis praedicant atque defendunt.

His praesuppositis, transitum facere licet ad aliud punctum specialis momenti. Semel ac quaestiones indolis politicae, ethnicae et oeconomicae compositae fuerint secundum normas supra descriptas, iam asserere licet in novo ordine nullum locum posse relinqui bello, simili huic quod nunc patimur, vel concursui effrenato in bellica praeparatione peragenda. Loquenti de bello occurrunt continuo memoranda verba Pii XI s. m. Bella, aiebat S. Pontifex, etiam in favorabiliore hypothesi, tremendum quid atque inhumanum necessario prae se ferunt. In eis namque homines se mutuo trucidandos quaerunt, quo plures eo melius; in eis, inquam, intenditur inferre damnum sive personis sive rebus hostium ope machinarum in dies potentiorum ad stragem et mortem seminandam.

Nihil igitur debet non tentari ad arcendum periculum ne bellum generale, cuius tristissimis sequelis torquetur nunc familia humana, ingruat tertio in hunc mundum. Nonne quaerere licet quae bona possent obtineri per bellum adeo magna, ut proportionata dicantur malis, certo ex usu huius medii obventuris? Vix enim potest iam concipi, saltem in Europa, bellum quod secum non ferat grave periculum detrudendi integram regionem in eandem tristissimam calamitatem. Quot autem quantaque mala huiusmodi conflictum generalem et comitentur et subsequantur iam abunde experientia bis peracta nos edocet.

Itaque ad radicitus rem totam componendam, necesse erit ut Status serio et honeste ad aequam coarctationem potentiae bellicae gradatim procedant. Si enim datur, ait R. Pontifex, magna differentia in potentia bellica Statuum, iam eo ipso tranquilla conservatio pacis in grave periculum adducitur.

Alia condicio, quae adesse debet, ut Status quislibet licite ad bellum confugere possit, consistit in eo quod bel-

lum sit re vera unicum medium efficax, quo vel iniuria illata reparari vel ius proprium vindicari possit. Iam nemo non videt posse in hodierno stadio civilis vitae institui collegia internationalia quae, maxima auctoritate morali praedita, vel laesiones pactorum impedire satagant, vel forte iam habitas aeque et tempestive reparent.

« Pacta sunt servanda », ecce norma fundamentalis qua relationes vitae internationalis debent regi. Sane hoc principium praesupponit vitam ordinis internationalis ad normas iustitiae et aequitatis fuisse iam conformatam, quod futurae pacis auctores omni ratione procurare debebunt. Illa autem norma, quam protulimus, minime obstat quominus pacta exsistentia, gravibus suadentibus rationibus, denuo collegii internationalis examini subiciantur, ad modificationes, quas forte mutatio adiunctorum exigat, opportune introducendas.

Non est infitiandum gravissimas difficultates esse vincendas, ut haec omnia ad felicem exitum perduci possint; sed cum ex alia parte ea sint prorsus necessaria ad pacem stabilem procurandam, nemo non videt gravem incumbere obligationem auctoribus pacis omnia tentandi, ut tandem media praesto adsint ad dissidia internationalia componenda, quin sit necessarium confugere ad exitiale bellum. Omnes etiam fideles, vero spiritu caritatis et lenitatis Christi Domini informati, huic permagnae rei ardenter cooperentur necesse est; et id facientes non nisi praeceptis et suasionibus Vicarii Christi obsequentur.

Ex dictis hucusque clare elucet in novo ordine, qui tandem post hoc bellum instauretur, nullum posse esse locum persecutionibus, quae ad opprimendam vel religionem vel Christi Ecclesiam tendant. Firma fides in exsistentiam Dei personalis et transcendentis, supremi legislatoris et iudicis, cui rationem vitae suae reddere teneantur omnes homines, ducit secum in animam splendidum comitatum virtutum, quibus fortitudo illa moralis fovetur, adeo necessaria in difficillimis adiunctis hodiernis.

Dum religiosa incredulitas summopere iusto ordini instaurando adversatur, fides sincera in Deum permagnas utilitates affert. Quis v. g. negare audebit eos, qui fide viva informati divinitatem Christi agnoscunt eiusque legem moralem atque doctrinam de caritate fraterna amplectuntur, magno adiumento esse ad ordinem socialem, iustitiae aequitatique conformem, instaurandum? Hoc problema quod post bellum apparebit denuo, fortasse in graviore forma quam antea, solvendum erit iuxta normas a SS. Pontificibus saepius indicatas; eas vero non posse plenissimum fructum obtinere asserit R. Pontifex, nisi prius tam proprietarii quam operarii principiis religiosis iam descriptis recte imbuantur.

Exinde deduci potest quantum possint conferre iusto ordini sociali instaurando illi homines publici, qui amplam facultatem concedant Ecclesiae Christi, ut libere possit totas suas vires exserere in favorem pacis et mutuae concordiae in vita, sive sociali sive internationali, instaurandae. Quae cum ita sint, mirandum non est quod R. Pontifex sub finem suae allocutionis amare queratur de obstaculis fidei christianae diffusioni in nonnullis regionibus interpositis, etiam mediis in angustiis ipsius belli.

Labor apostolicus ministrorum ecclesiasticorum sive in cura animarum sive in exercitio beneficentiae difficilis omnino redditur; subducuntur iuvenes influxui familiae christianae et Ecclesiae, immo informantur spiritu antichristiano, prout elucet ex principiis ipsis instillatis et ex modo agendi cui assuefiunt. Ex quo fit ut vitalis influxus Ecclesiae, sive in singulos homines sive in societatem, penitus destruatur. Nihil pressius circa hanc rem determinandum putavit R. Pontifex ob adiuncta in quibus nunc versamur; sed haec gravia verba, etsi generali modo prolata, admonent clare fautores harum persecutionum de iniustitia, quam contra Ecclesiam committunt, et simul leniunt animos fidelium, qui non modo calamitatibus ordinis tempo-

ralis subiacent, sed etiam angustiis conscientiae durissime vexantur.

CONCLUSIO

Vox supremi magistri, per aethereas undas quaquaversus diffusa, animos universae familiae humanae intime commovit; unanimis consensus, quem in qualibet plaga mundi doctrina exposita obtinuit, invicte demonstrat eam ex ipsis visceribus naturae humanae et consequenter a Deo emanare.

Defensio iurium quae debiles et inopes ex voluntate auctoris naturae possident, principem locum in hac allocutione tenet, et sic Status parvi vel non divites, nationes vel gentes debiles potestati diversi populi subiectae et coetus sociales egestate laborantes paternam attentionem S. Pontificis merentur. Vox veritatis et sapientiae, vox iustitiae et caritatis! Faxit Deus ut eam exaudiant quotquot, accedente cessatione praeliorum, arduo operi stabilis pacis instaurandae incumbere debebunt, ne iterum agant contra ea, quae ratio iustitiaque expostulant, vel prudens moderatio et nobilis humanitas suadent. Tempestive monentur ii a R. Pontifice constanti historiae testimonio nos doceri conventiones initas, vel potius impositas, contra postulata legis moralis vel consilia prudentiae politicae, nullam stabilem parere pacem, sed ad summum temporariam cessationem praeliorum afferre posse.

PH. AGUIRRE, S. I.

2 - Sacrae Congregationes de Religiosis atque de Seminariis et Studiorum Universitatibus

Decretum

(*AAS* XXXIII [25 aug. 1941] p. 371).

DE ALUMNIS ADMITTENDIS IN SEMINARIUM VEL IN FAMILIAM RELIGIOSAM

Consiliis initis inter S. Congregationem de Religiosis et S. Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus, decreta sunt quae sequuntur:

Antequam in Seminarium admittantur qui, quocumque titulo, ad familiam Religiosam pertinuerint, Ordinarius ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus recurrat, quae de iudicio suo Ordinarium certiorem faciet, peractis iis omnibus quae casus ferat.

Itemque antequam familiae Religiosae adscribantur qui, quavis de causa, e Seminario egressi sint, Superiores Religiosi ad Sacram Congregationem de Religiosis recurrant, quae de suo iudicio Superiores certiores faciet, peractis iis omnibus quae casus ferat.

Quae omnia Ss.mus D. N. Pius Div. Prov. Papa XII approbare atque confirmare dignatus est atque publici iuris fieri mandavit.

Datum die 25 mensis Iulii a. 1941.

V. Card. La Puma, *Praefectus.* I. Card. Pizzardo, *Praefectus.*
† Fr. L. H. Pasetto, Secretarius. E. Ruffini, Secretarius.

Annotationes

Communi consilio S. Congr. de Religiosis et S. Congr. de Seminariis et de studiorum Universitatibus decretum generale publici iuris fecerunt. Eius obiectum est informatio a S. Sede requirenda antequam candidati quidam in Seminarium vel in familiam religiosam admittantur. Motae sane fuerunt rationibus quae olim decretum « *Ecclesia Christi,* 7 sept. 1909, inspiraverant, etsi ad eius severitatem nullo modo redeant [1].

1. Nova norma inscribitur: *Decretum.* Non est mera Instructio, quae « Codicis praescriptis maiorem et lucem afferat et efficientiam pariat » [2]. Neque ullum canonem mere interpretatur, sed praescriptis Codicis canonum 544, 545 et 1363 novum quoddam addit.

Vis decreti e titulo ad nullum locum particularem restringitur, sed est universalis Ecclesiae lex. Paulo post promulgationem Codicis i. c., Benedictus XV, b. m., sanxerat: « Sacrae Romanae Congregationes *nova decreta generalia* ne ferant, nisi qua gravis Ecclesiae necessitas aliud suadeat... Si quando decursu temporum, Ecclesiae universae bonum postulabit, ut novum aliquod generale decretum ab aliqua Congregatione condatur, ea ipsa decretum conficiat... Decretum autem, a Pontifice approbatum, eadem Sacra Congregatio ad Consilium deferat, cuius erit ad decreti sententiam, canonem vel canones redigere... si in decreto res vertetur de qua Codex sileat, Consilium constituat quo loco

---

[1] « Ecclesia Christi, licet spirituali gaudio, afficiatur, quum fideles matura deliberatione et recta intentione statum perfectionis in religiosis Familiis amplectuntur, qualitatis tamen quam numeri potius sollicita, ingressum in novitiatum et professionem ita moderata est, ut eos tantum decreverit ad evangelica consilia in religiosis domibus servanda esse admittendos, qui divinae vocationis argumenta praeberent » (*AAS.*, 1, 1909, 700). Haec de admittendis quoque ad clerum saecularem valere patet.

[2] Cfr. Benedicti XV Motu proprio *Cum iuris canonici,* 15 sept. 1917, post praefationem Codicis.

novus canon vel novi canones sint in Codicem inserendi... Quae omnia, statim post Sacrae Congregationis decretum, in *Acta Apostolicae Sedis* referantur »[3].

Sic Romanus Pontifex cavere voluerat ne minueretur beneficium Codicis quo facile cognoscitur universa Ecclesiae legislatio et multitudo legum vitatur. Hucusque, ni fallimur, tale decretum generale nondum editum erat.

Neque in fasciculo *Actorum A. S.* quo novum decretum promulgatur, neque in sequentibus mentio insertionis in Codicem invenitur. Cuius omissionis varia explicatio inveniri potest. A tali insertione Summus Pontifex dispensare potuit. Forte haec omissio prodit intentionem SS. Congregationum temporalem disciplinam introducendi, cuius opportunitas et exsecutionis possibilitas experientia comprobabuntur.

2. Non est dubium quin strictae subsit interpretationi decretum quod Ordinariis novam conditionem imponat in admittendis in Seminarium propriis clericis et Superioribus religiosis sicut Ordinariis, praeter informationes Codice requisitas, recursum ad Sanctam Sedem imponat.

3. Decretum non condit novum *impedimentum* sive validae sive licitae admissionis in religionem, sed praescriptis in c. 544 informationibus novam addit. Eodem modo minime conditur novum impedimentum ad ordines recipiendos, sed aliqua prudentiae norma imponitur ante admissionem in Seminarium servanda.

Iubentur Ordinarii vel Superiores religiosi ad S. Congregationem *recurrere* ante admissionem quorundam candidatorum in Seminarium vel religionem. Ipsa tunc « de iudicio suo Superiores (vel Ordinarium) certiores faciet ». Cum S. Congregatio velit in singulis casibus suum iudicium ferre, recursus debet ipsi media iudicii ferendi suppeditare. Plerumque enim ipsa ex alio fonte circa candidatum nullam notitiam habebit.

---

[3] Ibidem.

Illa autem elementa informationibus quas praecipiunt can. 544, 545, 1363, suppeditabuntur. Quare omnino exquirendae sunt antequam Romam recurratur. Immo vix quis erraverit putando rationem novi decreti in negligentia illarum informationum saltem partim inveniri. Non obstantibus gravibus monitis et praeceptis Codicis dolendum est informationes interdum vix credibili negligentia peti vel dari aut responsa veritati parum consona remitti. Nemo autem ad Sanctam Sedem audebit recurrere quin possit asserere se petivisse et accurate perpendisse informationes praescriptas. Ordinarii vero, Rectores Seminariorum et Superiores religiosi, scientes sua responsa Sanctae Sedi fore submittenda, rei gravitatem melius perspicient.

Iamvero « antequam recipiantur (alumni in Seminarium), documenta exhibere debent de legitimitate natalium, de susceptis baptismate et confirmatione ac de vita et moribus. Dimissi ex aliis Seminariis vel ex aliqua religione ne admittantur, nisi prius Episcopus etiam secreto a Superioribus aliisve notitias requisierit de causa dimissionis ac de moribus, indole ac ingenio dimissorum, et certo compererit nihil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat; quas notitias veritati conformes, eorum conscientia graviter onerata, suppeditare Superiores debent ». (c. 1363, § 2 et 3). Etiam si alumnus non fuit dimissus, nonne pronum est a Superiore sedulo inquiri quaenam sit causa mutati vitae status, num sola valetudo, ineptitudo quaedam ad certas religionis exigentias, etc. illud explicet.

Quod ad candidatos vero ad vitam religiosam: « Si agatur de admittendis illis qui in Seminario... fuerunt, requiruntur praeterea litterae testimoniales, datae... a rectore Seminarii..., audito Ordinario loci.. » (c. 544, § 3). « Pro clericis admittendis, praeter testimonium ordinationis, sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum sint commorati, salvo praescripto § 3 » (ibid., § 4). « Qui litteras testimoniales ex praescripto iuris dare debent,

eas non ipsis aspirantibus, sed Superioribus religiosis dent gratuito, intra trimestre spatium ab earum requisitione, sigillo clausas et, si agatur de illis qui in Seminario... fuerint, a Superiore iuramento firmatas »... « In suis litteris testimonialibus, postquam diligentem investigationem, etiam per secretas notitias, instituerint, referre debent, graviter eorum conscientia onerata super veritate expositorum, de aspirantis natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, conditione, scientia; sitne inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, num propria familia eius auxilio indigeat et tandem si agatur de illis qui in Seminario... fuerint, quanam de causa dimissi sint vel sponte discesserint » (c. 545, § 1 et 4).

4. Vi novi decreti, sine recursu ad Sanctam Sedem: 1) in Seminarium ne admittantur « qui quocumque titulo ad familiam religiosam pertinuerint »; 2) religiosae familiae ne ascribantur « qui quavis de causa e Seminario egressi sint ».

Seminarium in Codice vocatur domus in qua pietate, moribus et scientiis sive profanis sive sacris instituuntur qui ad statum clericalem se praeparant. « Seminarium *minus* sc. pro pueris litterarum scientia imbuendis, *maius* pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus » (c. 1351, § 2).

Sanctae Sedi satis cordi est ut iam a tempore humaniorum studiorum separentur iuvenes qui se ad statum clericalem praeparant ab iis qui de tali statu non cogitant. In quibusdam regionibus haec separatio satis stricte servatur, in aliis autem accidit ut in domo quae « minoris Seminarii » nomine appellatur, admittatur utraque iuvenum classis. Si vere promiscue admittantur, illa domus iam proprie Seminarium, ad normam Codicis, non est. Quare iuvenibus qui in ea studiis vacaverint decretum non est applicandum. Rarissime accidet ut iuvenis qui iam in religione vixerit in talem studiorum domum recipi postulet, cum novitii generatim studia scholae mediae iam absolverint. Si tamen

id accidat, ad Sanctam Sedem in casu non erit recurrendum.

5. Titulus decreti loquitur « de alumnis admittendis... *in familiam religiosam* ». Hoc verbum a Codice exsulat qui verba de statu religioso in c. 488 definit. Adhibitum est, ut videtur, sub influxu decreti S. Congr. de Religiosis, *Ecclesia Christi*, 7 sept. 1909 (*A. A. S.*, I, 1909, 700): De quibusdam postulantibus *in religiosas familias* non admittendis.

Hoc verbo, etsi ante Codicem, praesertim *Congregationes* religiosae veniebant[4], in decreto *Ecclesia Christi* etiam Ordines designabantur. Quare, si usum Codicis servemus, idem sonat atque *religio*.

Dubitari potest num sub titulo decreti comprehendantur « Societates vitam religiosam sine votis imitantes » de quibus agit canon 673 et seq. Nam: 1° principium generale Codicis est: talis Societas non est « proprie religio nec eius sodales nomine religiosorum proprie designantur » (c. 673); 2° Novum decretum can. 544 et 545 de informationibus inquirendis complet. Iamvero in can. 677 hi canones ad illas Societates non extenduntur; 3° haud dubium est multo minorem status mutationem esse cum quis e Seminario in talem Societatem, vel e tali Societate in Seminarium ingreditur quam si agatur de Seminario et religione.

Attamen satis par remanet ratio ut eadem debeat esse legis dispositio. Praeterea S. Congr. de Religiosis, Resp. 31 maii 1910 (*A.A.S.*, II 1910, 449) in argumento non dissimili, in applicatione decreti *Auctis admodum*, membra Societatis sine votis alumnis religionum assimilavit. Quare non miremur si authentica declaratio vel stylus Curiae decretum ad illas Societates extendat.

6. In prima decreti parte agitur « de iis qui quocumque titulo ad religiosam familiam pertinuerint ». Iam diximus verbum « familia religiosa » significare « religionem ».

---

[4] Cfr. VERMEERSCH, *De Religiosis*, I[2], n. 62, d.

Canonistae disputant de vi vocis: « omnes de familia » in can. 509, § 2, 2[5]. Communior sententia vocem illam in contextu ad religiosos restringit, ad convictores vel famulos non extendit. Certe in decreto quod commentamur, familia religiosa hos non comprehendit. Si vox « familia » tota latitudine sumeretur, illud absonum sequeretur quod qui ad familiam religiosam tamquam alumnus internus vel famulus, immo tamquam hospes, v. g. in clinica vel nosocomio, pertinuisset iam in Seminarium sine recursu ad Sanctam Sedem ingredi non posset, immo qui e Seminario egressus esset non posset iam sine eodem recursu tamquam famulus vel hospes in domo religiosa admitti.

In non paucis religionibus habentur « scholae apostolicae » seu « parvi iunioratus », immo « parvi novitiatus », ut audiunt, seu collegia in quibus iuvenes qui fundatam vocationis ad religionem spem faciant, in scientia et virtute instituuntur. Hi iuvenes ad familiam religiosam, sensu religionis, nullo modo pertinent. Ipsis v. g. normae Codicis de postulatu (can. 539-541) nullo pacto applicantur. Illae scholae seminariis vel collegiis ecclesiasticis assimilandae sunt[6].

Postulantes autem aliquo vero titulo ad familiam religiosam, etiam sensu religionis, pertinent. Quare ob verba tam generalia decreti « qui quocumque titulo... ad familiam religiosam pertinuerint », non dubium est illos in eius terminis comprehendi. Notetur immediate rariorem fore casum quo aliquis alumnus e postulatu egressus in Seminarium recipiatur. Postulatus enim iure communi iis tantum praecipitur qui ad classem « conversorum » destinantur.

Tamen quaeri potest num altera pars decreti *eodem modo* atque prima postulantibus applicanda sit seu num recursus ad Sanctam Sedem eiusque responsum ante admissionem in postulatum vel in novitiatum locum habere debeant.

---

[5] Cfr. Creusen, J., *Religieux et Religieuses*, 5e édit., n. 87.
[6] Cfr. *Nouv. Rev. théol.*, 1929, 420 ss.

Ad normam Codicis, ingressus in religionem idem est atque ingressus in novitiatum, admissio ad religionem idem atque admissio ad novitiatum. Id e textu et contextu can. 542-544 clare patet et ab omnibus commentatoribus Codicis, uno forte excepto, admittitur. — De informationibus agitur in Cap. II: *De novitiatu*. Praeterea in pluribus Sanctae Sedis responsis, ab iis quae de novitiis valent postulantes excluduntur. V. g. postulantibus ius de funeribus novitiorum non applicatur (Resp. Comm. interpr., 20 iul. 1929 ad IV. — *A. A. S.*, XXI, 1929, 573). neque ius Superioris administrandi Viaticum et extremam Unctionem professis et novitiis extra domum graviter decumbentibus (Resp. 16 iul. 1931. — *A. A. S.*, XXIII; 1931, 353).

Quare non videtur deneganda seria probabilitas interpretationi quae ante receptum responsum S. Congregationis admissionem in postulatum permitteret.

7. « Qui e Seminario egressi sunt » in altera parte decreti ii sunt qui, ante absolutum in Seminario studiorum curriculum, ex eo quavis de causa sunt egressi Nam absoluto studiorum curriculo ad Seminarium iam quis redire neque debet neque potest. Ergo factum non redeundi dici non potest « e Seminario egredi ». Contra, si quis sive durante anno scholastico Seminarium relinquit sive ante absolutum studiorum curriculum non redit, ex eo proprie egreditur. Quare si quis, v. g. absoluto studiorum humaniorum curriculo in minori Seminario, studiis in Universitate laicali vacet, dein in religionem ingredi velit, inter illos qui e Seminario sunt egressi computandus non est. Idem dices de sacerdotibus qui, absolutis quattuor annorum theologiae studiis, iam in ministerio degunt. Nullo proprio sensu dici possunt e Seminario egressi, etsi aliquando in Seminario fuerint. Quare ad admittendum talem sacerdotem in religionem recursus ad Sanctam Sedem non requiritur.

8. Dicit decretum Sacram Congregationem Ordinarium vel Superiorem religiosum de suo iudicio certionem facturam. Non loquitur de licentia danda sed de iudicio mani-

festando. Sane iudicium esse poterit: « graves causas admissioni obstare »; sed potest quoque dicere: « nihil obstare », « maiores informationes in casu esse quaerendas », « procedendum esse prudenter, v. g. consulto perito et honesto medico », etc.

9. Cum « leges respiciant futura, non praeterita, nisi nominatim in iis de praeteritis caveatur » (c. 10) et « vim suam exserant tantum expletis tribus mensibus a die qui Actorum numero appositus est » (c. 9), decretum afficit eos tantum qui a die 25 nov. 1941 in Seminarium vel in Religionem admissi fuerint. Si quis in postulatum ante illam diem receptus fuerit, ob controversiam supra motam, probabiliter in novitiatum sine recursu ad Sanctam Sedem admitti poterit.

10. Tempore quo editum est decretum et quo illud commentabamur, in plurimis Orbis regionibus recursus ad Sanctam Sedem vel impossibilis vel valde difficilis erat et nunc remanet. Praeter enim dilationem transmissionis litterarum, earum secretum nullo pacto exsistit. Quare iam multi Ordinarii moniti sunt in eorum regione vigere adiuncta can. 81, sc. esse difficilem communiter recursum ad Sanctam Sedem. Violatum autem secretum litterarum in quibusdam adiunctis periculo satis gravi pro scribente non semper vacat. Haud vanus est timor ne Superior vel Ordinarius qui gravem alumni culpam ex officio revelare debet, de diffamatione accusari possit.

Cum autem proximum horum adiunctorum finem nemo cum seria probabilitate praedicere audeat et grave esse possit admissionem sive in Seminarium sive in religionem per menses vel forte annos differre, Ordinarii super hoc decreto observando pro sua prudentia dispensare poterunt ad normam can. 81.

J. Creusen, S. I.

3 - Sacra Congregatio pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis

Indultum

(*AAS* XXXIII [23 decembr. 1941] p. 516 s.)

Attentis peculiaribus hodiernis rerum adiunctis, Ss.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. XII omnibus Ordinariis locorum, cuiuslibet ritus, quamdiu prasens bellum perdurabit, benigne concedere dignatus est, ut, pro suo prudenti arbitrio, in territorio suae iurisdictionis, indulgeant generalem dispensationem super lege abstinentiae et ieiunii ecclesiastici, in favorem etiam religiosorum et religiosarum exemptionis privilegio utentium.

Firma tamen maneat lex abstinentiae et ecclesiastici ieiunii, pro fidelibus ritus latini, Feria IV Cinerum et Feria VI in Parasceve, pro fidelibus vero alius ritus duobus diebus ab eorum Ordinariis statuendis.

Ordinarii autem locorum, qui supradictam dispensationem concedunt, fideles omnes hortentur, praesertim vero Clerum saecularem ac regularem necnon sacrarum Virginum familias, ut iis christianae mortificationis et expiationis voluntariis exercitiis, bonis operibus potissimum erga aegros ac inopes vacantes, et ad mentem Summi Pontificis fervidas Deo preces fundentes, aliquo modo indulti facilitates compensare valeant.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Ex Aedibus Vaticanis, die 19 mensis Decembris a. 1941.

A. Card. Maglione, *a Secretis Status,*
S. Congr. pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis Praefectus.

4 - Pontificia Commissio de Re Biblica

(*AAS* XXXIII [21 novembr. 1941] p. 465 ss.)

LITTERAE AD EXC.MOS PP. DD. ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS ITALIAE

Roma, 20 agosto 1941.

Eccellenza Reverendissima,

Consta alla Pontificia Commissione per gli Studi Biblici che, settimane or sono, venne spedito agli E.mi Membri del Sacro Collegio, agli Ecc.mi Ordinari d'Italia e ad alcuni Superiori Generali di Ordini Religiosi un opuscolo anonimo intitolato: *Un gravissimo pericolo per la Chiesa e per le anime. Il sistema critico-scientifico nello studio e nell'interpretazione della Sacra Scrittura, le sue deviazioni funeste e le sue aberrazioni* (48 pagine in-8°).

L'opuscolo reca in testa l'iscrizione: « Vale come manoscritto. Riservatissima di coscienza ». Ma di fatto, con patente contradizione, fu spedito attraverso tutta la Penisola in buste aperte.

Inoltre al fondo dell'ultima pagina ha la dichiarazione: « Copia conforme dell'esposto presentato al Santo Padre Pio XII ». Poichè è verissimo questo, non occorre altro a dimostrare la sconvenienza, — e l'Eccellenza Vostra Reverendissima l'avrà sicuramente rilevata subito — di spedire contemporaneamente a Sua Santità ed a molte persone ecclesiastiche un documento scritto con l'intento di presentarlo all'esame del Sommo Pontefice.

I due semplici fatti bastano a dimostrare quanto l'autore dell'opuscolo, chiunque sia, manchi di giudizio, di prudenza e di riverenza, e potrebbero dispensare da altri rilievi. Tuttavia, nel timore che certe accuse o insinuazioni possano turbare qualche Pastore e distoglierlo dal proposito di procurare ai suoi futuri sacerdoti quel sano e giusto inse-

gnamento della Sacra Scrittura, che sta grandemente a cuore del Sommo Pontefice, gli E.mi Padri componenti la Pontificia Commissione per gli Studi Biblici, convenuti in adunanza plenaria per l'esame del caso, hanno deciso di sottoporre alla benevola attenzione dell'Eccellenza Vostra Rev.ma le seguenti considerazioni.

L'opuscolo vuole essere una difesa di una certa esegesi detta di *meditazione*; ma è soprattutto una virulenta accusa dello *studio scientifico delle Sacre Scritture*: esame filologico, storico, archeologico, ecc. della Bibbia altro non sono che razionalismo, naturalismo, modernismo, scetticismo, ateismo, ecc.; a capir bene la Bibbia, bisogna lasciare libero corso allo spirito, quasi che ognuno fosse in personale comunione con la divina Sapienza, e ricevesse dallo Spirito Santo speciali lumi individuali, come pretesero i primitivi protestanti. Perciò l'anonimo con estrema violenza attacca persone ed istituti scientifici pontifici; denigra lo spirito degli studi biblici scientifici, « spirito maledetto di orgoglio, di presunzione e di superficialità, palliata da accigliata indagine e da ipocrita scrupolosità della lettera » (pag. 40); disprezza l'erudizione, lo studio delle lingue orientali e delle altre scienze ausiliarie, e trascorre a gravi errori circa i principi fondamentali dell'ermeneutica cattolica consentanei alla nozione teologica della ispirazione biblica, misconoscendo la dottrina dei sensi delle Sacre Scritture, e trattando con somma leggerezza il senso letterale e la sua accurata indagine; da ultimo, come se ignorasse la storia dei testi originali e delle versioni antiche, nonchè la natura e l'importanza della critica testuale, propugna una falsa teoria sull'autenticità della Volgata.

Poichè sarebbe fuor di luogo, e poco riverente verso Pastori e Maestri della Chiesa, ritornare sopra le nozioni primordiali dell'ispirazione e dell'ermeneutica biblica, basti porre di fronte alle pretese dell'anonimo qualcuna delle più recenti disposizioni della Santa Sede sullo studio scientifico della Sacra Scrittura, da Leone XIII in poi.

1. *Del senso letterale.* — L'anonimo benchè affermi *pro forma* che il senso letterale è la « base dell'interpretazione biblica » (pag. 6), di fatto preconizza una esegesi assolutamente soggettiva e allegorica, giusta l'ispirazione personale o piuttosto secondo la fantasia più o meno vivace e feconda di ognuno. Ora se è proposizione di fede da tenersi per principio fondamentale, che la Sacra Scrittura contiene, oltre al senso letterale, un senso spirituale o tipico, come ci è insegnato dalla pratica di Nostro Signore e degli Apostoli, tuttavia non ogni sentenza o racconto contiene un senso tipico, e fu un eccesso grave della scuola alessandrina di voler trovare dappertutto un senso simbolico, anche a danno del senso letterale e storico. Il senso spirituale o tipico, oltre che fondarsi sopra il senso letterale, deve provarsi sia dall'uso di Nostro Signore, degli Apostoli o degli scrittori ispirati, sia dall'uso tradizionale dei Santi Padri e della Chiesa, specialmente nella sacra liturgia, perchè « lex orandi, lex credendi ». Un'applicazione più larga dei testi sacri potrà bensì giustificarsi collo scopo dell'edificazione in omilie ed in opere ascetiche; ma il senso risultante anche dalle accomodazioni più felici, quando non sia comprovato com'è detto sopra, non si può dire veramente e strettamente senso della Bibbia nè che fu da Dio ispirato all'agiografo.

Invece l'anonimo, che non fa veruna di queste distinzioni elementari, vuole imporre le elucubrazioni della sua fantasia come senso della Bibbia, come « vere comunioni spirituali della sapienza del Signore » (pag. 45), e misconoscendo la capitale importanza del senso letterale, calunnia gli esegeti cattolici di considerare « *solo* il senso letterale » e di considerarlo « a modo umano, prendendolo *solo* materialmente, per quello che suonano le parole » (pag. 11), anzi di essere « ossessionati dal senso letterale della Scrittura » (pag. 46). Egli rigetta in tal modo la regola d'oro dei dottori della Chiesa, così chiaramente formulata dall'Aquinate: « Omnes sensus fundantur super unum, scilicet lit-

teralem, ex quo *solo* potest trahi argumentum » (a, q. 1, 10 ad 1um); regola che i Sommi Pontefici sancirono e consecrarono quando prescrissero che, prima di tutto, si cerchi con ogni cura il senso letterale. Così per es. Leone XIII nella Enciclica *Providentissimus Deus*: « Propterea cum studio perpendendi quid ipsa verba valeant, quid consecutio rerum velit, quid locorum similitudo aut talia cetera, externa quoque appositae eruditionis illustratio societur » (*Ench. Bibl.*, n. 92), e più avanti: « Praeceptioni illi, ab Augustino sapienter propositae, religiose obsequatur (exegeta), videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere » (*Ench. Bibl.*, n. 97). Così pure Benedetto XV nell'Enciclica *Spiritus Paraclitus*: « Ipsa Scripturae verba perdiligenter consideramus, ut certo constet quidnam sacer scriptor dixerit » (*Ench. Bibl.*, n. 498); dove, illustrando l'esempio e i principî esegetici del « Doctor maximus in exponendis Sacris Scripturis », S. Girolamo, il quale « litterali seu historica significatione in tuto collocata, interiores altioresque rimatur sensus, ut exquisitiore epulo spiritum pascat » (*Ench. Bibl.*, n. 499), raccomanda che gli esegeti « *modeste temperateque* e litterali sententia ad altiora exsurgant » (*Ench. Bibl.*, n. 499). Ambedue finalmente i Sommi Pontefici, Leone XIII e Benedetto XV, insistono, con le stesse parole di S. Girolamo, sul dovere dell'esegeta: « commentatoris officium esse, non quid ipse velit sed quid sentiat ille, quem interpretatur, exponere » (*Ench. Bibl.*, n. 91 et 500).

2. *Dell'uso della Volgata.* — Anche più palpabile è l'errore dell'anonimo circa il senso e l'estensione del decreto Tridentino sull'uso della Volgata latina. Il Concilio Tridentino, contro la confusione cagionata dalle nuove traduzioni in latino e in vernacolo allora propalate, volle sancito l'uso pubblico, nella Chiesa Occidentale, della versione latina comune giustificandolo dall'uso secolare fattone dalla Chie-

sa stessa, ma non pensò per nulla menomare l'autorità delle versioni antiche adoperate nelle Chiese Orientali, di quella segnatamente dei LXX usata dagli stessi Apostoli, e meno ancora l'autorità dei testi originali, e resistette ad una parte dei Padri, che volevano l'uso esclusivo della Volgata come sola autorevole. Ora l'anonimo sentenzia che in virtù del decreto Tridentino si possiede nella versione latina un testo dichiarato superiore a tutti gli altri, rimprovera agli esegeti di voler interpretare la Volgata coll'aiuto degli originali e delle altre versioni antiche. Per lui il decreto dà la « certezza del Sacro Testo », così che la Chiesa non ha bisogno di « ancora ricercare l'autentica lettera di Dio » (pag. 7), e cioè non soltanto *in rebus fidei et morum*, ma in tutti i rispetti (anche letterari, geografici, cronologici, ecc.). La Chiesa con quel decreto ci ha dato « Il Testo autentico e ufficiale, dal quale non è lecito discostarsi » (pag. 6), e fare la critica testuale è un « mutilare la Sacra Scrittura » (pag. 8), è un « sostituirsi con presunzione alla sua autorità [della Chiesa], che sola può presentarci un testo autentico, e sola ce lo presenta difatti col citato Decreto del Concilio di Trento » (pag. 28): ogni operazione critica circa il testo biblico, quale viene presentato nella Volgata, è « il libero esame, anzi il farnetico esame personale, sostituito all'Autorità della Chiesa » (pag. 9).

Ebbene tale pretesa non è soltanto contro il senso comune, il quale non accetterà mai che una versione possa essere superiore al testo originale, ma è anche contro la mente dei Padri del Concilio, quale appare dagli Atti; il Concilio anzi fu consapevole della necessità di una revisione e correzione della Volgata medesima, e ne rimise l'esecuzione ai Sommi Pontefici, i quali la fecero, come fecero, secondo la mente dei più autorevoli collaboratori del Concilio stesso, un'edizione corretta dei LXX (sotto Sisto V), e poi ordinarono quella del Vecchio Testamento ebraico e del Nuovo Testamento greco, incaricandone commissioni apposite. Ed è apertamente contro il precetto del-

l'Enciclica *Providentissimus*: « Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum » (*Ench. Bibl.*, n. 91).

Insomma il Concilio Tridentino dichiarò « autentica » la Volgata in senso giuridico, cioè riguardo alla « vis probativa in rebus fidei et morum », ma non escluse affatto possibili divergenze dal testo originale e dalle antiche versioni, come ogni buon libro d'Introduzione Biblica espone chiaramente secondo gli Atti del Concilio medesimo.

3. *Della critica testuale.* — Con l'idea, sopra esposta, del valore, pressochè unico, della Volgata, e minimo o quasi nullo dei testi originali e delle altre versioni antiche, non fa meraviglia che l'anonimo neghi la necessità e l'utilità della critica testuale, non ostante che le recenti scoperte di testi preziosissimi abbiano confermato il contrario. Poichè « è la Chiesa che ci presenta e garantisce il Testo Sacro » (pag. 10), fare della critica testuale è « trattare il Libro divino come un libro umano » (pag. 23), e l'unico uso che si può fare del testo originale e delle antiche versioni è di *consultarli* « in qualche difficoltà da illuminare » (pag. 6); il testo greco non può « far fede » contro un altro testo e « contro lo stesso testo ufficiale della Chiesa » pag. 8), e « non si possono in n e s s u n m o d o *espungere ... dal* Testo, non solo della Chiesa (= Volgata), ma da quello originale, interi tratti o interi versetti » (pag. 7), dunque nemmeno se assenti dalla primitiva tradizione di esso e penetrativi dipoi; tentare di stabilire il Sacro Testo con mezzi critici è un « massacrare » la Bibbia (pag. 9). Indi le parecchie pagine dell'opuscolo, piene di invettive contro il « criticismo scientifico », « naturalismo », « modernismo ».

Che la scienza biblica cattolica, dai tempi di Origene e di S. Girolamo fin alla « Commissione per la revisione ed emendazione della Volgata », istituita proprio dal Papa

dell'Enciclica *Pascendi*, si sia affaticata a stabilire la forma più pura possibile del testo originale e delle versioni, compresa (per non dire anzitutto) la Volgata; che Leone XIII fortemente raccomandi: « Artis criticae disciplinam, quippe percipiendae penitus hagiographorum sententiae p e r u t i l e m, Nobis v e h e m e n t e r probantibus, nostri excolant. Hanc ipsam facultatem, adhibita loco ope heterodoxorum, Nobis non repugnantibus, iidem exacuant » (Litt. Apost. *Vigilantiae*, *Ench. Bibl.*, n. 135); che la Pontificia Commissione Biblica abbia risposto che, nel Pentateuco (e « servatis servandis » anche in altri libri biblici: cf. il decreto *De Psalmis*, *Ench. Bibl.*, n. 345) si possa ammettere « tam longo saeculorum decursu nonnullas ... modificationes obvenisse, uti: additamenta post Moysi mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interiectas; vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas: mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et iudicare » (Decr. *De Mosaica authentia Pentateuchi*, d. d. 27 iunii 1906, *Ench. Bibl.*, n. 177); che il S. Offizio abbia permesso e permetta agli esegeti cattolici di discutere la questione del *Comma Ioanneum* e, « argumentis hinc inde accurate perpensis, cum ea, quam rei gravitas requirit, moderatione et temperantia, in sententiam genuinitati contrariam inclinare » (Declaratio S. Officii, d. d. 2 iunii 1927, *Ench. Bibl.*, n. 121): tutto questo dimentica o dissimula l'autore dell'opuscolo per rendere oggetto di orrore l'opera degli esegeti cattolici, i quali, fedeli alle tradizioni cattoliche ed alle norme inculcate dalla suprema autorità ecclesiastica, provano, col fatto medesimo dei loro austeri e penosi lavori di critica testuale, in quanta venerazione tengano il Testo Sacro.

4. *Dello studio delle lingue orientali e delle scienze ausiliarie.* — Muovono a commiserazione ed insieme a indi-

gnazione la leggerezza e l'arroganza incredibile, con cui l'anonimo ne parla. « L'Ebraico, il Siriaco, l'Aramaico » sarebbero soltanto materia di orgoglio degli « scientifici » (pag. 4), « sfoggio dell'erudizione » (pag. 14), « l'orientalismo s'è mutato in vero feticismo », e « la sapienza orientalista moderna è spesse volte discutibilissima » (pag. 46). Tanto disprezzo, nato fatto per alienare gli spiriti dal duro studio e per fomentare la leggerezza e la disinvoltura nel trattamento dei libri divini, col risultato inevitabile di sminuire la riverenza somma e la totale soggezione dovute ad essi ed il salutare timore di farne un uso meno conveniente, è in pieno contrasto con la tradizione della Chiesa, la quale, dai tempi di S. Girolamo fin ai nostri, ha favorito lo studio delle lingue orientali, sapendo che « Sacrae Scripturae magistris necesse est ... eas linguas cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati » (Leone XIII, Enciclica *Providentissimus Deus*, *Ench. Bibl.*, n. 103), e raccomandato « ut omnibus in Academiis ... de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, deque congruente cum illis eruditione, sint magisteria » (*ibid.*), ed esorta a curare, « ut minore in pretio ne sit apud nos quam apud externos, linguarum veterum orientalium scientia » (Leone XIII, Litt. Apost. *Vigilantiae*, *Ench. Bibl.*, n. 133). L'anonimo dimentica che lo studio delle lingue bibliche, del greco e dell'ebraico, raccomandato da Leone XIII per le Accademie teologiche, vi è stato reso obbligatorio da Pio X (*Ench. Bibl.*, n. 171), e che tal legge è riportata nella costituzione *Deus scientiarum Dominus* (art. 33-34; *Ordinationes*, art. 27, I).

Naturalmente lo studio delle lingue orientali e delle scienze ausiliarie non è, per gli esegeti, fine a se stesso, ma ordinato all'intelligenza ed esposizione precisa e chiara della parola divina, affinchè se ne alimenti al possibile la vita spirituale. In tale senso, e non per una gretta pedanteria nè per una mal celata diffidenza contro l'intelligenza spirituale, si raccomanda ed inculca la ricerca del

senso letterale coi sussidi della filologia e della critica, e si disapproverebbe chi se ne valesse con eccesso, ed esclusivamente, peggio se abusivamente, quasi non fosse divino il libro. Ma allo stesso tempo non si può permettere che col pretesto dell'abuso si attenti di rendere sospetto e di togliere l'uso dei veri principi esegetici: « abusus non tollit usum ».

All'opuscolo l'autore ha aggiunto quattro pagine col titolo « Conferme tratte dall'Enciclica *Pascendi* », come a porre la sua sciagurata impresa sotto il patronato del santo Pontefice Pio X. Accorgimento infelice, perchè, se l'insegnamento della Sacra Scrittura ebbe da Leone XIII nell'Enciclica *Providentissimus Deus* la *Magna charta,* che richiamava sull'importantissimo soggetto l'attenzione della Chiesa intera, fu Pio X che diede, di propria personale iniziativa, l'assetto definitivo a quell'insegnamento, specialmente in Roma ed in Italia, avendo egli, nella sua esperienza di Vescovo, osservato da vicino e le deficienze dell'insegnamento biblico e gli effetti disastrosi che ne derivavano.

Cominciò difatti coll'istituire, soltanto pochi mesi dopo l'elezione, il 23 febbraio 1904, i gradi di licenza e laurea in Sacra Scrittura, ben sapendo che la creazione di titoli speciali era mezzo efficace ad ottenere che studenti si dedicassero in modo speciale allo studio di essa. Non potendo poi, per mancanza di mezzi, fondare immediatamente l'Istituto di alti studi biblici al quale pensava, Pio X incoraggiò, nel 1906, l'insegnamento della Sacra Scrittura nel Pontificio Seminario Romano, approvò, negli anni 1908 e 1909, la creazione di un insegnamento superiore di Sacra Scrittura nella Gregoriana e nell'Angelicum, e, finalmente, creava nello stesso anno 1909 il Pontificio Istituto Biblico, la cui opera non ha cessato di svilupparsi sotto gli occhi dei Sommi Pontefici con una continuità di direttive così evidente da non esigere dimostrazione. Quanto l'Istituto Biblico abbia fatto per promuovere il progresso dello studio

della Sacra Scrittura specialmente in Italia, lo dimostrano il numero degli alunni ed uditori di nazionalità italiana, e quello degli iscritti alle Settimane Bibliche, ogni anno convocate con frequenza e con frutto crescenti. Fu Pio X ancora che fissò le direttive dello studio della Sacra Scrittura nei Seminari, quando pubblicò la lettera apostolica *Quoniam in re biblica* del 27 marzo 1906 (*Ench. Bibl.*, nn. 155-173), e provvide all'applicazione di esse nei Seminari d'Italia con lo speciale programma della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari in data del 10 maggio 1907.

Non occorre insistere oltre: checchè sia dell'autore dell'esposto, e delle sue mire, lo studio della Sacra Scrittura deve continuare, anche nei Seminari d'Italia, secondo le direttive date dagli ultimi Sommi Pontefici, perchè oggi, non meno di ieri, importa che i sacerdoti e ministri della Parola di Dio siano ben preparati, e capaci di dare risposte soddisfacenti, non soltanto sulle questioni del dogma e della morale cattolica, ma anche alle difficoltà proposte contro la verità storica e la dottrina religiosa della Bibbia, particolarmente del Vecchio Testamento. Perciò piace terminare colle stesse parole con cui Benedetto XV, di s. m., chiudeva l'Enciclica *Spiritus Paraclitus*: « Exegetae sanctissimi [S. Hieronymi] documenta, Venerabiles Fratres, studiose efficite, ut animis clericorum et sacerdotum vestrorum altius insideant; nam vestrum in primis est diligenter revocare eos ad considerandum, quid ab ipsis divini muneris, quo aucti sunt, ratio postulet, si eo non indignos se praestare velint: « Labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est » (*Mal.*, 2, 7). Sciant igitur, sibi nec studium Scripturarum esse negligendum, nec illud alia via aggrediendum, ac Leo XIII Encyclicis Litteris *Providentissimus Deus* data opera praescripsit » (*Ench. Bibl.*, n. 494).

Il Santo Padre, al Quale è stata sottoposta tutta la questione nell'udienza concessa dalla stessa Sua Santità il 16

agosto 1941 al Rev.mo Segretario della Pontificia Commissione per gli Studi Biblici, Si è degnato di approvare le deliberazioni degli E.mi componenti la Commissione e di ordinare la spedizione della presente lettera.

Assolvendo quindi il compito affidatomi, La prego, Eccellenza Rev.ma, di gradire i sensi del mio omaggio, mentre mi confermo

dell' Eccellenza Vostra Rev.ma
dev.mo per servirla
E. Card. TISSERANT, *Presidente.*
Fr. G. M. Vosté, O. P., *Segretario.*

Annotationes

Inter documenta Pontificiae Commissionis de Re Biblica hucusque edita eminent hae Litterae argumento, forma, amplitudine. Argumento quidem eo quod, dum praecedentia decreta circa particulare aliquod punctum, puta librum vel quaestionem e latissimo Scripturarum campo, versabantur, hic generalia quaedam pertractantur, quae in totam S. Scripturam vim habent, eiusque studium promovent sive uti praeparatio in antecessum requisita aut certe conveniens, sive uti normae ad rectam interpretationem dirigentes. Forma vero differunt hae Litterae, quod cetera decreta lata sunt tanquam responsa ad dubia proposita, istae vero ad modum Instructionis vel Commonitorii, ut in fastis ecclesiasticis increbuit, redactae sunt. Ad amplitudinem quod attinet, nullum e praecedentibus documentis in *AAS* tres paginas superat, istud octo implet.

Occasionem gravissimo huic Pontificiae Commissionis documento praebuit, ut eius initia patefaciunt, libellus Summo Pontifici exhibitus simulque ad Eminentissimos et Excellentissimos Ecclesiae Praesules per totam Italiam missus, quo tum hodierni quidam catholici scriptores de rebus biblicis et ipsa Romana biblicorum studiorum Insti-

tuta acerrime vituperantur, tum ipsum S. Scripturae studium, prouti nunc ad nostrorum temporum opportunitates accommodate fit, subdole impugnatur. Auctor libelli in exemplaribus quidem hac illac missis celari voluit, adeoque in Litteris Pontificiae Commissionis eius nomen constanter reticetur. Sed quoniam aliunde non est incompertum et eius cognitio ad intellegentiam rerum et ad momentum totius quaestionis aestimandum plurimum confert, liceat nobis ad claritatem facta cum nomine paulo altius repetere.

I. FACTA PRAECEDENTIA

Ab anno 1930 ad 1939 omni industria, qua hodierna ars impressoria pollet, diffundebatur in vulgus multis ac magnis voluminibus (hucusque, a Genesi ad Ecclesiasticum, tredecim) commentarius in s. Scripturam, cuius ipse titulus: « *La Sacra Scrittura. Psicologia-Commento-Meditazione* » iam aliquid abnorme portendit. Auctor est Sacerdos Dolindus Ruotolo, sub ficto nomine Dain Cohenel constanter latens, vitae integer, divinis rebus plurimum addictus, ingenio pollens et facundia praeditus, sed (ut eius scripta produnt) studiorum biblicorum plane ieiunus et ipsius theologiae, si quam didicit, oblitus, necnon bono iudicio carens. Ipsum opus ad interpretationem S. Scripturae, qualem nostris temporibus iure expectes, nihil confert, sed in pias contemplationes et hortationes ut plurimum abit, sine ullo saepe fundamento in sensu litterali. In his multa leguntur egregie dicta, sed multa etiam, ac fortasse plura, proferuntur a recta doctrina aberrantia. His de causis opus totum primo a paucis scriptoribus catholicis fuit improbatum, deinde a Suprema Congregatione S. Officii per decretum die 20 novembris 1940 datum et in *AAS* XXXII (1940) p. 553 relatum in Indicem librorum prohibitorum insertum fuit cum clausula « donec corrigatur ». Huic decreto auctor, ut in *AAS* ib. p. 554 editum fuit, « humiliter se subiecit ». Nihilominus ad quandam defensionem

vel excusationem suam, saltem indirectam, ex accusato factus accusator, in libello, cui titulum fecit « *Un gravissimo pericolo per la Chiesa e per le anime: il sistema critico-scientifico nello studio e nell'interpretazione della Sacra Scrittura* » praecipuos quosdam scriptores catholicos (sacerdotes), qui in Italia studiis biblicis operam navant cum debita simul attentione ad hodiernos philologiae et archaeologiae biblicae progressus et reverentia erga normas catholicae traditionis et ecclesiasticae auctoritatis, traducit ut rationalistas et modernistas, ut destructores divinae Scripturae et eversores fidei. Mala omnia repetit a studio scientifico sacrorum Librorum, quo fit ut addiscantur linguae antiquae et textus originales explicentur posthabita Vulgata, exerceatur critica textus et sensus litteralis praeter modum colatur. Contendit denique, iam inde ab initio libelli, ad S. Scripturam intellegendam et exponendam *meditatione* opus esse, non studio. Facile quisque videt, quorsum haec tendant; hinc quidem ad vindicandam methodum in illo opere cui titulus « Psicologia-Commento-Meditazione » adhibitam, inde vero ad omnes curas, quas Summi Pontifices, inde a Leonis XIII Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus* (18 nov. 1893), promovendis in Ecclesia catholica studiis biblicis impenderunt, damnandas ac subruendas. Quapropter Pontificia Commissio « studiis Sacrae Scripturae provehendis instituta » (*Acta Leonis XIII* vol. 22 p. 232) optimo iure suum duxit, non tam contra insulsum libellum insurgere, quam praecavere ne forte ex eius lectione vel cuiuspiam animus turbaretur vel studia Scripturarum a Summis Pontificibus commendata, detrimentum caperent.

II. SUMMA CAPITA IPSARUM LITTERARUM

His praemissis, facile intellegitur, quae doctrinae capita et qua ratione Pontificia Commissio in Litteris ad Exc.mos Ordinarios Italiae datis declaranda susceperit. Ea sunt

quattuor inter se connexa atque ita comparata ut fundamenta praecipua catholicae interpretationis attingant atque stabiliant. Primum est de sensu litterali eiusque ad sensum altiorem, sive spiritualem appelles sive typicum, habitudine. Quattuor hic notatu digna docet P. Commissio. 1: sensus litteralis non est quidem unicus in s. Libris, sed praecipuus et aliorum omnium fundamentum; habet utique hoc proprium solus, quod sit ubique, hoc est in omnibus Scripturae locis, dum ceteri non ubique adsunt. — 2: sensus spiritualis sive typicus, praeterquamquod in litterali fundari debet, probandus insuper est ex ipsa Scriptura vel exemplo Christi, Apostolorum, Ecclesiae. — 3: sequitur altiori sensu esse « modeste temperateque » utendum. — 4: aliae sacri textus applicationes sive accommodationes possunt quidem fieri in concionibus et scriptis ad pietatem fovendam ac mores informandos, sed dignitatem sensus proprie scripturistici sive a Spiritu Sancto intenti minime sibi vindicare possunt.

Alterum doctrinae caput est de usu et authentia Vulgatae latinae, cum priore eo pacto connexum, quod litteralis sensus, nempe quid significare voluerit sacer auctor, nullibi melius discitur, quam in ipso primigenio textu, seu lingua, qua scripsit hagiographus. De hac insita originario textui praerogativa nihil derogat decreta Vulgatae a Tridentino Concilio authenticitas. Privilegium hoc Vulgatae collatum naturae est iuridicae, quatenus eius testimonium in rebus fidei et morum vim habet probativam, neque a quoquam reici potest; minime vero efficit ut mens sacri auctoris non melius percipiatur in primitiva lingua, praesertim in iis quae fidem et mores non attingunt.

Hoc posito, sequitur tertio (quod sub n. 4 ponunt Litterae P. Commissionis) quantopere iuvet ad rectam sacri textus intellegentiam callere linguas divinorum Librorum originales, aliasque illis cognatas, quae viam aperiunt tum ad significationem verborum intimius penetrandam, tum ad ipsas res seu facta antiquis monumentis tradita, unde

plurimum lucis resultat in sacras Litteras. Pertinent haec ad illas « auxiliarias disciplinas » quas simul cum antiquis linguis commendat Pontificia Commissio.

Denique, cum usu textus et versionum sacrorum Librorum cohaeret critica textualis, cuius est genuina verba ipsorum auctorum vel interpretum sive recognoscere et confirmare sive redintegrare, si quo casu a librariis fuerint vitiata. Hanc eximius Ecclesiae Doctor S. Augustinus primo loco ponit inter curas « eorum, qui Scripturas divinas nosse desiderant » (*de doctrina christiana* II, 21); auctor libelli « Un gravissimo pericolo » eam damnat ut profanationem et carnificinam in sacros Libros perpetratam; P. Commissio eius iura tuetur ac probat.

In his omnibus P. Commissio non novum aliquid decernere intendit, sed ex ipsis Apostolicae Sedis et SS. Congregationum Actis ostendere quae sit genuina Ecclesiae catholicae doctrina et praxis. Nihilominus magni est ponderis, quod Consilium a summa Ecclesiae auctoritate studiis biblicis regendis praepositum haec doctrinae capita, in quibus nonnulla dubia vel haesitationes pro aliquibus remanere poterant, tanta vi ac perspicuitate ex officio et cum peculiari Summi Pontificis approbatione declaraverit.

Ad modum conclusionis in extremis his Litteris P. Commissio in mentem revocat quae Romani Pontifices effecerint ad studia S. Scripturae in Athenaeis catholicis et Seminariis promovenda, laude sua ornat Pontificium Institutum Biblicum, quod secundum normas a S. Sede traditas tantopere ad ea studia contulerit, hortatur ut eadem pergant ubique serio excoli, prouti est in optatis Summorum Pontificum, in bonum totius Ecclesiae redundatura.

A. Vaccari S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

5 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae apostolicae *Postulat a Nobis*, 2 iul. 1941, quibus ecclesiae Catamarcensis titulo B. Mariae Virginis « A Valle » basilicae minoris privilegiis atque honoribus augetur (*AAS* XXXIII [21 nov. 1941], p. 447-448).

B — Litterae apostolicae *Refert ad Nos*, 2 iul. 1941, quibus S. Francisci Assisiensis seu sanctuarium B. Mariae Virginis Immaculatae in civitate Agrigentina exstans, basilicis minoribus accensetur (XXXIII [23 dec. 1941], p. 482-483).

C — Epistula, *Nuper allatum*, 30 sept. 1941, ad Em.mum P. D. IACOBUM ALOISIUM, tit. S. Hieronymi Illyricorum, S. R. E. Presb. Cardinalem COPELLO, archiepiscopum Bonaëriensem, quem legatum mittit ad conventum eucharisticum e tota Cilena republica in urbe Sancti Iacobi celebrandum (*AAS* XXXIII [21 nov. 1941] p. 449-450).

D — Allocutio quam Summus Pontifex coram mulieribus ab Actione catholica earumque adiutricibus, ex Italiae dioecesibus Romae coadunatis, die 26 mensis octobris 1941, in festo D. N. Iesu Christi Regis, habuit (*AAS* XXXIII [21 nov. 1941], p. 450-458).

E — Allocutio quam Summus Pontifex ad adulescentes ab Actione catholica ex Italiae dioecesibus Romae coadunatos die 2 nov. 1941 habuit (*AAS* XXXIII [23 dec. 1941], p. 496-502).

F — Epistula *Quemadmodum decessor Noster*, 4 nov. 1941, ad Rev. D. MARIAM EMMANUELAM FUSINA, antistitam sanctimonialium Anneciensis coenobii ceterasque moderatrices ac religiosas sorores Ordinis a Visitatione B. Mariae Virginis: tertio exeunte saeculo ab obitu S. Ioannae Franciscae de Chantal, eiusdem ordinis legiferae Matris (*AAS* XXXIII [23 dec. 1941], p. 490-493).

G — Allocutio quam Summus Pontifex habuit ineunte anno VI Pont. Academiae Scientiarum, adstantibus Em.mis PP. car-

dinalibus, Exc.mis Exterarum Nationum Legatis et eiusdem Academiae sociis aliisque Romanae Curiae praelatis praeclarisque viris die 13 nov. 1941 (*AAS* XXXIII [23 dec. 1941], p. 504-512).

H — Nuntius radiophonicus christifidelibus datus. die 9 mensis novembris 1941, ob conventum eucharisticum e tota Cilena natione in urbe Sancti Iacobi coadunatis (*AAS* XXXIII [21 nov. 1941], p. 439-447).

I — Epistula *Ineunte decembri,* 21 nov. 1941, ad Em.mum P. D. ALEXIUM, tit. S. Callisti S. R. E. cardinalem ASCALESI, archiepiscopum Neapolitanum, ab ingressu in purpuratorum Patrum ordinem quina lustra explentem (*AAS* XXXIII [23 dec. 1941], p. 493-494).

K — Allocutio diei 22 nov. 1941 qua Summus Pontifex respondit nobilissimis verbis quibus Exc. Vir IOSEPH EMMANUEL LLOBET, qua Reipublicae Argentinae legatus extra ordinem liberis cum mandatis, litteras publicas porrexit (*AAS* XXXIII [23 dec. 1941], p. 502-504).

L — Epistula *Faustus tibi proxime,* 25 nov. 1941, ad Em.mum P. D. THOMAS PIUM cardinalem BOGGIANI, episcopum Portuensem et S. Rufinae, eundemque S. R. E. Cancellarium, XXV anno adveniente a Romanae purpurae dignitate suscepta (*AAS* XXXIII [23 dec. 1941], p. 494-495.

M — Epistula *Tui in Sacra Congregatione,* 25 nov. 1941, ad Em.mum P. D. tit. S. Crucis in Hierusalem S. R. E. presb. cardinalem FUMASONI BIONDI, praefectum Congregationis de Propaganda Fide, XXV episcopatus annum feliciter expleturum (*AAS* XXXIII [23 dec. 1941], p. 495-496).

N — Litterae apostolicae *Caritas in humilitate,* 7 dec. 1941, quibus venerabilis Dei famula MAGDALENA e marchionibus DI CANOSSA, Instituti Filiarum a Caritate fundatrix, beata renuntiatur (*AAS* XXXIII [23 dec. 1941], p. 483-490).

6 - S. C. de P. Fide

Designatio pro appellatione

Iuxta can. 1594 § 2 Codicis Iuris Canonici Praefectus Apostolicus de Fort Jameson pro appellatione causarum matrimonialium suae Praefecturae, quae ex gratia celebrantur in prima instantia coram iudiciali conlegio Vicariatus Apostolici Nyassae, designavit Tribunal Vicariatus Apostolici de Shiré. Quam designationem SS.mus Dominus Noster Pius Pp. XII in Audientia

diei 16 Octobris a. 1941 approbavit. (*AAS* XXXIII [23 dec. 1941], p. 514.

7 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

3 - *Veronen.* Decretum 16 nov. 1941, Super dubio: An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, tuto procedi possit ad sollemnem beatificationem servae Dei MAGDALENAE e marchionibus DI CANOSSA, fundatricis Instituti Filiarum a Caritate, beatificationis eiusdem Servae Dei (*AAS* XXXIII [23 dec. 1941], p. 515-516).

1 - *Sancti Thomae de Meliapor.* Decretum 15 aug. 1941, Super dubio: An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam ab Apostolica Sede venerationem, tuto procedi possit ad sollemnem canonizationem beati IOANNIS DE BRITTO, martyris, sacerdotis professi Societatis Iesu, canonizationis eiusdem Beati (*AAS* XXXIII [21 nov. 1941], p. 460-462).

2 - *Neapolitata seu Lycien.* Decretum 15 aug. 1941, Super dubio: An, stante duorum miraculorum approbatione post indultam beato BERNARDINO REALINO ab Aposctolica Sede venerationem, tuto procedi possit ad sollemnem ipsius canonizationem, canonizationis beati BERNARDINI REALINO, confessoris, sacerdotis professi Societatis Iesu (*AAS* XXXIII [21 nov. 1941], p. 462-463).

8 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis praefecti sunt:

17 oct. 1941, R. D. CHRISTIANUS CAMINADA, vicarius capitularis atque canonicus capituli Curiensis, ipsi cathedrali ecclesiae Curiensi.

31 oct. 1941, Exc. P. D. HENRICUS PLA Y DENIEL, hactenus episcopus Salmantinus, metropolitanae ecclesiae Toletanae.

3 nov. 1941, R. P. ANTONIUS DOS SANTOS SILVA O. S. B., cathedrali ecclesiae Silvae Portuensi.

22 nov. 1941, RR. D. ERNESTUS A PAULA, vicarius generalis archidioecesis S. Pauli in Brasilia, cathedrali ecclesiae Jacarezinhoënsi.

27 nov. 1941, R. P. RAPHAEL RADOSSI O. F. M. Conv., parochus S. Mariae Gloriosae Venetiis, cathedralibus ecclesii Parentinae et Polensi invicem perpetuo unitis.

12 dec. 1941, R. D. Andreas Charue, hactenus Administrator apostolicus Namurcensis, eidem cathedrali ecclesiae.

14 dec. 1941, Exc. P. D. Paulus a Tarso Campos, hactenus episcopus de Santos, cathedrali ecclesiae Campinensi.

Decretis S. C. de Propaganda Fide nominati sunt:

24 oct. 1941, R. P. Henricus Maria Varin de la Brunélière, C. S. Spiritus presbyter, cathedrali ecclesiae S. Petri et Arcis Gallicae seu Martinicensi.

12 nov. 1941, R. P. Maximilianus Spiller, e Soc. Taurinensi S. Ioseph, Vicarius apostolicus de Napo.

15 nov. 1941, R. P. Casimirus Rembertus Kowalski, O. F. M. sodalis, Vicarius apostolicus de Wuchang.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

Messaggio natalizio di Sua Santità Pio xii. Le cause del conflitto mondiale e in principi fondamentali per un solido e duraturo ordinamento del mondo (I quaderni del Monitore ecclesiastico, I), 1-15 p.

Eugenio Ayape de San Agustín A. R., *Biografía del Padre Fabo*, Manizales (Tip. S. Agustín), 1941, 17 × 13, 286 p.

Breves rasgos alrededor de su persona y de su obra. Biógrafo místico. Polígrafo. Descripción bibliográfica de sus obras.

Franciscus H. Ferretti, S. R. C. Protonot. Apost., *De sacris Sanctorum reliquiis cum peculiari respectu ad lipsanothecas episscopales et maiorum ecclesiarum*, Romae (Typis Polyglottis Vaticanis), 1942, 27 p.

Notiones theoreticae. De s. reliquiarum cultu et repositione in consecratione altarium. De competentia S. R. Congregationis et Episcoporum. De s. reliquiarum classibus. De instrumentis et litteris authenticis, etc. De s. reliquiarum custodiis et translatione. De s. reliquiarum inventario. De loco et custode lipsanothecae episcopalis. Praecipua Sedis Apostolicae documenta a saec. XVII usque ad s. XX.

Bernardin Krempel C. P., *Die Zweckfrage der Ehe in neuer Beleuchtung begriffen aus dem Wesen der beiden Geschlechter im Lichte der Beziehungslehre des hl. Thomas*, Einsiedeln (Beinziger u. Co.), 1941, 23×15 cm., 302 p.

Was bedeutet Zweck? Wichtigkeit der Zweckfrage. Ihre Wertung bei den Theologen, vorall bei dem hl. Thomas. Die Ehe als Beziehung. Der Ehezweck von der Zustimmung und aus dem Wesen der Ehe gesucht. Träger, Fundament, Endpunkt der Beziehung Ehe. Das Wesen der Geschlechter. Die beiden Geschlechter im Spiegel der Physiologie und Psychologie. Grundunterschied von Mann und Frau. Lösung der Zweckfrage. Die Rolle der Liebe für die Zwecklösung. Bekräftigung der Zwecklösung. Zusammenhang zwischen Verkehr und Ehezweck. Der Geschlechtsverkehr als naturhafte und rechtliche Eiheitsbekundung. Der Geschlechtsverkehr als Liebesaudruck. Ergebnis des Verhältnisses Ehezweck-Verkehr. Der Geschlechtsverkehr als Entspannungsbehelf. Der Geschlechtsverkehr als Fortpflanzungsmittel. Bedeutung des Kindersegens. Die Ehe im Dienst de Persönlichkeit. Die freiwillige Ehelosigkeit.

Gerglamo Luzi, *La legislazione catechistica di Pio XI*, Torino (Ufficio catechistico centrale Salesiano), 19 p.

H. Noldin S. J. - A. Schmitt S. J., *Summa theologiae moralis*. Vol. tria et fasc. separati tres, ed. 26-27, Oeniponte-Lipsiae (Felicianus Rauch), 1940-1941, 20×22 cm., VIII-358; XI-728; X-710. *Vol. I* De principiis. De natura theologiae moralis. De fine hominis ultimo. De actibus ad finem aptis. De legibus. De conscientia. De virtutibus. De peccatis. *Vol. II*. De praescriptis virtutum theologicarum. De praeceptis decalogi, excepto sexto. De praeceptis ecclesiae. De prohibitione librorum. De praeceptis particularibus. *Vol. III*. De sacramentis in genere. De singulis sacramentis in specie. *Complementum I*. De sexto praecepto et usu matrimonii. *Complementum II* (H. Noldin S. J. - A. Schoenegger S. J.). De censuris. *Index rerum* locupletissimus totius operis.

II - Ex periodicis

ARCHIVIO DI DIRITTO ECCLESIASTICO, III (1941), num. 3 (lugl.-ott.) — Pio Fedele, *Diritto processuale e dommatica giuridica moderna*, p. 336-341.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO, LII (1941) num. 11 (nov.) — Francesco Invrea, *La giuridicità del diritto canonico*, p. 307-405.

PALESTRA DEL CLERO, XX (1941), vol. II, fasc. 16 (1 dic.) — Anastasio Filocalo, *Giansenismo o lassismo?*, p. 321-325.

PASTOR BONUS (Roma), V (1941), fasc. 11 (nov.) — F. Muzzarelli, S. S. P., *Quaestio iuridico-pastoralis: celebratio missae in ecclesiis religiosorum et ministerium paroeciale*, p. 496-508.

RAZON Y FE, CXXIV (1941), fasc. 4 (dec.) — E. Guerrero, *Inquietud cristiana*, p. 192, 292-296.

SAL TERRAE, XXIX (1941), num. 12 (dec.) — Joaquin Garcia Granda, *Amanecer de una nueva era. La « Rerum novarum » (15 mago 1891)*, p. 777-784.

THEOLOGICA SLOVACA, V (1941) — Ioannes Buban, *Intima ratio dominii privati*, p. 16-35.

PONTIFICI MAXIMO PIO XII

VERITATIS PRAECONI INDEFESSO

IUSTITIAE CARITATISQUE PROMOTORI INTEGERRIMO

VIGESIMO QUINTO RECURRENTE ANNO

AB EIUS CONSECRATIONE EPISCOPALI

EPHEMERIS NOSTRA

FAUSTISSIMA QUAEQUE ADPRECANS

LAETABUNDA GRATULATUR.

SUMMUS PONTIFEX PIUS XII

PRO CONCORDIA INTER POPULOS

Luctuosis quamvis in adiunctis versemur, temperare tamen nobis non possumus quin saltem breviter faustissimi cuiusdam eventus suavi memoria recreemur. Idque eo facilius nobis obtingit, quo frequentius hisce temporibus oculos nostros ad Sedem B. Petri, veluti ad arcem veritatis et sapientiae, convertimus. Qua in re nobiscum sociantur quotquot genuinam pacem veramque iustitiam sincere anhelant.

Nunc vero cum vigesimus quintus expleatur annus consecrationis episcopalis S. Pontificis f. r., aequum omnino est ut qui lumen solatiumque quaerendi causa toties ad solium pontificium accessimus, idem nunc gratulabundi circumdemus. Nullum vero donum, sive gratius S. Pontifici sive conformius indoli nostrae ephemeridis, in hac sollemni occasione offerri posse videtur quam paucis perstringere quidquid Vicarius Christi hucusque, sive ad pacem conservandam eamque efficaciter instaurandam sive ad afflictiones, quibus familia humana obruitur aliquo modo leniendas, indefesse peregerit.

Ubi primum ad supremam dignitatem evectus fuerat, non potuit quin vocem attolleret suam eamque per aethereas undas spargeret, qua fervide invitabantur omnes ad veri nominis pacem procurandam. Eos, potissimum, ut patet, alloquebatur S. Pontifex, ad quos gravissimum ac perhonorificum onus pertinebat perducendi populos ad prosperitatem civilemque progressionem. Tenebrosa illa nubium agmina, quae generosa propriae vitae oblatione Decessor eius dissipare contenderat, denuo vitam inter-

nationalem obtegebant; ideo Pius XII actuosam mentem suam eidem nobilissimo scopo indesinenter applicare minime dubitavit.

Nec possunt sine animi commotione legi quae iam iam imminente bellico conflictu coram universo terrarum orbe protulit. Nihil, aiebat, amittetur conservatione pacis; contra vero quidquid est boni indictione belli in periculum ruinae adducetur. Clamor tumultuosus passionum debet imperio rationis suffocari; vi enim rationis et non armorum sol iustitiae generi humano affulgere poterit. Atque imperia, quae firmissima rupe iustitiae non conquiescant, nequeunt allicere ad se omnipotentis Dei benedictionem. Quicumque in re politica velint a principiis moralibus praescindere, exitialibus laqueis funesti huius erroris necessario irretientur.

Cavete, fortes, aiebat, ne iniustitiis commissis debiles evadatis; cavete, potentes, ne vestra vi potius ad destructionem quam ad sustentaculum et defensionem tranquillitatis, ordinis laborisque utamini.

Et tandem, paulo ante quam flumen violentiae irrueret in Europam, omni contentione fovit postrema tentamina quae nonnulli homines bonae voluntatis fecerunt ut cruenta collisio impediretur. Immo, per directum interventum rogavit rectores Civitatum, quarum intererat, ut durantibus tractationibus vitarent diligenter quidquid statum rerum adhuc graviorem reddere poterat.

His paternis consiliis et continuis adhortationibus attentio quidem fuit reverenter praestita, obtemperatio autem constanter recusata; diffidentia enim mutua, pactorum sive criminosa violatione sive arbitraria denuntiatione adhuc recenter aucta, ita pervaserat populos ut iam concordia internationalis per conventiones vel promissa vix denuo instaurari posse videretur.

Nunc vero Pater communis omnium fidelium iure meritoque asserere potest se nihil intentatum reliquisse ut ab universa hominum consortione atrox belli calamitas arce-

retur. Quo etiam factum est ut ius, quod S. Pontifici competit in his eventibus humanis interveniendi, facilius agnosceretur etiam ab illis, qui vel christianam religionem non profitentur vel supremam auctoritatem R. Pontificis haud admittunt. Non semel loquutus est R. Pontifex de hoc iure et officio, quae ipsi vi muneris sui competunt; quo in iure exercendo officiove adimplendo ita semper se gessit ut nec infelici exitu inceptorum deprimeretur nec falsis interpretationibus ab agendo deterreretur.

* * *

Cum vero iam tractationes armis locum cedere debuerunt, tota S. Pontificis opera eo conversa est ut ulterior propagatio conflictus devitaretur et postulata essentialia iustitiae, aequitatis et humanitatis etiam mediis in proeliis vim suam exsererent. Hinc est quod non potuerit non manifestare publice acerbum dolorem, quo eius cor paternum est affectum, cum populi pacifici, quibus maxime cordi erat donum pacis custodire, fuerunt violenter in voraginem belli detrusi. Rursus populorum rectores ducesque exercituum rogare non dubitavit ut a mediis adhuc magis mortiferis adhibendis abstinerent. Iam enim usus illimitatus machinarum sive aërearum sive maritimarum tantam stragem inter non milites facit, ut non sine ratione dubitare quis posset num ii qui armis colluctantur maioribus vitae periculis sint obnoxii. Certe dici potest milites generatim meliore modo esse protectos contra huiusmodi pericula. Quot pueri, quot senes et mulieres procul a campo proelii morti violentae inopinato succumbunt!

His accedit, hostibus supervenientibus, ingens multitudo huc illuc errantium, qui domo metu pulsi securitatem in fuga quaerunt, quin de necessariis ad vitam conservandam quidquam providerint. In his omnibus plura commissa esse, quae praescripta iuris internationalis positivi, vel principia iuris naturalis, vel ipsas quasi elementarias

exigentias humanitatis graviter laedunt, amare queritur R. Pontifex.

Inter tot tantasque calamitates nihil praetermisit Pius XII ut, quantum ei licuit, omnibus afflictis aliquod vel auxilium materiale, vel solacium spirituale, vel utrumque simul praestaret. Interdum eius actioni beneficae consulto aditus praecludebatur, et quidem ubi non exiguus numerus captorum aderat, quod summo dolore afficere cor S. Pontificis indubium est; eo vel magis, quod ipse in priore bello ut vices gerens Benedicti XV, benevolentia auctoritatis publicae ubique circumdatus, tot tantaque in egentium commodum efficere potuerat. Frequenter caritati R. Pontificis limites imponit carentia mediorum sufficientium ad innumeras pene necessitates sublevandas; accedit utique liberalitas plurium fidelium qui suis donis exercitium caritatis magis amplum possibile faciunt. Sufficiat revocare in memoriam quae R. Pontifex tam pro militibus captis quam pro iis, qui e propriis laribus exsulant, peregerit, sive novis transmittendis, sive donis distribuendis sive etiam per visitationes Delegatorum Apostolicorum, ubi id permissum fuerint, animis erigendis.

Sed bona, quae R. Pontifici ad haec opera caritatis in promptu sunt, prorsus imparia evadunt, ut patet, vel urgentioribus necessitatibus sublevandis. Qua de re praeter adiumentum spirituale precum, quod omnes fideles supremo Capiti Ecclesiae praestare debent, opportunum esset etiam ut quisque dona materialia Patri communi offerret ad levamen tot membrorum familiae humanae, quae in his tristissimis adiunctis necessaria ad vitam sibi procurare nequeunt. Sane, si omnes quidquid aliquo modo superfluum videtur ad opitulandos inopes offerre velint, quot miseriae vel cessarent vel saltem lenimentum acciperent! Nemo autem dicere audebit nimium quid exspostulari, cum rerum superfluarum abdicatio in favorem egentium proponatur. Obmutescat ergo in tot fratrum nostrorum tristissima condicione proprii commodi immoderatus

amor et erumpat fervida caritas, quae solis verbis minime contenta ad facta transvolare satagat; hoc modo experiri poterunt homines, ut ait R. Pontifex, caritatem christianam esse vere operosam.

Saeviente bello fieri non potest quin in territoriis subactis innumeri cives alienae potestati interim subiciantur. Qui profecto non ideo iudicandi sunt ab omnibus iuribus destituti. Officia enim aequitatis, ex ipsis visceribus naturae humanae sponte profluentia, stare debent etiam tempore belli; ea autem elucebunt praecipue in gubernandis territoriis, quae occupata fuerint in vicissitudinibus conflictus.

Dantur hac in re a R. Pontifice clarae ac concretae normae, quae omnino concordant cum praescriptis iuris gentium et exigentiis naturalis aequitatis. Sane non est deneganda iis, qui alienum territorium occupant, potestas ea edicendi quae ad consulendum securitati proprii exercitus et armorum successui sint necessaria; sed simul eis est firmiter inculcandum procurationem boni communis populi subacti non posse unquam separari ab exercitio auctoritatis supremae, etsi haec temporarie ab alienis detineatur.

Iuvat vero aliqua speciatim indicare, quae sub quibuslibet adiunctis debent hac in re diligenter intacta relinqui. Ius ad vitam, quo omnes cives gaudent, non debet ullo modo violari, nisi forte agatur de illis, quorum crimina, poena mortis digna, legitime probata fuerint. Item honor et proprietas privata sunt bona stricte personalia, quae non licet conculcare. Habet insuper familia sua iura, quae auctoritas publica, quaecumque illa sit, revereri tenetur. Nec est praetermittendus aspectus religiosus, sub quo venit primo loco libertas ad cultum divinum sive private sive publice exercendum. Huic accedat necesse est libertas instructionis educationisque religiosae iuventuti impertiendae simulque facultas dandi assistentiam spiritualem lingua propria cuique populo. Demum securitas in

possessione et usu bonorum ecclesiasticorum itemque libera communicatio inter Pastores et christifideles, pro rebus ad regimen spirituale spectantibus, sunt iura quae auctoritati civili non subiacent.

Si auctoritas publica in regendis populis subactis illa sapientissima regula dirigatur, qua monemur non esse imponenda aliis onera quae nobis in iisdem vel similibus adiunctis intolerabilia vel iniusta viderentur, normae supra traditae absque speciali difficultate exsecutioni mandarentur. Hae ceteroquin ipsa prudentia politica vehementer commendantur. Exercitus enim sunt utique vi armorum debellandi, ast gentes potius suavi aequitate debent allici. Hoc modo reapse bellum fiet ut pax acquiratur, prout sapienter monebat S. Augustīnus. Cuiuslibet Status cives possunt, aestu passionum abrepti, idolo odii vel violentiae quandoque sacrificium offerre; magni vero interest, ait R. Pontifex, ut auctoritas publica huiusmodi facinora improbet eaque ne iterentur efficaciter praecaveat.

* * *

Et haec spectant ad lugenda cruentae collisionis tempora, in quibus quaelibet vox ad pacem adhortans strepitu armorum quasi necessario suffocatur et solum relinquitur locus silentioso exercitio misericordiae.

S. Pontifex, ut pastor providus, prospicit etiam futuris temporibus, ne teterrimae nocti belli fucata lux iniquae pacis succedat. Hinc est quod ipse urbi et orbi lineamenta verae pacis semel atque iterum firma sapientique manu adumbrare non dubitaverit.

Atque ut sapientissimus architectus a firmissimo fundamento iaciendo initium sumit. Itaque ut novus rerum ordo, de quo nunc saepe sermo, honestorum hominum approbationem mereatur, postulatis ordinis moralis et iuridici conformetur necesse est. Haec autem postulata non pendent a libero fluxoque hominum arbitrio, sed clarissime deducuntur ab universali norma de morum probita-

te, quae ultimatim quiescit super fundamento inconcusso omnipotentis Dei, Creatoris ac Patris omnium, qui simul est sapientissimus Legislator. Potestas ergo suprema, qua reguntur Status, omnino pendet a Deo et consequenter subiecta est altioribus illis normis, quae ab eo ut primo fonte originem ducunt.

Hoc principium fundamentale totius ordinis internationalis ita firmiter erit omnibus inculcandum, ut iam nemo audeat illud vel in dubium revocare vel in vita practica negligere. Sic sponte fiet ut tandem aliquando depellantur e vita internationali funesta illa effata, quae contendunt vel utilitatem esse normam veri iuris vel vim materialem posse creare iura. Haec si admittantur, impossibilis fit ipso facto quieta et duratura pax inter diversos Status et populos in quos dispescitur familia humana.

Solum super firmissimo fundamento universalis normae de morum probitate, a Deo provenientis, poterit secure conquiescere vera pax, illa sc. in qua, ut ait R. Pontifex, non modo honor singulorum Statuum intactus servetur, sed etiam necessitatibus vitalibus eorum satisfiat omniumque populorum seu portionum ethnicarum legitima iura agnoscantur. Secus non obtinebitur nisi cessatio temporaria, et quidem perbrevis, fragoris bellici; ageretur enim de pace destructione vel oppressione populorum innixa.

Itaque in novo ordine constituendo ratio debebit haberi iurium, quorum observantia legitime exigitur sive ab Statibus sive etiam a populis vel portionibus ethnicis. Insuper nullus Status debet excludi ab accessu ad fontes oeconomicos vel ad res usus communis; contra debet reddi possibilis bonorum materialium communicatio inter omnes populos ut bonum commune civium, modo convenienti nostrae aetati, ubique promoveri queat. Potissimum inter magnos Status non debent nimiae differentiae hac in re exsistere, si germina novorum conflictuum efficaciter eliminare intendatur.

Ex alia vero parte nullus Status, etsi parvus sit, debet privari iure propriam vitam liberam et independentem habendi. Fieri potest ut magni Status potentia divitiarum materialium influxum oeconomicum in vicinos Status exerceant et sic quaedam veluti interdependentia oeconomica sponte instituatur. Etiam cum id acciderit, debebit custodiri diligenter libertas parvorum Statuum in campo politico, quae secum fert strictum ius neutrae parti adhaerendi, si forte bella inter magnos Status oboriantur.

Ille vero influxus de quo supra, ita debet exerceri ut non impediatur propria singulorum Statuum vita oeconomica, quae omnino necessaria est ad bonum commune consequendum. Praeterea Status, qui ita incolis abundent ut plures nequeant in solo patrio necessaria vel convenientia ad vitam sibi procurare, poterunt exigere ut iis liceat illas regiones adire, quae ob paucitatem incolarum fere incultae manent. Sed pari tempore debebunt omni cura eliminare quidquid nocere possit fidae amicitiae promovendae cum auctoritate publica Status, qui hos homines admittat; ius enim ipsa possidet ut novi incolae honesti cives novae patriae efficiantur.

Si locutiones nunc saepius repetitae, ut spatium vitale, ius expansionis aliaeque id genus plus quam quod descripsimus significare velint, sunt prorsus improbandae; necessitates enim supra enumeratae nunquam poterunt constituere titulum legitimum dominatus politici. Voluntas vivendi alicuius Status, ait R. Pontifex, non potest eo usque progredi ut destructionem independentiae alterius Status secum ferat. In vero ordine, legi naturali conformi, omnes Status, quaecumque sit eorundem vel extensio territorialis vel capacitas defensiva, debent secure gaudere et libertate politica et integritate territoriali.

Quod autem spectat ad populos vel singulares portiones ethnicas, liquet eorum postulata legitima esse exaudienda, cum de vero ordine constituendo agatur.

Respiciamus nunc tempora quae constitutionem novi

ordinis subsequerentur. Rebus omnibus inter gentes non vi, sed veritatis, iustitiae caritatisque ratione feliciter compositis, firmiter tenendum erit, ait R. Pontifex, illud principium iuris naturalis, quod iubet ut pacta conventa, ex gentium iure stipulata ac sancta, integra inviolataque permaneant. Dum diffidentiae mutuae, quae hucusque vitam internationalem constanter oppressit, non succedat fundata spes fore ut rectus ordo rerum, sapienter constitutus, sancte ab omnibus servetur, deerit inter diversos Status fiducia illa, quae ad mutuam cooperationem est omnino essentialis.

Hinc absoluta necessitas erigendi collegia internationalia, quibus concredatur sanctissimum munus reddendi securam adimpletionem pactorum sollemniter initorum et introducendi tempestive in ea, post maturum rei examen, modificationes quas mutatio adiunctorum vel experientia necessarias esse demonstraverit. Ad hoc consilium internationale spectaret etiam de laesionibus contra statuta forte commissis iudicium proferre et simul debitam sanctionem imponere, qua ordo internationalis laesus restauretur.

In sententiis huius augusti consilii una vox iustitiae, humana aequitate temperatae resonare debebit; hoc modo enim summa eius auctoritas et dignitas ubique agnita in dies cresceret. Quo fiet etiam ut sententiae prolatae efficaci simulque suavi ratione in praxim deducantur.

Benedictus XV, in sua ad populorum belligerantium moderatores adhortatione, loquebatur non modo de obligatione assumenda sollemniter ab omnibus Statibus submittendi his collegiis internationalibus mutuas lites eorumque decisiones acceptandi, sed etiam de sanctionibus, quae deberent imponi violatoribus harum obligationum internationalium. Et certe dum malitia humana inficiat relationes sociales, necessarium esse videtur ad recti ordinis custodiam ut auctoritas moralis societur cum vi physica.

Pius XII non loquitur expresse de sanctionibus. Innuit utique clare exercitium summae huius auctoritatis internationalis debere esse efficax; quo pacto autem id obtineri debeat non describit ex professo, sed pari tempore vehementer adhortatur rectores populorum ut ex tristi experientia praeterita diligenter causas detegant, quae ad inefficaciam mediorum iuridicorum anteacti temporis contulerint. Exinde deduci posse videtur S. Pontificem velle commendare eadem media indicata iam a Benedicto XV, quae ut efficaciter finem intentum obtineant eo modo erunt ordinanda, qui ex experientia iam facta melior apparuerit.

Semel ac instituta fuerint haec collegia internationalia ad custodiendam observantiam pactorum vel ad legitima postulata populorum examinanda, iam locus esse non potest bellis independenter ab hoc supremo consilio indictis; ille solus armorum usus legitimus daretur, qui ab hac suprema auctoritate imponeretur ad puniendas laesiones contra ius internationale forte commissas. Quo quid pulchrius dici aut cogitari potest? Vis physica serviret unice custodiae et protectioni ordinis moralis.

Consectarium naturale novi huius ordinis esset spontanea cessatio insanae illius inter diversos Status contentionis in exercitibus augendis machinisve bellicis construendis. Amaros fructus huius artis politicae quis non videt? Ingens onus sumptuum debent societates sustinere ut haec exitialia instrumenta in promptu habeantur, dum ex alia parte possessio magnae potentiae bellicae vehementer incendit animos ad abutendum ea in commodum cupiditatis et superbiae.

Gravissima sunt verba quae hac super re profert S. Pontifex. Conventiones pacis, ait, in quibus non consideretur tanquam res substantialis, immo fundamentalis, armorum deminutio mutua atque organica, gradatim deinde in praxim ab omnibus deducenda, decursu temporis patebit vera vita et firmitate prorsus carere. Deminutio-

nem armorum et institutionem mediorum efficacium ad custodiam pactorum iudicat R. Pontifex esse conditiones essentialissimas pacis duraturae; hac de re vehementer adhortatur rectores civitatum ut mole difficultatum minime perterriti huic permagnae operae sese totos dedant.

* * *

Si iam ex hoc aspectu internationali velimus ad internam structuram iuridicam singulorum Statuum oculos convertere, videbimus rursus summam reipublicae potestatem, utpote subiectam, etiam in hoc ordine, altioribus normis a Deo provenientibus, debere iura essentialia, tum singularum personarum societatisque familiaris, tum etiam Ecclesiae prorsus revereri. Secus in illam erratam opinionem incideremus, quae tenet rem publicam vel civium communitatem supremam esse totius humanae vitae metam maximamque normam in iuris morumque ordine habendam. Contraria sententia, quae docet primarium officium publicae potestatis esse iura essentialia personae humanae tueri auxiliumque praestare validum civibus ad faciliorem adimpletionem officiorum, verissima dicenda est conformisque rationi.

Inter haec vero officia principem locum occupant ea, quae hominem ligant versus Deum, Creatorem suum; numquam ergo licebit auctoritati publicae sub praetextu boni communis promovendi hoc sacrum ius hominum cultum divinum exercendi violare. Alia iura, stricte personalia, ut rationabilis libertas in statu vitae eligendo, facultas ineundi matrimonium et ducendi vitam coniugalem sunt pariter inviolabilia.

His accedere debet ius quod parentes possident consulendi bono materiali et religioso sobolis. Nulla potestas, sine gravi iuris detrimento, potest hoc munus sibi rapere. Quodsi auctoritas publica, hac usurpatione minime contenta, ulterius eam conformationem iuventutis curet foveatque quae a divini Redemptoris doctrina recedat

longe, crimen committet nefandum, terribili punitione dignum. Id fieri etiam nunc, saeviente bello, aperte declarat S. Pontifex.

Si vero contingat ut intra dicionem alicuius Status populus vel portio quaedam ethnica peculiaris includatur, eadem lex moralis, cui subest suprema auctoritas politica cuiuscumque Status, prohibet quominus haec culturam propriam et linguam peculiarem talis populi destruat vel etiam subdole suffocet, sublatis scilicet mediis quae nostris temporibus sunt necessaria ad illum thesaurum peculiarem conservandum et fovendum.

Demum in novo rerum ordine, qui velit esse conformis principiis moralibus, debet exsulare quaelibet insectatio et religionis et Ecclesiae; haec enim possidet iura ab ipso Deo ad regimen spirituale tradita. Atque auctoritas spiritualis Ecclesiae, quae sese extendit ad universum orbem, validissimum adiumentum potest conferre rectoribus populorum ad illam unitatem animorum efficiendam, quae est necessaria pro novo ordine internationali instaurando. Quo igitur maiore libertate gaudeat Ecclesia ad suam actionem spiritualem exserendam, eo efficaciorem influxum exercebit in animos, ut postulata veritatis, iustitiae caritatisque sincere homines amplectantur.

Sed ut hos fructus tempore quo cesset strepitus armorum colligere possimus, necesse est ut iam animorum diligentem praeparationem sine mora incipiamus. Spiritus odii, qui nunc fervet ubique, est tandem depellendus itemque spiritus amoris immoderati proprii commodi, ut locus fiat spiritui iustitiae, humanitatis et fraternae cooperationis. En sensa quibus desiderat S. Pontifex ut informentur nostri animi, ut dein parati sint ad pacem promovendam quae non vindictae, sed iustitiae et caritatis sigillis muniatur.

Spem fovemus, ait R. Pontifex, fore ut omnes christifideles, pro cuiusque munere et viribus, huic nobilissimae operae cooperentur. Nullum donum, sive iucundius

R. Pontifici sive utilius familiae humanae, poterit a nobis, occasione tanti festi, ad solium pontificium deponi quam promissio sollemnis huic augustissimo desiderio plene acquiescendi.

PH. AGUIRRE S. I.

Canonis 105, 1° interpretatio et interpretes.

Canon est ex praeliminaribus libri secundi, locum obtinet tertium inter quattuor canones, qui de personis physicis pariter et moralibus agunt, et praecise ultimum illorum trium, qui de *actibus* harum personarum [1].

Est canon magni momenti, normam generalem continens, quoad non paucos canones particulares applicandam; eius interpretatio ex parte inter auctores sat controversa [2]. Hoc loco de n. 1 canonis tantum agemus et quidem primo de eius recta interpretatione, deinde de interpretibus adversariis.

Pro lectoris commodo ponantur hic ipsa Codicis verba:

Cum ius statuit Superiorem ad agendum indigere consensu vel consilio aliquarum personarum:

1°. *Si consensus exigatur, Superior contra earundem votum invalide agit; si consilium tantum, per verba, ex. gr.: de consilio consultorum, vel audito Capitulo, parocho, etc., satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat; quamvis autem nulla obligatione teneatur ad eorum (sic!) votum, etsi concors, accedendi, multum tamen, si*

---

[1] (Recte *hoc* loco ponitur, quia agit de actibus et spectat tum ad personas physicas tum ad personas morales; quare immerito nonnulli e. gr. Vidal, Michiels relicto Codicis ordine de eo tractant ante can. 102).

[2] (Si placet, adire potes cl. G. Michiels, Principia generalia de personis in Ecclesia, Lublin, 1932, inde a p. 400, praesertim p. 409 ss, ubi erudite refert varias auctorum sententias cum argumentis).

plures audiendae sint personae, concordibus earundem suffragiis deferat, nec ab eisdem, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, discedat.

I. Ad facilitandam investigationem in genuinum canonis sensum, quae sequuntur habeas praenotata:

1. quaenam sit ipsa norma in c. 105 1° stabilita;

2. pro quibus casibus norma haec generalis detur;

3. quaenam sint criteria, quibus diiudicetur, utrum necne aliquis casus particularis pertineat ad hanc casuum speciem, pro qua norma generalis data est;

4. quinam sint de facto casus concreti in iure, qui adhibitis criteriis ad hanc casuum speciem pertinere probantur.

Hoc loco directe agendum non est nisi de duabus primis quaestionibus; nam sermo est de sola canonis 105 1° *interpretatione.*

Legislator *supponit* dari casus, ubi secundum statutum iuris Superior indiget ad agendum consensu vel consilio aliquarum personarum; quod ex verbis canonis introductoriis est evidens.

Normam statuere vult *generalem* pro omnibus et solis hisce casibus; quod ex verbis initialibus clare apparet, cum absque ulla restrictione dicatur: « cum ius statuit » (cum = si); ius intelligendum tum universale tum particulare[3].

Quinam sint in iure hi casus, ubi Superior ad agendum indiget consensu vel consilio, *alia* prorsus est quaestio, de qua in nostro canone minime agitur. Quod si mente fixum retineas, habebis clavem ad aperiendum verum canonis sensum et excludendas difficultates, quae moventur. Superior hic sensu latiore intelligitur quaelibet persona, quae vi muneris, quod obtinet, potest auctoritative iuridice

---

[3] (Aliter Ph. Hofmeister, Bischof und Domkapitel, Abtei Neresheim, 1931, p. 33, qui referens cc. 11 et 19 concludere vult, agi solummodo de iure communi).

agere pro foro externo; illae aliquae personae, quarum consensu vel consilio indiget, intelliguntur omnes, sive personae morales sive physicae, sive una sive plures, sive Superioris subditae sive non, excepto tamen Superioris ipsius Superiore.

Indigere aliqua re significat certe, rem esse necessariam ad obtinendum effectum intentum; indigere consensu vel consilio significat, consensum vel consilium esse necessarium, esse conditionem sine qua non, ad agendum. Agere iuridice est ponere actum voluntatis, ut sequatur effectus iuridicus; qui actus voluntatis, si est validus, potest esse validus tantum vel validus simulque licitus; valor respicit effectum actionis, liceitas actionem ipsam [4]. Indigere aliqua re ad agendum *ex se* posset dicere, rem necessariam esse, sive ut *valide* agere possit, sive ut *licite;* necessarium esse consensum vel consilium, posset dicere, sive ut actus sit validus, sive (abstrahendo a valore) solummodo ut sit licitus; consensum vel consilium esse conditionem sine qua non dicere posset, esse requisitum, ut Superior validum ponere possit actum iuridicum, vel tantum, ut eius actio sit licita, quin conditio influxum habeat in valorem actus. (Ita intelligimus, si in sequentibus brevius loquimur de conditione ad liceitatem, ad solam liceitatem, ad liceitatem tantum, ad licite agendum, ad licite tantum agendum etc., ac si dicatur, conditio, a qua nullo modo dependet valor actus sed tantum liceitas actionis; si loquimur de liceitate actus, de « licite agere » etc., ac si dicatur actum poni impletis omnibus conditionibus, quae a iure requiruntur non ut actus sit validus, sed quae spectant tantum ad licite agendum). Tamen, si ius simpli-

[4] (Auctores quidem distinguunt actus validos in actus validos simpliciter et actus validos simulque efficaces; quia tamen Codex, loquens de validitate actus, plerumque, uti etiam in c. 105 et antecedentibus, intelligit valorem simulque efficaciam, etiam nos hoc loco rem ita sumimus, scil. valide agere sensu valide simulque efficaciter agere, actus validus sensu validus et efficax, invalidus sensu inefficax, invalide agere sensu ponere actum iuridice inefficacem).

citer dicit indigere ad agendum, nulla addita determinatione, videtur intendere *valorem* actus, vel saltem adesse praesumptionem loqui de valore; et ita in nostro casu legislatorem respicere casus, ubi Superior indiget consensu vel consilio ad *valide* agendum [5]. Quae praesumptio, ni fallor, non parum firmatur eo, quod in canonibus immediate praecedentibus agatur de actuum *validitate*. Sed interim, postea reversuri, quaestio in suspenso relinquatur, ut ad ipsas conditiones, de quibus agitur, nos convertamus.

Agitur de consensu vel consilio; « vel », ut patet, intelligendo non explicative sed disiunctive. Sunt enim consensus et consilium res plane diversae. Si agitur de actibus iuridicis ponendis, consensus est conformitas voluntatis propriae cum voluntate agentis, quoad actum ponendum agenti manifestata; consilium est mens quoad actum ponendum considerate sibi formata, agenti manifestata; consensus est ergo actus voluntatis, consilium actus intellectus. Si ius statuit dependentiam alicuius in agendo ab aliquarum personarum consensu vel consilio, haec dependentia, sive agatur de consensu sive de consilio, *ex ipsa rei natura* duplicem ad summum obligationem pro agente, si agere vult, inducere potest: una est, exquirere voluntatem (mentem) illarum personarum, aliis verbis, illas audire; altera est, sequi voluntatem (mentem) illarum personarum, se ipsum in agendo conformare voluntati (menti), accedere ad votum personarum, (de hisce duabus conditionibus requisitis loquendo brevitatis gratia dicam simpliciter: « audire », « accedere »). Inter has tamen duas obligationes, de quibus *solis*, si agitur de consensu vel consilio, sermo *rationabiliter* esse *potest*, quasque *solas* proinde canon respicit, haec habetur *ex rei natura* relatio: prima (audire) consistere potest absque altera (accedere),

---

[5] (Ojetti, Commentarium in Codicem, Romae, 1929, II. p. 191, non haesitat affirmare: sane agi de medio necessario *ad valide agendum* evidenter apparet ex verbis initialibus, quum ius statuat Superiorem ad agendum *indigere*).

altera vero necessario supponit primam. Quod est evidens: non enim potest Superior in agendo sese conformare menti aliarum personarum (accedere ad votum), nisi eam noscat (audierit personas); potest e contra, etsi mentem noverit (audiverit), eam sequi, « accedere », vel ab ea discedere. Aliis verbis: si legislator statuens dependentiam in agendo imponit obligationem *accedendi*, necessario ex rei natura simul imponit *audiendi*, neque opus est, ut *expresse* hoc dicat; si vero imponit obligationem *audiendi*, ex natura rei non necessario habetur obligatio *accedendi*, sed ab eius positiva voluntate dependet, utrum necne praeter *audiendi* velit etiam imponere obligationem *accedendi*. Quaestio ergo, si Superior ad agendum indiget consensu vel consilio aliquarum personarum, non potest esse, utrum Superior *debeat* necessario *audire* has personas, sed tantum, utrum audire *sufficiat* vel utrum *praeterea* teneatur actum suum ponere conformiter ad mentem illarum, *accedere*. Ecce, altera clavis ad verum canonis sensum aperiendum!

His praemissis ad ipsam normam in c. 105 1° stabilitam accedamus. Dicit canon: Si consensus exigatur, Superior contra earundem votum invalide agit (prima pars); si consilium tantum... satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat... (secunda pars). Notetur semel pro semper: verba « si consensus exigatur », « si consilium tantum (exigatur) » in contextu cum verbis in introductione « indigere ad agendum » alium sensum non *possunt* habere nisi « si consensus exigatur *ad agendum* » (loco verborum: « si ius statuit Superiorem ad agendum indigere consensu aliquarum personarum »), « si consilium tantum (exigatur) *ad agendum* »; quod est evidens sed magni momenti et in sequentibus semper supponitur.

Uti apparet, legislator quaestionem modo indicatam determinat faciens *distinctionem* inter consensum et consilium: si exigitur consensus (de quo in prima parte), Superior, supposito quod agere vult, debet sese in agendo

conformare menti (voluntati) aliarum, non potest contra votum illarum agere; non ergo sufficit *audire* personas sed debet *accedere* ad earum votum; si vero consilium tantum exigitur, sufficit ut audiat personas neque tenetur *accedere;* manet ergo in casu consilii *una* conditio sine qua non: *audire;* hoc unum Superior praestare *debet;* audire ergo sufficit *et requiritur;* si ne audierit quidem personas, conditio sine qua non ad agendum requisita deficit; si ne hoc quidem minimum requisitum exigeretur ad agendum, tota norma de consilio sensu prorsus careret. Aliis verbis, *generali* modo loquendo: Duarum obligationum, quae solae in quaestione sunt (sive de aliis in casu sermo ex natura rei fieri nequit, sive saltem de facto non est), quarum una saltem *necessario* imponitur, si necessitas unius negatur, alterius necessario affirmatur. *Applicando*: duae tantum obligationes in quaestionem veniunt, quod ex supra dictis patet, audire, accedere; negatur obligatio accedendi, sufficit ad agendum audire; obligatio audiendi necessario imponitur; ergo « *sufficit ad agendum* » in textu et contextu aliud dicere non potest nisi: *requiritur et sufficit;* Superior nisi alias personas audierit, non potest agere.

Ita stabiliendo canon duo simul praestat: determinat influxum iuridicum dependentiae Superioris a consensu et consilio simulque indicat differentiam inter consensum et consilium quoad hunc influxum in actum iuridicum Superioris; et hic praecise et nullus alius est finis totius normae.

Manet quaestio, utrum necne requisita (« audire » et « accedere » in casu consensus, « audire » in casu consilii) sint ad actus Superioris *valorem;* quam clare et indubitanter canon decidit dicendo: si consensus exigatur, Superior... *invalide* agit, si consilium tantum... satis est ad *valide* agendum. Certissime ergo ad *valide* agendum Superior tum in casu consensus tum in casu consilii necessario debet exquirere mentem personarum; si personas

non audierit, *invalide* agit. Sanctio invaliditatis aperte in canone statuitur etiam in casu consilii, sive dicas expresse sive aequivalenter. Quoad hoc *primum* requisitum nulla est differentia inter consensum et consilium, quae e contra invenitur quoad *alterum* requisitum, accessum ad votum personarum, quod necessarium est in solo casu consensus.

Haec videtur unice vera normae interpretatio ex ipsis verbis in textu et contextu consideratis deducta, quem contextum ille non plene respicit, qui considerationem ad solam secundam partem (quae de consilio est) restringens sensum verborum « satis est ad valide agendum » eruere conatur.

Ergone, audio anxie interrogare, ergone vi huius canonis *semper,* ubicumque a iure statuitur dependentia Superioris in agendo sive a consensu sive a consilio aliquarum personarum, Superior ut *valide* agat necessario audire debet illas personas (et in casu consensus etiam accedere voto illarum)?

Respondeo: minime, sed tunc tantum, si in casu determinato consensus vel consilium *ad valorem* actus Superioris a iure exigitur.

Quod sat simplici, uti videtur, consideratione ex ipsis canonis verbis « invalide agit », « ad valide agendum » eruitur. Duo attendas, quae demonstrata iam sunt: unum, consensum exigi semper dicit necessarium esse accedere ad votum personarum, consilium exigi dicit, necessarium esse et sufficere audire personas, in utroque casu agitur de conditione *ad agendum;* alterum, conditio aliqua (ita etiam consensus vel consilium) potest esse ad valorem actus vel ad solam eius liceitatem, ita ut valor ab ea non dependeat; si dicitur aliquam conditionem esse ad actus *valorem,* excluditur eam esse ad solam *liceitatem* et viceversa, si ad solam *liceitatem* excluditur eam esse ad *valorem.* Ita etiam consensus et consilium potest esse conditio ad *valorem* vel ad solam *liceitatem* actus; si dicitur:

« si consensus exigatur », « si consilium tantum (exigatur) », sensus *per se* esse *potest* vel: « si consensus exigatur *ad valorem* », « si consilium tantum exigatur *ad valorem* » vel: « si consensus exigatur ad solam *liceitatem* », « si consilium tantum exigatur ad solam *liceitatem* ». *Revera* autem in canone nostro sensus esse *non potest* nisi: « si consensus exigatur *ad valorem* (ad *valide* agendum) », « si consilium tantum exigatur *ad valorem* (ad *valide* agendum) ». Quod concludi debet ex verbis canonis « contra earundem votum *invalide* agit », « satis est ad *valide* agendum ut illas personas audiat »; quorum verborum sensus est: si agit non impleta conditione i. e. absque consensu, invalide agit; si agit absque consilio, invalide agit. Nam statuere. si exigatur consensus ad *licite* agendum, Superior absque consensu *invalide* agit; si exigatur consilium ad *licite* agendum, absque consilio *invalide* agit, involveret contradictionem et esset non sensus. Ergo norma canonis illos tantum casus respicit, ubi consensus et consilium exigitur ad *valorem* actus Superioris.

Vel, si magis placet stricta loquendi forma, ita argumentum ponitur: Supposito vario sensu, quem verba « si consensus exigatur » in se, separatim spectata habere possent, triplici modo tota sententia conditionalis enuntiari potest: 1. *Semper*, si consensus exigatur, sive ad *valide* agendum sive ad *licite* agendum, Superior contra votum invalide agit;

2. si consensus exigatur ad *licite* agendum, S... invalide agit;

3. si consensus exigatur ad *valide* agendum, S... invalide agit.

Atqui primus et sencundus modus involvit contradictionem; nam diceret, si consensus est conditio ad *licite* agendum, Superior non impleta conditione (contra votum = absque consensu) *invalide* agit;

Ergo solus tertius admitti potest: « si consensus exigatur » intelligi debet « si consensus exigatur ad *valide* agendum ». Hos tantum casus respicit norma canonis.

Si alium praefers probandi modum, ita procedas. In

sententia conditionali: « si consensus exigatur, Superior contra earundem votum invalide agit », in prima parte (protasi) indicatur conditio (suppositio), quae si verificatur, valet conditionatum, quod in altera parte (apodosi) stabilitur. Conditio et conditionatum, uti par est, versantur circa idem objectum i. e. circa actum Superioris; cui tamen actui id ex natura rei proprium est, ut possit esse validus tantum vel etiam licitus, quod possit dependere a conditione ita ut haec respiciat eius valorem vel solam liceitatem. Protasis *ex se* comprehendit *tum* casus *validitatis tum* casus *liceitatis;* apodosis e contra *solos* casus *validitatis*. Ambitus apodosis necessario determinatur ambitu protasis, sed etiam protasis necessario restringitur ab apodosi ad illos casus, qui spectant *validitatem*, quia quoad casus *liceitatis* apodosis sensu caret; et ita sensus protasis esse *debet*: si consensus exigatur ad *valide* agendum. Breviter: norma in apodosi stabilita pro *genere* casuum in protasi determinato, quod ex natura rei admittit divisionem in *species* casuum, pro illa sola *specie* data esse censeri debet, pro qua *ex rei natura* applicationem admittit. Applicando ad canonem: contra votum *invalide* agit sensum non habet (immo contradictionem involveret), nisi supposito casu ubi consensus exigitur ad *valide* agendum; ergo norma hos tantum respicit casus et verba « si consensus exigatur » intelligi *debent*: « si consensus exigatur ad *valide* agendum ». Pari modo procedit argumentum quoad consilium: « si consilium tantum exigatur » intelligi debet: « si consilium tantum exigatur ad *valide* agendum ». Vis argumenti, uti videre est, ponitur in duplici ratione simul sumpta: *una,* conditio ad agendum potest *ex rei natura* esse *sive* ad *validitatem* actus *sive* ad solam *liceitatem; altera,* « invalide agit », « ad valide agendum » supponit, agi de conditione ad *validitatem*. *Aliter* omnino res se haberet, si hae rationes deficerent i. e. vel si in apodosi stabiliretur aliquid, quod applicari

posset *toti generi* casuum, sive agatur de conditione ad validitatem sive ad solam liceitatem, si ex. gr. diceretur: « Superior contra votum agens *puniatur* » (v. gr. suspendatur ab officio); vel si poneretur protasis, quae non admittit ex rei natura distinctionem, si ex. gr. diceretur: « Si lex habeat verba: cum consensu, de consensu, consentiente Capitulo etc., Superior contra votum invalide agit; si verba habeat de consilio consultorum, vel audito Capitulo, parocho, etc., satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat ». Haec dicta sint, ut clarior adhuc appareat vis argumenti propositi.

Non autem dependet argumentum ab eo, utrum necne *de facto* in iure habeantur casus, ubi consensus vel consilium exigatur ad solam actus liceitatem. Nam etsi nullus haberetur in Codice talis canon, semper intactum manet, normam canonis nostri non respicere neque respicere posse nisi solos casus, ubi consensus vel consilium exigatur ad *valide* agendum.

Revera tamen, incidenter hoc dictum sit, tales casus in Codice haberi, canones recte interpretanti facile patebit; sufficiat unum commemorare c. 1653, in quo id luce clarius et absque speciali demonstratione apparet.

Ne dicas; si recta est data interpretatio, norma nil est nisi manifestus pleonasmus; quasi dicatur, « si consensus exigatur ad valide agendum, Superior absque consensu invalide agit », « si consilium tantum exigatur ad valide agendum, Superior invalide agit, si non audit personas ». Sed lex praecise non ita loquitur, sed « contra votum invalide agit », « satis est ad valide agendum ut audiat », tali modo simul indicando, in qua re consistat in casu natura consensus, scil. in « accedere ad votum », et natura consilii, scil. in sola et necessaria « auditione personarum ». Multo minus adhuc concedendum est normam continere nil nisi pleonasmum, si advertatur finem normae principalem, uti supra iam dictum est, esse prae-

cise stabilire *differentiam* inter consensum et consilium. Est ergo norma explicativa, qua indicatur quo sensu in casu intelligi debeat consensus et consilium, quaenam sit eorum vis iuridica, quaeque inter utrumque differentia.

Admissa data interpretatione verborum, « si consensus exigatur », « si consilium tantum (exigatur) » — in qua consistit cardo interpretationis totius normae et praesto est tertia clavis, et quidem principalis, ad excludendas difficultates — certum evadit, id quod antea in suspenso reliquimus: verba illa in canonis introductione « ad agendum indigere » alium *non posse* habere sensum nisi « ad *valide* agendum indigere ».

Iuxta propositam interpretationem, si a tautologiis non abhorres, nostrum canonem *concinnis* verbis redactum ita potes *amplificatum* enuntiare: Cum ius statuit Superiorem ad *valide* agendum indigere consensu vel consilio aliquarum personarum:

1° Si consensus *ad valorem* exigatur, Superior *obligatione tenetur non solum illas personas audiendi sed etiam ad earum votum,. etsi non concors, accedendi et* contra earundem votum invalide agit; si consilium tantum, per verba, ex. gr. de consilio consultorum, vel audito Capitulo, parocho, etc. *ad valorem exigatur, requiritur et* satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat *et nulla obligatione tenetur ad eorum votum, etsi concors, accedendi;* quamvis autem nulla obligatione teneatur ad eorum votum, etsi concors, accedendi, tamen...

Haec si comparantur cum ipso textu canonis — verba addita ex characteribus diversis dignoscuntur —, facile apparet, legislatorem normam statuisse non tantum quoad rem ita perspicuam, ut rationabile dubium de vero sensu exsurgere non possit, id quod abundanter esse demonstratum concedatur, sed etiam quoad formam ita concinne et congruenter redactam, ut melior vix vel ne vix quidem inveniri possit. (Lapsus tantum calami, parvi ad-

modum ponderis, correctione indiget: loco « ad eorum votum » ponatur « ad earum *votum* » [6]).

Ne incisum illud in canone: « per verba, ex. gr.: de consilio consultorum, vel audito Capitulo, parocho etc. » tuam fortasse possint obstaculare alacritatem in amplectenda proposita interpretatione, haec attendas: sunt verba exemplificativa verbum *consilium* spectantia, quibus indicatur, in casibus concretis consilium exigi non solum, si hoc *expresse* dicatur sed etiam si verbis *aequivalentibus* ex, gr. *de* consilio, *audito* Capitulo etc.; si in iure talia occurrunt, lectorem certiorem faciunt, exigi consilium *generatim* loquendo, quin ex se indicent exigi consilium ad *valorem* (vel ad solam liceitatem). Ergo quamvis, uti demonstratum est, verba canonis « si consilium tantum (exigitur) » sensus habent « si consilium tantum (exigitur) *ad valorem*, tamen ex sequentibus verbis exemplificativis nullo modo sequitur, semper, si in Codice talia verba habentur, consilium exigi *ad valorem* actus. Haec incisi interpretatio est rationabilis, propterea admitti *potest*, immo, *debet*, quia est *unica* rationabilis; si enim alio sensu verba illa explicarentur, construeretur discrepantia in ipso nostro canone et nostrum inter et alios Codicis canones, ut ex iam dictis elucet.

Ubinam autem in Codice *de facto* tales casus habeantur, quae, uti iam monui, est quaestio prorsus diversa, canon 105 nihil omnino dicit, neque ullum praebet criterium, quo in casu concreto, ubi mentio fit de consensu vel consilio, posset dignosci, utrum agatur de conditione ad *valorem* actus vel ad solam *liceitatem*.

Proinde ad hoc discernendum recurrere ad c. 105 nil iuvat, sed aliae normae sunt adhibendae, praeprimis c. 11 et c. 1680. Si adhibitis hisce normis *certo constet*, agi in casu de consensu vel consilio requisito *ad valorem*, et

---

[6] (In Decr. S. C. Consist. « Maxima cura », 20 aug. 1910, can. 6, §1, 2, ex quo verba hausta esse videntur, habetur « eorum », quia respicit « examinatorum vel consultorum »).

nonnisi hoc probato, applicanda est demum norma generalis in can. 105 stabilita.

Huius lucubrationis esse non potest, concretos canones Codicis ad rem facientes ne ex parte quidem perpendere et diiudicare, utrum consilium vel consensus exigatur ad valide agendum necne [7]. Unius tantum casus per transennam et paucis mentionem faciam, qui praecise prae aliis ansam praebuisse videtur auctoribus quaerendi convenientem canonis nostri interpretationem. Codex in c. 476 § 3 dicit: « Non ad parochum, sed ad loci Ordinarium, audito parocho, competit ius nominandi vicarios cooperatores e clero saeculari ». Quaeritur, si Ordinarius vicarium nominet non audito parocho, estne nominatio invalida? Non potest ad solvendam quaestionem adhiberi c. 105, nisi alia prius quaestio decisa fuerit: exigitur in casu consilium ad *valide* agendum?, quae quaestio resolvenda est adhibito c. 11. et, salvo meliore iudicio, responsum negativum obtinebit. Nam in canone certe non *expresse* statuitur actum esse nullum; sed neque, uti videtur, *aequivalenter;* nam verba « ad loci Ordinarium, audito parocho, competit ius » non necessario intelligi debent ac si diceretur, non audito parocho non competit ius. Praeterea attendendum est ad prima etiam verba et ad nexum et ordinem verborum, ex quibus videtur apparere, *primarium* normae finem esse stabilire, ius nominandi vicarium competere ad loci Ordinarium non vero ad parochum, ergo stabilire *subiectum* iuris; hunc esse finem legis ex ipsis verbis eorumque positione sat clarum est et inspecta evolutione historica nominationis vicarii adhuc confirmatur. [Ex iure Tridentino (sess. XXI, cap. 4, de ref). nominatio cooperatorum ad ipsos parochos spectabat, eo-

---

[7] (Opus sat utile et desideratum aggrederetur, qui colligendo in Codice omnes casus ad rem spectantes, praesertim quoad actus loci Ordinariorum, de singulis casibus iustis adhibitis criteriis, non neglecta etiam historica consideratione, diiudicare conetur, utrum necne conditio a iure requisita consensus vel consilii sit, ut *valide* agat Superior).

rum approbatio ad episcopum; Benedict. XIII. (Constit. *In supremo,* 23. Sept. 1724) statuit, spectare ad episcopum propria autoritate parochis, si negligentes fuerint, etiam invitis cooperatores libere deputare; s. XIX pluribus in regionibus, praesertim in Gallia, consuetudo invaluit, ex qua episcopi nominarent vicarios etiam non audito parocho, quod S. C. Conc. (Resp. 22. Febr. 1865) ob speciales circumstantias toleravit, simul tamen in memoriam revocando, quod ex iure nominatio spectet ad parochum approbante episcopo; tandem Codex novum suum stabilivit ius: non ad parochum sed ad episcopum, audito parocho ius nominandi competit]. Videtur ergo, quod pro certo ex canone non possit erui, audire parochum esse conditionem requisitam, ut loci Ordinarius *valide* agat. Si autem ita est, applicari non potest c. 105. Si non audierit parochum, valide agit loci Ordinarius, quamvis illicite. Sed haec ad demonstrandam rem sufficiant.

Absolutis quaestionibus *principalioribus* non abs re erit, breviter attingere unam alteramve *secundariam*.

Quae in 1°. habentur in *tertia* parte inde a verbis « quamvis autem », exhibentne normam sensu stricto *praeceptivam* vel potius *admonitoriam tantum*? Videtur verbis « deferat », « nec... discedat » non imponi stricta obligatio et ita Superiorem, si non obsecundet, non agere illicite sensu iuridico; si legislator veram *obligationem* imponere intendisset, severiorem, ni fallor, adhibuisset loquendi modum dicendo ex. gr. « deferre debet », « nec... discedere licet ».

Si legislatoris mens revera ea est, quam demonstravimus, cur hanc suam mentem non exprimit modo clariore, dicendo: « ad *valide* agendum indigere », « si consensus exigatur ad *valorem* », praeprimis: « *requiritur* et satis est ut valide agat », sicuti in aliis locis dicit (cf. ex. gr. in c. 534 « requiritur et sufficit », in c. 556 § 2: « necesse et satis est »)? — In aliis canonibus amplior dictio videtur partim esse necessaria ad aliqualem ambiguita-

tem removendam, partim forse redolere pleonasmum; in nostro vero canone verba illa indicata addere certe non erat necesse, cum canonis verba sicut habentur sint in textu et contextu ita clara, ut aliam *rationabilem* interpretationem nisi nostram, uti ostendimus, non admittant, et ita verba illa, etsi addi *possent*, pleonasmum potius, qui iure evitatur, inducerent.

Cur Codex agit tantum de casibus, ubi consilium vel consensus est ad *valorem*, non etiam de iis, ubi est ad *liceitatem* tantum? Probabiliter, quia sicuti in canonibus immediate antecedentibus (103, 104) etiam in nostro actus iuridicos considerare vult praecise quoad eorum *valorem* et de hoc tantum stabilire normas generales. Potuisset sane Codex normam ita stabilire, ut etiam casus comprehendat, ubi consensus et consilium *ad solam liceitatem* exigatur, his vel similibus verbis: « Si consensus exigatur, Superior, si exigatur ad valide agendum, contra earundem votum invalide agit, si exigatur ad licite tantum agendum, illicite agit; si consilium tantum, per verba... satis est ut Superior illas personas audiat, ad valide agendum, si consilium exigatur ad valide agendum, ad licite agendum, si consilium exigatur ad licite agendum ». Quam formam esse valde arridentem, quis dicat! Neque tamen opus erat, in norma respicere etiam casus, ubi consensus et consilium exigantur ad *solam liceitatem* actus. Nam, uti saepius notavimus, eius finis est stabilire, quaenam sit in nostra re natura iuridica consensus et consilii quaeque habeatur inter utramque differentia; hae tamen prorsus eaedem sunt in casibus ad *valide* agendum et ad *licite* agendum, ita ut iuremerito, si vis habere normam pro casibus, ubi consensus vel consilium exigatur ut conditio *ad solam liceitatem* actus, sufficiat in nostro canone substituere verba « invalide », « valide » verbis « illicite », « licite ».

II. Interpretatio, quam de canone 105 1° exposui, simplicior mihi videtur ita, ut eam typis mandare vix aude-

rem, si auctorum, quorum scripta consulere potui, vel unum invenissem, qui satisfacienti quoad omnia modo canonem explicet, et non potius plures, qui mea opinione erroneam exhibent interpretationem. Quos funditus perlustrare non absque utilitate esset et delectamento, sed longiorem, quam qui hoc loco admittitur, sermonem requireret. Sufficiet, cl. auctoris A. Vermeersch, quem antesignanum [8] alii sequuntur, quoad rem et saepe quoad modum et methodum quoque, mentem et argumenta paucis proponere, ut interpretationem ab eo propugnatam admittendam non esse appareat [9].

Verm. recte quidem suspicando legislatoris mentem non esse nec esse posse, universali pronuntiatione statuere, Superiorem semper ubi audiendae sint aliquae personae, si non audierit, invalide agere, non tamen satis advertendo. quod c. 105 de solis agit casibus, ubi *ad valorem* actus consensus vel consilium a iure requiratur – introductoria verba tam parvipendere videtur, ut ea ne referat quidem, et ex verbis « *invalide* agit », « satis est ad *valide* agendum », quae sensum non habent, nisi norma respiciat sola requisita ad *valorem* actus, debitam conclusionem non ducit — offenditur verbis « satis est ad valide agendum » propter gravia consectaria, quae sequi debeant, si sensu obvio sumantur [10]. Proptcrea alium investigare co-

---

[8] (Creusen l. c. dicit opinionem Verm. inveniri iam in Revue ecclésiastique de Metz, 1922, p. 153; quae elucubratio cuius auctoris sit nescio, neque ipsam ad manus habeo).

[9] (A. Vermeersch, *Periodica*, XII, 1923, p. 7, Epitome iuris canonici, ed. 6, 1937, I n. 229; Creusen, in Nouvelle Revue Théologique, 1928, p. 100 ss.; Boudinhon in Jus Pontificium, VIII, 1928, p. 29 ss.; Vromant, Ephemer. theol. Lovanien. VII, 1930, p. 684 ss.; Gillet P., La personalité iuridique en droit ecclésiastique, Malines, 1927, p. 262; F. S., De solemnitatibus actuum iuridicorum, in Periodica, XVII, 1928, p. 160 ss. — B. Oietti, in Ius Pontificium, VII, 1927, p. 13 ss et in suo: Commentarium in Codicem, Romae, 1929, p. 186 ss., ubi argumenta cl. Vermeersch copiose conatur refutare).

[10] (Timorem movent auctorum potius quam casus consensus casus *consilii* iam ex hac ratione, quod ut animadvertit

natur sensum: quod satis est ad valide agendum non semper est etiam necessarium. « Quisnam enim ignorat non raro etiam in usu vulgari declarari sufficientia, quae non sunt stricte requisita ». Verba « satis est ad valide agendum » non sunt intelligenda quasi scriptum sit « satis est et necesse ad valorem ». « Finis Codicis in c. 105 est, ut definiatur utrum necne a voto personarum, quas interrogare debet Superior recedere possit. Per verba autem « satis est ad valide agendum » mere affirmat valorem actus discedendi, qui tamen non semper est licitus » (i. e. statuitur tantum, Superiorem posse semper valide quamvis non semper licite recedere). « Qua vero necessitate interrogandae sint, declarare hoc loco nec debebat nec volebat ». — Haec omnia admitti non posse, cuilibet ex supra in interpretatione canonis dictis facile patebit. Quod ad ultimam sententiam spectat dicendum est: hoc loco non volebat declarare, qua necessitate exigatur *consilium*, sed volebat et debebat declarare, qua necessitate *interrogandae* sint personae, *si* consilium (ad valorem actus) *exigatur*. Addit auctor « ac re vera, consilium in alio casu ad ipsum valorem, in alio autem ad licitum modum pertinebit ». Recte omnino haec dicta, sed pertinent ad aliam illam quaestionem, ubinam sc. in iure consilium requiratur ad valorem vel ad liceitatem, de qua, uti monuimus, c. 105 non agit. Hoc unum manet inconcussum: *si* ius requirit consilium ad *valide* agendum (de quo casu unice agit c. 105), vi normae in canone stabilitae (satis est ad valide agendum = satis est *et necesse* ad valide agendum) Superior *semper* agit *invalide*, nisi personas audierit. Fons duplex erroneae interpretationis est, quod prae oculis non habeatur, de quibus casibus in canone sermo est, et quaestio iuris (quae sit norma pro hisce casibus stabilita) a quaestione facti (ubinam in Codice hi casus habeantur) non distinguatur.

Boudinhon, l. c. p. 32, semel tantum in Codice requiritur consensus, dum decies circiter requiritur consilium).

Argumentum sumere velle *ex iure veteri* non conducit ad finem desideratum et abs re est, tum quia ante Codicem norma *generalis*, quae in Codice habetur, non existebat, tum quia veteres auctores plerumque respiciunt casus *speciales determinatos* ex. gr. dependentiam Episcopi in agendo a Capitulo; possunt ergo bene lucem afferre in diiudicandis casibus particularibus, non vero in interpretatione nostri canonis.

Aliud argumentum cl. auctor depromit ex facto, quod non semel ipse Codex et in iisdem titulis, ubi plures canones exigunt petitionem consilii, aliis canonibus sanctionem nullitatis expresse addit aliis vero non. « Ut quid huiusmodi distinctio, si canone 105 iam statuerat consilia semper requiri ut valeant actus ». Nonne considerato statu quaestionis in promptu est responsum: canon 105 non statuit consilia semper requiri ut valeant actus, sed de illis casibus, ubi de facto requiruntur ad valorem actus, normam statuit generalem: requiritur et satis est audire personas.

Adiungit V. argumentum, uti dicit, « quasi a priori ». « Quando mere peti debet consilium a quo Superior recedere potest, omnis efficacia est in voluntate Superioris. Per se autem valor actuum a solo elemento 'causali' pendere debet ». Respondeas: a sola Superioris voluntate pendet actum ponere vel omittere, sed si actum ponit, non pendet a sola voluntate Superioris, utrum necne talis actus sit iuridice validus (efficax), nisi hoc sensu, quod a sola Superioris voluntate pendet implere conditiones sine qua non, quae a lege requiruntur ut actus iuridice efficax poni possit. Legem imponere posse conditionem sine qua non ad efficaciam actus sane nemo negabit. Stabilitur autem in canone 105, quod in casu ubi, consilium ad *valide* agendum requiritur, Superior ut valide agat necessario debeat audire personas; ergo in casu Superior, si personas non audierit, invalide agit.

Auctori libenter consentimus, minus verisimile esse, « Legislatorem in tam multis casibus » (scil. ubi Codex praecipit auditionem vel quorundam vel etiam unius personae) « tulisse sanctionem nullitatis ob quam sexcenti casus nutarent! Atque idem est Legislator qui in canone 11 noluit ut leges essent irritantes aut inhabilitantes, nisi expresse aut aequivalenter actum esse nullum aut personam esse inhabilem statueretur! » — Quid vero hoc ad canonem 105? Utinam auctores ne obliviscantur illius distinctionis, quam monui ex mea mente esse tanti momenti, inter quaestionem, quaenam sit norma statuta in canone 105, et quaestionem, quinam sint casus, quos haec norma respicit! Nullus tunc consectariorum timori ingressus pateret.

Liceat hac occasione considerationem quamvis notissimam in memoriam revocare. Si alicuius canonis sensus, qui verus esse censetur, videtur perducere cum necessitate ad consequentias intolerabiles, quas menti legislatoris imputare nefas esset, hoc cautum facere debet et inducere ad faciendam diligentissimam interpretationis revisionem. Si tamen hac facta cum certitudine constet interpretationem esse unicam rationabiliter possibilem et simul pari certitudine constet illas intolerabiles consequentias necessario cum ea esse coniunctas: nonne in hac suppositione methodus scientifica prohiberet, relicta unica rationabili interpretatione aliam parum vel nullimode fundatam invenire, qua adhibita consequentiae intolerabiles dispareant? Aperte in tali casu, usurpando verba cl. Ojetti (l. c. p. 202) « melius foret petere a Commissione Pontificia interpretationem prorsus restrictivam vel totalem abrogationem dispositionis can. 105 § 1 quam ius calumniare et verba captare ».

Attamen unicum pro tali casu remedium, refugium scil. ad Commissionem Pontificiam non esse necessarium indubitanter affirmabit, qui interpretationi, quam cano-

nis 105 exposuimus, adscribit. Et si exspectanda esset decisio Commissionis, non alia nisi *comprehensiva*, quae simul etiam theoretice quaestionem decideret [11].

Si Commissio Pontificia usque huc, quamvis pluries, uti dicunt, interrogata non dedit responsum, causa silentii, ut opinamur, non erat, quia noluit declarare, quod c. 105 1° invalidet omnes actus positos absque consultatione requisita; talem utique declarationem nemo exspectat, neque qui datam supra interpretationem amplectitur exspectare potest, quia sensus canonis est, omnes actus positos absque consultatione requisita in illis *solummodo* casibus esse invalidos, ubi consilium exigitur ad *valorem* actus.

Ex silentio Commissionis etsi diuturno, si quis vellet concludere, quaestionem de genuino sensu canonis esse dubiam et proinde vi c. 15 legem non urgere, non sufficienti videtur niti fundamento; nam variae esse possunt causae silentii v. gr. quia responsum dare non habeatur opportunum vel fortasse superfluum, cum sensus canonis non indigeat demonstratione [12].

Sed de mente Commissionis coniecturas facere non est nostrum. Si vero paucis scire desideras, quid supposito quod supra data canonis interpretatio vera sit sequatur, ad quaestiones, aliud responsum, dummodo quae exposita sunt perpenderis, non exspectabis nisi:

1. An c. 105 illos solos et omnes casus respiciat, ubi ius statuit Superiorem ad *valide* agendum indigere consensu vel consilio aliquarum personarum. —Resp. *Affirmative;*

2. An vi c. 105 1°, Superior *semper*, si consensus

---

[11] (Secundum cl. Creusen l. c. exspectanda decisio Commissionis, sed quaestionem, qualis sit decisio, theoreticam non decidet; Commissio potest dare interpretationem restrictivam vel extensivam. « Si elle hésité à declarer que le c. 105 1° annule tous les actes posés sans la consultation requise, c'est peut-être à cause des consequences *énormes* d'une semblable prescription »).

[12] (Creusen l. c. p. 112 hoc excludit: « Qui, en effet, oserait affirmer qu'elle ne repond pas parce que le sens du c. 105 est trop évident?).

exigatur, contra personarum votum, si consilium tantum exigatur, si non audierit illas personas, invalide agat. — Resp. Prout dubium ponitur, *negative*. — Vel, si mavis, ita: Resp. *Negative* et ad mentem. Mens est can. 105 1° respicere illos tantum casus, ubi ius exigit consensum vel consilium ad *valide* agendum.

Ita si quaestio sub aspectu *practico* consideratur, *nostra* sententia concordat cum « benigniore » quae vocatur et quam Michiels (s. c. p. 417) adhibendo verba Boudinhon (l. c. p. 34) ita enuntiat: « obligationem qua tenetur Superior certas audiendi personas ad petendum consilium, non semper secumferre poenam nullitatis, vi canonis 105, sed tunc tantum adesse invaliditatem quum, certis in casibus, id expressis vel aequivalentibus verbis edixerit legislator ». Differentia tamen, ni fallor, sat magna habetur, si consideratur *via*, qua ad conclusionem practicam perveniatur, modus scilicet argumentandi et c. 105 interpretandi. *Nobis* persuasum est, verba « satis est ad valide agendum » alium sensum in textu et contextu habere non posse nisi « *requiritur* et satis est ad *valide* agendum » et Superiorem propterea, si applicandus est c. 105, *semper* invalide agere, si personas non audierit; *alii* contendunt, verba illa sensum praefatum non necessario habere sed dicere posse « satis est sed *non necesse* »; et ita Superiorem *non semper* non auditis personis invalide agere probare conantur adhibitis rationibus desumptis ex mente legislatoris, ex fine legis, locis parallelis, iure veteri, consectariis. *Nos* e contra argumentum sumendo ex ipsis canonis verbis probare intendimus, verba « si consensus exigatur, si consilium exigatur » et consequenter « ad agendum indigere » necessario idem dicere ac « si consensus exigatur *ad valorem*, si consilium exigatur *ad valorem* », « *ad valide* agendum indigere » et propterea, ubi consilium vel consensus non exigitur ad valorem actus, Superiorem non agere invalide si personas non audierit (vel si contra votum agit). Hunc argumentandi et canonem interpretandi

modum, quia auctorum, quos videre potui, nullus adhibuit exigua hac lucubratione exponere unaque meliori peritorum iudicio permittere non duxi prorsus esse inopportunum [13].

Si propositam interpretationem canonis admitti non posse certis argumentis probetur, salvo meliore iudicio opinamur, aliud ut obtineatur concordia canonum non manere nisi a Commissione Pontificia petere canonis 105 interpretationem *restrictivam*.

A. SCHÖNEGGER S. I.

De professione religiosa a novitio in mortis articulo vel periculo constituto emittenda.

Iuxta Decretum S. Congregationis de Religiosis « Spirituali consolationi » diei 10 Sept. 1912 et Declarationem eiusdem Congregationis diei 30 Sept. 1922, novitii *in mortis articulo* constituti ad professionem religiosam emittendam admitti possunt.

Quaeritur an illud *in mortis articulo constituti* sit stricte accipiendum, ita ut professio emitti nequeat nisi « in ipso mortis puncto » [1] seu « in momento quo mors iam proxime instat » [2].

Respondeo negative, atque assero, *novitium infirmum in gravi mortis periculo constitutum* ad professionem admitti posse, quin articulus mortis iam inceperit.

---

[13] (Cl. Oietti, quamvis et ipse ex verbis initialibus, uti iam dictum est, evidenter apparere agi de medio necessario ad *valide* agendum, affirmet, l. c. p. 191, tamen, id quod sane mirum videtur, non ducit consequentiam: canonem non agere nisi de casibus ubi consensus et consilium exigitur ad *valorem*, et ita pervenire potest ad conclusionem *practicam*, Superiorem *semper* invalide agere, si personas non audierit).

[1] Larraona ad can. 523 in Commentario pro Religiosis, 1930, p. 254.

[2] Cappello, De Sacramentis, n. 481.

Quo dicere intendo, requiri quidem mortis periculum, illudque grave ab intrinseco seu ex morbo proveniens, quia Decretum ita sonat: « Liceat exinde Novitios, qui medici iudicio *graviter aegrotent*, adeo ut in mortis articulo constituti existimentur, ad professionem admittere »; sed illud « *in mortis articulo* » hoc loco accipi, sicut testante cl. Cappello[3] saepe fit in iure, eodem sensu ac in « *periculo mortis* ».

En rationes cur vox « in articulo mortis » non sit nimis urgenda.

1) Si ipsum momentum mortis esset exspectandum, « spiritualis consolatio » cum suis salutaribus effectibus, quam Summus Pontifex novitiis suo Decreto procurare intendit, plerumque, immo fere semper frustraretur. Perpauci enim infirmi in hoc articulo, « quando mors iam proxime instat », sunt capaces eiusmodi professionem emittendi. Multi graviter aegroti, praesertim defectu cardiaco laborantes, quasi inopinato et sine ulla agonia ex hoc mundo transeunt. Et quid si adhuc medici iudicium foret exspectandum! in illo extremo momento alii actus, scilicet fidei, spei, caritatis, contritionis, magis necessarii videntur quam actus professionis religiosae.

2) Ipsa Sacra Congregatio vocem « in mortis articulo » non urgere videtur, quia praescribit ut « formula istius professionis sit eadem quae in Instituto extra casum aegritudinis in usu est », quae formula, utpote ordinarie longior, ab agonizante adhiberi nequit.

Declaratio insuper dicit, « si novitius convalescat », quod non diceretur de infirmo cuius « mors est certa et fere inevitabilis ».

3) In nova legislatione Codicis iuris canonici, ubi de variis Sacramentis in casu necessitatis conferendis est

---

[3] Cappello, l. c.: « In iure tamen periculum et articulus mortis eodem sensu accipiuntur ».

sermo, nunquam vox « articulus mortis », sed semper « periculum mortis » adhibetur. Sic quod attinet ad baptismum, can. 752, § 2, et can. 759, § 1; ad s. Communionem recipiendam, 864; ad confessiones, 882, 892, § 2; ad extremam Unctionem, 940; ad matrimonium, 1019, § 2, 1043, 1098.

Immo legislator vocem « in articulo mortis », ubi invenit, consulto voce « periculo mortis » mutavit. Sic canon 882, qui materiam suam deprompsit Concilio Tridentino, sess. XIV de poenitentia, c. 7.: Concilium dicit: « In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in *articulo mortis* » etc. Canon 882 autem, qui Concilium citat, habet: « In *periculo* mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris ».

Non mirandum est ideo quod plerique auctores de hac re agentes, et plurimi, immo fere omnes textus Constitutionum ab Ecclesia etiam post Decretum anni 1912 et Declarationem anni 1922 approbati dicant, novitios in periculo mortis professionem religiosam emittere posse, *et valde suadendum est, etiam in novis Constitutionibus approbandis dici, novitiis graviter aegrotis in mortis periculo id licere.*

Sunt quidem, ex. gr. Goyeneche in Commentario pro Religiosis, 1942, pag. 20, qui Constitutiones hoc in casu ad litteram dicto Decreto conformare velint, quamvis interpretationem nostram, tamquam rationabilem et a mente legislatoris non absonam, pro praxi admittant. Sed rationes allatae ostendunt, hoc in casu, tenorem legis potius praxi esse conformandum.

Petrus Kraemer M. I.
Cons. S. Congr. de Relig.

De iuridica status religiosi evolutione brevis synopsis historica

Propagatio et evolutio vitae religiosae sub triplici saltem respectu considerari possunt, sc.: 1° de evolutione *formarum* vitae religiosae, v. g. eremiticae, coenobiticae, in monasteriis sui iuris vel dependentibus a supremo Moderatore, etc.; 2° de *legibus* quas praesertim Sancta Sedes de vita religiosa tulit, seu de statu religioso canonice considerato, v. g. de condendis religionibus vel domibus, de clausura, de effectibus canonicis professionis, etc.; 3° de *doctrina* vitae religiosae, v. g. de essentialibus status perfectionis elementis, de natura intima professionis religiosae, de natura subiectionis religiosorum erga Summum Pontificem vel Ordinarium loci, etc.

Leges vitam supponunt, cuius fines, motum, evolutionem sapientibus normis regunt, ardorem contra illusiones vel pericula praemuniunt, opera promovent et inter se componunt. Quare impossibile est evolutionem legum de vita religiosa exponere quin simul vel prius quaedam de institutis politicis, socialibus, religiosis coaevis referantur. Doctrinarum quoque evolutio ad canones quosdam interpretandos omnino cognitu necessaria est.

V. g. antequam leges ecclesiasticae de his darentur, moribus vel regulis plus minusve erant definita novitiatus, professio, paupertas, clausura, electio Superiorum, etc.

Finis harum notarum est brevem aliquem conspectum dare de evolutione *iuris canonici* de religiosis[1]; fusior expositio ad introductionem in singula instituta spectat. Ob eandem rationem fontes tantum praecipuos et aliquot libros vel articulos maioris momenti allegabimus, in quibus copia fontium et scriptorum facile invenietur.

---

[1] Sic differt hic articulus ab illo P. Steiger in *Per.*, XIII. 1924, (29) ss. qui formas vitae religiosae fuse descripsit. Ad illum remittimus lectorem qui complementum nostrarum notarum sub hoc respectu quaerit.

Brevis elenchus scriptorum criticus

1. Pro singulis huius historiae iuris partibus, consuli utiliter poterunt saltem compendia historiae ecclesiasticae, v. g.:

Fliche, A. — Martin, V., *Histoire de l'Eglise*, Paris, 1935 ss. (exstat versio italiana).

Hughes, Ph., *A history of the Church*, London, 1934, ss.

Kirsch, J. P., *Kirchengeschichte*, Freiburg i/B., 1930.

Mourret, F., *Histoire générale de l'Eglise*, Paris, 1928 ss.

Pagnini, G., *Manuale di Storia ecclesiastica*, Milano, 1928 ss.

2. Evolutio iuris canonici de Religiosis a reliquis canonicis institutis minime est independens; quare, ut recte intelligatur, necesse est eam cum generali iuris canonici historia continuo conferre.

Inter opera antiqua eminet Thomassinus, L., *Vetus et nova Ecclesiae disciplina circa beneficia et beneficiarios* (seu versio latina eiusdem operis prius gallice scripti), Lucae, 1728, 3 vol.

Paucos recentiores scriptores allegabimus qui fusum fontium et scriptorum elenchum tradunt, sc.:

Koeniger, A. M., *Katholisches Kirchenrecht*, Freiburg, 1926, 16-83.

Kurtscheid, B., O. F. M., *Historia iuris canonici. Historia institutorum usque ad Gratianum*, Romae, 1941.

Zeiger, Y., S. I., *Historia iuris canonici*, vol. II, Romae, 1940.

3. De historia variarum formarum vitae religiosae non desunt opera magni valoris, inter quae recenseri possunt:

Heimbucher, M., *Die Orden u. Kongregazionen der kath. Kirche*, 2 vol., 3ª edit., Paderborn, 1932 (continet historiam omnium Ordinum et praecipuarum Congregationum religiosarum et magnam fontium scriptorumque copiam).

Helyot, (Helgot) *Histoire des Ordres monastiques, religieux et militaires*, 8 vol., Paris, 1714 (cum imagine vestis plurimarum religionum).

Maire, E., *Histoire des Instituts religieux et missionnaires*, Paris, 1930.

Steiger, A., S. J., *De propagatione et diffusione vitae religiosae synopsis historica* in *Periodica*, XIII, 1924, (29) ss. (Accuratissima huius evolutionis descriptio, additis praecipuis fontibus et scriptoribus).

4. De evolutione iuris canonici de Religiosis completam synopsim historicam nullam novimus. Non desunt tamen optima opera sive de quadam historiae parte, sive de iuridica singulorum institutorum historia. Exempli gratia citari possunt:

Battandier, Mgr., *Guide canonique pour les constitutions des Instituts à voeux simples,* 6e édit., Paris, 1923 (tradit evolutionem iuris de Congregationibus religiosis saec. XIX, cum innumeris responsis S. Sedis de hac re).

Hofmeister, Ph., O. S. B., *Von den Nonnenkloestern* in *Arch f. k. Kirchenrecht,* 114, 1934, 3 ss.; 353, ss.

La Puma, Card., *Evolutio iuris canonici a Pio IX ad Pium XI.* Acta Congressus iuridici internation., IV, Romae, 1937, 193 ss.

Mazon, C., S. J., *Las Reglas de los Religiosos* (*Anal. Gregoriana,* Series i. c., XXIV) Romae, 1940.

Scheuermann, A., O. F. M., *Die Exemtion nach geltendem kirchlichen Recht,* Paderborn, 1938, 35-97.

Schreiber, G., *Kurie und Kloster im XII n. Jahrhundert* (*Stutz kirchenrecht. Abhandl.* tt. 65. 66), Stuttgart, 1910.

Historia iuris speciali cura delineatur in *Dictionnaire de droit canonique,* nunc dirigente R. Naz, Paris, 1924 ss.

5. *Fontes* praecipui huius partis iuris alii in collectionibus iuris universi, alii in specialibus collectionibus reperiuntur.

Migne, *Patrologia latina* (PL) et *Patrologia graeca* (PG) perhibet tractatus et sermones Patrum, Regulas antiquas, tractatus plurimos indolis iuridicae. — Aliquem evolutionis conceptum dabit lectio partium Decreti Gratiani et titulorum Decretalium quae de nostra materia agunt (cfr. infra).

Plurimi textus Conciliorum cum historia eorum invenientur in von Hefele, C. J., *Conciliengeschichte,* Freiburg, 1855 ss., quae in gallicam et italicam linguam est translata. — De variis Conciliorum collectionibus, sc. Coleti, Labbaei, Mansi, etc., cf. quamlibet ad ius canonicum introductionem, v. g. nostram *Epitome i. c.,* I, 6a ed., N. 53. 54. Idem dicas de Bullariis et de Actis RR. Pontificum. Ab anno 1909 consules *Acta Apost. Sedis* (A. A. S.).

Si nostram materiam tangunt, omnia illa acta, commentario aucta, inveniri possunt in *Archiv f. katholisches Kirchenrecht,* a. 1857 ss.; *Nouvelle Revue théologique,* a. 1869 ss.; *Periodica,* a. 1905 ss.; *Revue des communautés religieuses,* 1925 ss. cum *Documents du St-Siège* (1918-1924), *Commentarium pro Religiosis,* a. 1920 ss.

Omnes textus qui concinnando Codici fontes fuerunt, editi sunt in Gasparri, Card., *Fontes Codicis i. c.,* 9 vol., Romae, 1926 ss. — Magna textuum collectio edita est a Bizzarri, *Collectanea in usum Secretariae S. C. EE. et RR,* Romae, alt. edit., 1886. — Ordinatam et locupletissimam documentorum S. Sedis

collectionem ad Religiosos spectantium digessit A. VERMEERSCH, S. I. in *De religiosis Institutis et personis*, t. II, 4ª ed., Brugis, 1909, p. 1-713, in quo nonnulla sunt documenta quae in GASPARRI, *Fontes C. i. c.* frustra quaesiveris. Praecedunt utilissimae dissertationes de variis quaestionibus in hac materia disputatis.

Regulas et Constitutiones plurimas ediderunt HOSTE, L. — BROCKIE, M., *Codex Regularum monasticarum et canonicarum*, August.-Vindel., 1759 ss. Ex antiquis multae in MIGNE quoque reperiuntur.

De variis Regulis et earum fontibus cfr. ZEIGER, Y., S. I., *Historia iuris canonici*, I, 95 ss.; MAROTO, F., *Regulae et particulares constitutiones singularum religionum*, etc. in *Comm. pro Relig.*, XVII, 1936, 354 ss.; XVIII, 1937, 26 ss. — MAZON, C., supra citatum.

Sigla: *A.f.k.KR* = Archiv für katholisches Kirchenrecht.
CpR = Commentarium pro Religiosis.
DAL = Dictionnaire d'Archéologie et de liturgie.
D dr c = Dictionnaire de Droit Canonique (R. Naz).
H. L. = HEFELE-LECLERQ, Histoire des Conciles.
LABBE = Collectio Conciliorum.
Msi = MANSI, Amplissima Concilior. Collectio.
NRTh = Nouvelle Revue Théologique.
Per. = Periodica de re canonica, morali, liturgica a P. Vermeersch fundata.
PL = MIGNE, Patrologia latina.
PG = MIGNE, Patrologia graeca.
RAM = Revue d'ascétique et de mystique.
VERMEERSCH, *de Rel.* = *De Religiosis Institutis et personis*, t. II, 4ª ed.
RCR = Revue des Communautés religieuses.

Nisi contrarium indicetur, numero sive in libris sive in periodicis *paginam* indicamus.

De origine vitae religiosae

Propensio omnium hominum religiosorum ad quaerendum Deum per exercitia pietatis paenitentiaeque et quandam a mundo secessionem; — praeclara Christi Domini praecepta et doctrina de virginitate, paupertate, sui abnegatione Eiusque exempla et adhortationes; — consi-

lia quae in epistolis S. Pauli et S. Ioannis inveniuntur; — scripta Patrum primorum saeculorum, prorsus inutilem et falsam ostendunt explicationem qua primordia vitae asceticae et monasticae christianae ex exemplis sectarum iudaicae et paganarum deduci deberent [2].

Ab exeunte iam primo saeculo, in communitatibus christianis viri et mulieres reperiuntur qui voluntariam virginitatem vel castitatem viduam colunt et profitentur, orationi et supererogativis caritatis et paenitentiae operibus incumbunt. Satis diu in propria domo et familia manserunt neque ante medium saeculum III ulla vitae vere communis constitutio invenitur. Evolutio potuit esse paulo diversa in variis communitatibus ecclesiarum alexandrinae, carthaginiensis, romanae, Galliae, etc.

Viri vocantur ascetae, confessores [3], religiosi; dein ἀποτάκτικοι, ἐγκρατεῖς. Mulieres vocantur virgines sacrae, sanctae, virgines Christi, sponsae Christi [4].

Mulieres vocantur virgines sacrae, sanctae, virgines Christi, sponsae Christi [4].

Hierarchia ecclesiastica triplici modo intervenit: *a*) assignando *locum privilegiatum* ascetis et virginibus, immediate post clerum, in coetibus liturgicis; hoc videtur supponi iam initio saeculi II (Polycarpus, *Ad Smyrnenses*); Romae, certo initio saec. III (Hippolytus, *In Proverb.*, PG 10 628); vestigia manserunt in liturgia (Oratio fer. VI in Parasc.); Origenes, *In Num.*, hom. 2; PG 12 590. Conc. Laodicem. 343*-381*, c. 24. H-L, I, 1012. Virgines quaedam in gradum diaconissarum recipiebantur [5].

[2] Cfr. Bardy, G., V. *Ascètes, D. dr. c.*, I, 1074. — Dom U. Berlière, O. S. B., *Les origines du monachisme, Rev, bén.*, 1891, 12 ss. — Heussi K., *Der Ursprung des Moenchtums.* Tübingen, 1936. — Ladeuze, P., *Etude sur le cénobitisme pakhômien*, Louvain, 1898. — Martinez, F., S. M., *L'ascétisme chrétien pendant les trois premiers siècles de l'Eglise*, Paris, 1913.

[3] Verbum usitatum saec. IV°, in quo relatio ad martyrium apparet. Cfr. Viller, M., *Le martyre et l'ascèse* in *RAM*, VI, 1925, 129 ss.

[4] *Acta Apost.*, 21, 8-9. — Ignat. Antioch., *Ad Polyc.*, V (PG 5 723); *Ad Smyrn.*, XIII (PG 5 717) — Polycarpus, *Ad Philipp.*, V (PG 5 1009) — Tertullianus, *De virginibus velandis*, PL 2 887 ss. — Cyprianus, *De habitu virginum*, PL 4 439; — Ori-

b) benedicendo vel consecrando virgines *velatione;* De impositione veli virginitatis ab episcopo testimonia saec. IV habentur pro Italia; S. Ambrosius, 397 eam tamquam rem ordinariam commemorat, *De virginibus.* Forte iam usu veniebat saec. III. (N. B. Tertullianus, *De velandis virginibus* de velatione liturgica non loquitur). — Non necessario eam supponunt verba quae aliquam *professionem* virginitatis exprimunt. — Aetas velationis a legibus particularibus pendebat; interdum satis provecta exigebatur ob timorem infidelitatis; sed spurii sunt textus qui aetatem 60 vel 72 annorum exigunt [6].

c) *Poenis specialibus* sanciendo violationem professionis virginitatis (proposito vel voto). Saec. III in Africa: Cyprianus, *Epist.* 62 2 PL 4 381; — saec. IV (saltem alibi: Conc. Illib., 300*, c. 13 (c. 25, C. XXVII, q. 1); Conc. Ancyr., 314 (c. 24, ibid.). Sic poenae graves in « subintroductas virgines » latae sunt.

* * *

A vita mere ascetica transitus fit ad *vitam monasticam,* sensu stricto, i. e. *solitariam.* Haec quoque gradatim evolvitur. Primo ascetae extra, sed prope urbes vel pagos degunt [7], dein longe ab urbibus et praesertim in eremum secedunt. Causa secessus ab urbibus et vicis est desiderium recollectionis, protractae orationis, vitae pauperis, securae castitatis; eaedem causae secessum in deserta loca explicant, dum fuga a persecutoribus (Decio, 250; Diocletiano, 303) fere nullum in ortum vitae monasticae in-

---

gen., *In Num.*, hom. 2, 1 (PG 12 590); — Pseudo-Clem., *Epist. ad virgines* (PG 1 380); — Euseb., *H. E.*, III, 39 (PG 20 297).

Bardy, G., *l. c.;* Duchesne, L., *Les origines du culte chrétien,* 5e éd., 441; Wilpert, *Die gottgeweihten Jungfrauen in den ersten Jahrhunderten der Kirche,* Freiburg, 1902 (aliquam organisationem iam antea viguisse censet.). — Martinez, *o. c.*

[5] Bardy, G., *Ascètes, D dr c.*, I, 1073.

[6] Duchesne, *Le culte chrétien,* 443. 444. — Martinez, *o. c.*, 105.

[7] Eusebius, *H. E.*, II 17 (forte); PG 20 177 A; Athanasius, *Vita Antonii,* 3; PG 26 844.

fluxum habuit[8]. — Fama praeclarorum monachorum S. Pauli (234-342), S. Antonii (251-356) et S. Pakhomii (292-346*) multos ad vitam eremiticam adduxit. Μοναχὸς prius omnem solitarium designavit, etiam, in Scriptura; dein specifice eos qui vitam asceticam in eremo segregati duxerunt. — Μονάστηριον prius cellulam monachi, sero domum coenobitarum significavit.

Fere omnes eremitae et monachi erant laici; sicut alii ab Ordinariis dependebant neque ulla lex ecclesiastica specialis eos spectabat.

* * *

Vitam coenobiticam proprie dictam invexit S. Pakhomius (292*-346*), qui discipulos ad vitam sub eodem tecto ducendam induxit. Monasteria novem condidit, quae pluribus domibus muro communi circumductis constabant; vita communis erat, saltem quod ad pleraque exercitia pietatis et laborum; aliquam solitudinis libertatem permittebat. Omnia monasteria ab ipso condita sub eius et successorum, ab ipso designatorum, auctoritate vixerunt. Quare verum Ordinem et quidem sub auctoritate centrali condidit. Haec vitae monasticae forma satis cito disparebit neque ante saec. XI, et quidem in Occidente, non in Oriente, renascetur.

S. Pakhomius primam Regulam monasticam scripsit[9], cuius nonnullae parte in Regulas monasteriorum Occidentis transierunt.

* * *

De propagatione vitae religiosae saec. IV° et V°.

Ante mortem Pakhomii, eius Ordo novem monasteriis virorum et duobus mulierum constabat (Ladeuze, *o. c.*,

---

[8] Sed conceptus perfectionis martyrii magnum influxum in conceptum perfectionis vitae asceticae et monasticae habuit. — Viller, M., S. I., *Le martyre et l'ascèse* in *RAM*, VI, 1925, 117. 118.

[9] Cfr. Ladeuze, P., *Le cénobitisme pakhômien*. — Boon, A., O. S. B., *Pakhomiana latina*, Louvain, 1932.

178). Fama sanctitatis S. Antonii eiusque discipulorum a S. Athanasio sparsa, exempla virtutum S. Pakhomii et eius monachorum, quos plures sancti episcopi vel viri virtute et doctrina praestantes contemplati erant, brevi tempore vitam monasticam sub variis formis in Orientem et Occidentem sparserunt.

S. Hilarius (291-371) eam in *Palestinam* invexit a. 306; in *Syria* citantur S. Malchus (337*), Marcianus, etc.; S. Iulianus Sabbas in *Osrhoena* (330*); in *Mesopotamia*, S. Iacobus a Nisiba (v. 350); S. Basilius († 363*) et S. Gregorius Nazianzenus († 389*) vitam monasticam in *Asiam Minorem* sparserunt. — Paulo tardius monasteria in Urbem Constantinopolitanam introducta sunt [10].

In *Italia* propagatio vitae monasticae debetur itineri S. Athanasii (exsulavit Treviris a. 335-338; Romae, a. 340) et historiae S. Antonii ab ipso scriptae. — S. Eusebius Vercellensis († 371) clericos monachos fecit postquam monachos orientales visitaverat (363); S. Ambrosius († 397) plurimos ad vitam religiosam adduxit, item S. Hieronymus (praesertim a. 382, Romae). Hi duo innumeras virgines ad Christum adduxerunt.

S. Martinus Turonen. († 397-401*) a. 360 in *Galliam* vitam monasticam, quam in Italia cognoverat, invexit. Ab exordiis saec. V[1] vita monastica in Gallia meridionali mire floruit (Insula Lerina, 400-410; Arelati, 429-449; Massiliae, 413-416), etc. Opera Cassiani ad propagandam vitam monasticam et Regulas scribendas plurimum valuerunt [11].

S. Augustinus (episc. 396; † 430) vitam religiosam inter suos clericos induxit et Hippone monasterium Monialium condidit, pro quibus scripsit epistolam quae postea Regula

---

[10] Cfr. Dom Besse, O. S. B., *Les moines d'Orient antérieurs au Concile de Chalcédoine*, Paris, 1900.

[11] Cassianus, *De Institutis coenobiorum* (417) et 24 *Collationes Patrum* (420-428). PL 49. — Dom Besse, O. S. B., *La vie des premiers moines gallo-romains*. — *Rev. bén.*, 1901, 262 ss. — *Les Moines de l'ancienne France. Epoque Gallo-Romaine et mérovingienne* (Arch. France mon., II), Paris 1906.

S. Augustini dicta est [12]. — S. Patritius, in monasteriis Turonensi et Lerinensi institutus, vitam monachalem a. 450 in Hiberniam invexit, ubi mirifice floruit [13].

* * *

De indole vitae monasticae ab in. IV° saec. ad medium saec. V

Persistit vita eremitica cum praesertim in Oriente, tum in Occidente. Dum monachi in Aegypto plurimi in coenobiis vivunt, in Syria et adiacentibus regionibus multo magis individualem vivendi rationem servant et miris vitae asceticae formis indulgent. Cui rei favet coeli temperies.

In Asia minore praevalet *Regula S. Basilii*. Monasteria sunt inter se magis independentia, sed in iis vita communis strictius viget quam in pakhomianis communitatibus. Ob regionum duriorem temperiem, Regula est moderatior. Monasteriis adiunguntur hospitia et orphanotrophia; in ipso monasterio pueri educantur, etiam ii qui de vita monastica amplectenda non cogitant.

S. Basilius Regulam scripsit sub duplici forma: *Regulas fusius tractatae*, PG 31 389 ss. et *Regulae brevius tractatae*, PG 31 1037; prior magis disciplinam, altera potius principia vitae asceticae tradit. In Oriente hucusque in monasteriis basilianis vigent, influxum magnum in Regulas monasteriorum occidentalium exseruerunt.

In Occidente mitiores vigent Regulae; maior est in tota vita discretio. Monasteria sunt sui iuris. — S. Augustinus pro Monialibus consilia et quasdam vitae communis normas in Epist. 211 (423*) scripsit, quae postea viris adaptata Regula S. Augustini vocata est [14]. — In Gallia, exeunte saec. IV, plures redactae sunt Regulae [15].

---

[12] Dom Besse, O. S. B., *Le monachisme africain*, Paris, 1900.

[13] Gougaud, L., O. S. B., *Les chrétientés celtiques*, éd. 2, Paris, 1911. — Ryan, I., S. I., *Irish monasticism*, Dublin, 1931.

[14] Cfr. Kirch, C., S. I., *Enchiridium fontium hist. eccles.*, n. 675 ss..

[15] Cfr. Leclercq, H., *Monachisme* in *D. A. L.*, XI, 1818 ss..

De relationibus cum hierarchia.

Hierarchia de perseverantia virginum et de conditione earum quae defecerunt sollicita manet (Conc. Carth. III (397); Labbe, II, 1404). — In monasteriis quorum episcopus fundator et Superior est, nulla quaestio de dependentia oritur. In aliis, cum omnes fere monachi laici sint, paulatim hae praesertim quaestiones canonicae orientur: de episcopo competente pro ordinationibus monachorum qui cultum in monasterio celebrandum curant; de interventu episcopi in designandis Abbatibus et praesertim Abbatissis; de auctoritate episcopi in bona, de eius iure puniendi excessus monachorum.

In Oriente leges quaedam imperatorum de iure religiosorum possidendi, alienandi, haereditate acquirendi ferentur (Cod. Theod., 5, 3, 1.-Cod. Iust. 1, 3, 20 (a. 434). -Cod. Iust. 1, 2, 13 (a. 455)[16].

Cum multi monachi, praesertim in Oriente, ab uno monasterio ad aliud transirent, non unice zelo sanctioris vitae (*gyrovagi*) eorumque non nulli iugum oboedientiae fastidientes, parvas communitates erigerent, Conc. Chalcedon. (451) c. 4 vetuit erigi monasterium sine licentia Ordinarii loci et monachos ipsius vigilantiae subdidit (Labbe IV 757). Hic canon qui nullum valorem universalem habebat, consuetudine et decretis aliorum synodorum vim obtinuit.

Ab exeunte saec. v ad finem saec. viii.

Hoc tempore oritur vita benedictina; monasteria celtica magna, praesertim duce S. Columbano in continente conduntur et magnam independentiam ab Ordinariis in-

---

[16] Cfr. Hermann, E., S. I., *Die Regelung der Armut in den byzantinischen Kloestern* (*Orientalia christiana*, VII, fasc. 3. 4) Romae, 1941. — Tabera, Arth. in *CpR.*, XIV, 1933, 87 ss.

ducunt; vita communis in clerum ecclesiarum collegialium denuo spargitur; monachi praeter « missiones », curam animarum magis suscipiunt; evolvitur et perficitur institutum « exemptionis ».

S. Benedictus (480*-543*) Regulam scribit (tempore incerto), quae discretione et plenitudine ita praestat ut satis cito in universam Europam spargatur.

Stabilitatem omnino urget. Valde remotus ab excessibus vel asperitate vitae monachorum orientalium, diem noctemque apte dispertitur inter « opus Dei » (officium divinum), lectionem et laborem manuum. Definiuntur magis tempus probationis (annus novitiatus), forma professionis (expressa et cum scripto documento), potestas officiumque Abbatis. — Paucissimi monachi ordines suscipiunt ad cultum celebrandum in Abbatia; ceterum sicut alii vivunt.

Iam multi monachi celtici in continentalem Europam venerant cum S. Columbanus (545-615) circa a. 585-590 in Galliam appulit et plura magna coenobia condidit. (Luxoviense in Burgundia; S. Galli in Helvetia; Bobbiense in Italia septentrionali). Regula eius austerior (multae et graves paenitentiae) in celticis monasteriis viguit, donec locum Regulae benedictinae cessit.

Ille Sanctus in nostras regiones formam vitae monasteriorum hibernicorum induxit, in qua nulla vel fere nulla erat auctoritas Ordinarii loci, quia Abbates circumscriptionis superiores erant et in sua Abbatia episcopos monachos habebant. E disputationibus cum Ordinariis locorum ansa dabitur privilegiis et exemptioni.

Cum sacerdotes plures saec. VI° et VII° ecclesiis pagorum vel dominorum privatorum praeessent, iam vita communis cleri non perfecte exsistebat; immo non bene vigebat apud clerum ecclesiarum collegialium. Reformatio S. Chrodegangi, episc. Meten., † 766, non fuit institutio « canonicorum regularium » sensu hodierno, sed restauratio melioris vitae communis. Regulam eius retractavit Amalarius, diac., † 857, et approbavit Syn. Acquisgranen, a.

817. - Saec. VIII et IX « vivere canonice » significat sequi canones vel Regulam quae non sit Regula S. Benedicti. (Cfr. Conc. Turonen. III, 813, Msi, 14, 86). Ergo quando saec. VI sermo fit de « clericis canonicis », agitur tantum de clericis qui canones bene observant. Mox verbum eos designabit qui « canoni » alicuius ecclesiae ascribuntur [17].

Romani Pontifices vel Concilia particularia huius temporis canones ferunt: de oblatis (pueris) [18]; de monachis vel monialibus suae vocationi infidelibus, de iuribus episcoporum in confirmatione Abbatis, consecratione ecclesiarum, ordinationibus monachorum, alienatione bonorum monasterii; de facultate clericorum amplectendi vitam religiosam; de paupertate monachorum; de clausura Monialium (sed adhuc valde lata), etc. — Plura ex illis canonibus in varias collectiones canonicas inserta apud Gratianum reperiuntur, v. g. C. XVII, q. 2; C. XX, q. 1 et 4; C. XXI, q. 1; C. XXVII, q.1 et 2. Initio huius temporis leges quaedam Imperatorum byzantinorum de vita monachorum practice canonizatae sunt [19].

Monasteria iam hoc tempore magnis bonis aucta sunt, sed a laicis quoque principibus, quibusdam episcopis, tandem et Abbatibus saepius spoliata. Sic adducta sunt, iuxta mores populi germanici, ad « tutelam » quaerendam sive boni episcopi, sive principis vel regis, immo S. Pontificis. Inde a variis privilegiis, ad « exemptionem » proprie dictam progressus factus est.

Primum monasterium, ut videtur, a iusrisdictione Ordinarii subtractum et R. Pontifici immediate subiectum fuit Bobbiense, a. 628; dein Beneventanum, a. 715; Monte Cassino, 748; Fuldense, 751, etc. — Iam saec. VII repe-

---

[17] Cfr. Hertling, L., S. I., *Kanoniker, Augustinusregel und Augustinerregel,* in *Z.f.k.Th.*, t. 54, 1930, 335.

[18] Conc. Toletan. IV, 633, c. 49: « Monachum aut paterna devotio facit aut propria professio; quidquid horum fuerit, alligatum tenebit ».

[19] Cfr. Kurtscheid, B., O. F. M., *Historia iuris canonici,* p. 184.

riuntur monasteria Monialium quae Superiori Regulari omnino subiciuntur; exemptio autem monasterio S. Mariae, Paviae, a. 714 concessa est [20].

Iam saec. VIII, sed praesertim IX, in monasteriis benedictinis multi clerici reperiuntur; quae evolutio in internam vitae formam (duae classes religiosorum; sollemnior cultus divinus) et iuridicam (quaestiones de cura animarum) influxit [21].

Iuridica monasteriorum conditio haud parum affecta est evolutione systematis feudalismi et « ecclesiae propriae » seu « privatae » (Eigenkirche), perturbationibus politicis et socialibus saec. VI ad VIII^{m}, reformatione quae praesertim a Carolo Magno eiusque successoribus immediatis instaurata est [22].

(*Continuabitur*)

I. Creusen S. I.

De quibusdam antiquioribus textibus slavicis liturgiae S. Basilii Magni in editione Romana iterum restitutis.

Primi libri liturgici recensionis slavicae, a S. Sede nuper editi [1], iam iam in cultu publico usui sunt. Inter editionem Romanam et libros liturgicos, quibus dissidentes slavi a saeculis utuntur, certae differentiae notantur: ru-

---

[20] Cfr. Hofmeister, Ph., O. S. B., *Von den Nonnenkloestern* in *A.f.k.KR*, 114, 1934, 95.

Mourret, F., *Histoire générale de l'Eglise*, III, *L'Eglise et le monde barbare*, Paris, 1931. — Koeniger, A. M, *Katholisches Kirchenrecht*, p. 46. — Poesch, A., *Die Entstehung des geistlichen Benefiziums, in A.f.k.KR*, 106, 1926, 3 ss. — Scheuermann, O. F. M., *Die Exemtion*, Paderborn, 1938.

[21] In monasterio S. Galli, a. 895, e 102 monachis, 81 sunt in sacris. Cfr. Leclercq, H., *D. A. L.*, XI, 1095.

[22] Zeiger, Y., S. I., *Historia iuris canonici*, II, n. 53 ss. — Gougaud, O. S. B., *Les chrétientés celtiques*, Paris, 1911. — Besse, O. S. B., *Les moines de l'ancienne France. Epoque Gallo-romaine et mérovingienne.*

[1] Cf. *AAS.* vol. 27 (1935) p. 65-67.

bricae in editione catholica magis sunt excultae; quidam textus recentioris aetatis, qui harmoniam et stylum liturgicum potius impediunt quam fovent, cernuntur in uncis positi et proin ad libitum omitti possunt; certae preces pristinum et debitum locum recuperant; sed quod maioris momenti videtur: quidam textus liturgici, quamvis pauci, etiam tales, qui rationem fidei catholicae minime tangunt, mutati conspiciuntur [2]. Qua in re Commissiones Pontificiae hodiernae a Congregationibus Particularibus pro correctione librorum liturgicorum (graecorum) sub PP. Urbano VIII, Benedicto XIV et Pio IX constitutis recedere quidem videntur. Quae Congregationes Particulares omnino simplex et breve principium prosecutae sunt: corrigenda solum ea, quae fidei catholicae sunt opposita; de caeteris nihil innovandum; id quidem ex intentione, ut etiam dissidentes editione catholica facile possint uti. Re accuratius inspecta, idem principium in libris liturgicis slavicis nuper editis et edendis stricte observari dicendum est; immo indolem et traditionem slavicam conservandam etiam tunc, si forte editiones graecae aliter suadeant. Cum vero in ultimis decenniis media et studia scientifica de rebus orientalibus feliciter aucta sint, hodie non solum veritatis theologicae, sed etiam veritatis historicae magis ratio haberi potest et proin textus traditionis antiquioris et magis genuinae iterum restitui valent [3].

Ad rem illustrandam adducentur quidam textus ex liturgia S. Basilii Magni nuper edita [4], et quidem: *a*) De

---

[2] A. Raes S. J., *La première édition romaine de la liturgie de Saint Jean Chrysostome en staroslave*, in *Orientalia Christiana Periodica* vol. VII (1941) pg. 518-526.

[3] Joseph Schweigl, *Revisio librorum liturgicorum byzantino-slavorum* in *Periodica* tom. 26 (1937) pg. 361-386.

[4] Božestvennaja Liturgia iže vo svjatykh otca našego Vasilia Velikago (Divina liturgia sancti Patris nostri Basilii Magni) cum approbatione S. Sedis, 1941, pag. 71, 93, 95.

dialogo liturgico inter sacerdotem et diaconum post magnum ingressum; *b*) De ultimis verbis Epicleseos; *c*) De commemoratione B. V. M. post consecrationem.

a) Dialogus liturgicus inter sacerdotem et diaconum post magnum ingressum.

Tenor textus editionum dissidentium:

Inclinans caput, sacerdos dicit ad diaconum: Memento mei, frater et concelebrans. *Diaconus vero ad ipsum*: Recordetur sacerdotii tui Dominus Deus in regno suo. *Etiam D. inclinans caput et tenens simul tribus digitis manus dexterae orarion ait ad sacerdotem*: Ora pro me, domine sancte. *Et sacerdos*: Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Diaconus*: Idem Spiritus ministrabit una nobiscum omnibus diebus vitae nostrae. *Et iterum diaconus*: Memento mei, domine sancte. *Et sacerdos*: Recordetur tui Dominus Deus in regno

Tenor textus editionis Romanae:

Et dicit sacerdos ad diaconum: Memento mei, frater et concelebrans. *Et diaconus ad ipsum*: Recordetur sacerdotii tui Dominus Deus in regno suo. *Et sacerdos*: Ora pro me, concelebrans mecum. *Etiam Diaconus ait ad Sacerdotem*: Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Sacerdos*: Idem Spiritus Sanctus ministret una nobiscum omnibus diebus vitae nostrae. *Et diaconus ad ipsum*: Memento mei, domine sancte. *Sacerdos*: Recordetur tui Dominus Deus in regno suo, perpetuo, nunc et semper et in saecula saeculorum.

---

[5] Idem tenor dialogi invenitur in editione dissidente liturgiae S. Johannis Chrysostomi.

[6] Idem dialogus habetur in editione romana liturgiae S. Joannis Chrysostomi.

suo, perpetuo, nunc et semper et in saecula saeculorum. *Dicto* Amen, *diaconus osculatus dexteram sacerdotis, exit portis septentrionalibus et stans in loco consueto dicit*: Compleamus... [5].

Diaconus: Amen. *Et osculatus dexteram sacerdotis exit portis septentrionalibus et stans in loco consueto dicit*: Compleamus...[6].

Hic dialogus liturgicus modo longior modo brevior, inter episcopum et sacerdotes, celebrantem et concelebrantes, sacerdotem et diaconum institutus, ante saeculum XI-XII vix invenitur. Redactio vero, qua dissidentes slavi utuntur, originem ducit a saeculo XVII (1647) nempe a reforma Niconiana. Ratio vero, cur textus liturgici per saecula quasi immutati impressi sint, partim quaerenda in severa praescriptione concilii Mosquensis anni 1667/68 habiti, in quo editio Niconiana (1667) declaratur typica et quasi immutabilis: « Et nemo audeat abhinc in officiis divinis aliquid adiungere vel omittere vel mutare; etiamsi angelus (adversus nos) aliquid aliud annuntiet, ne credatis ei » [7]; alia ratio quaerenda in timore, ne novum schisma oriatur, neve vetus (vetero-credentium) magis diffundatur. Persuasio tamen, textus liturgicos et rubricas revisione indigere, ab ecclesia russica saepius affirmatur [8].

Pro textu recensionis Romanae stat tota traditio antiqua. In 63 codicibus liturgiae S. Basilii Magni saec. VIII-XVI (incl.) graecis [9] et slavicis [10], quae Prof. Prot. M. I.

---

[7] *Acta* (*djejanja*) *synodorum Mosquensium annorum* 1667-68 (Mosquae 1893): Liber actorum synodalium a. 1667, cap. 24.

[8] *Cerkovnyja Vjedomosti* (Commentarium officiale S. Synodi), Petropoli 1907 Nr 37 pag. 1580-82; Nr 38 pg. 1634-38.

[9] Manuscripta graeca liturgiae S. Basilii Magni: 9 bibl. Petropolitan., 8 bibl. Mosquens., 8 ex collectione Swainson, 13 ex collectione Dmitrevsky.

[10] Manuscripta slavica liturgiae S. Basilii Magni: 19 bibl. Petropolitan., 4 bibl. Mosquens., 1 bibl. Serbiae, 1 bibl. Bulgariae.

Orlov [11] examinavit et inter se contulit, praefatus dialogus saepe deest, modo est brevior modo longior, instituitur inter episcopum et sacerdotes, celebrantem et concelebrantes, sacerdotem et diaconum; semper tamen ille, qui est dignitate minor, dicit ad illum, qui dignitate maior, illa verba: Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Haec traditio antiquior conservatur usque ad nostra tempora in caerimoniali dissidente episcoporum (Činovnik), quod minus quam alii libri liturgici cursu saeculorum correctioni subiectum fuit.

Congregatio Particularis de correctione librorum sub P. Benedicto XIV notat ad hunc textum [12]: « Quaeritur, num recte diaconus a sacerdote dicatur sylleiturgos et sacerdos orans ei dicat: Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi, quia eadem verba videntur excedere potestatem diaconi et, cum in certis codicibus absint (fol. 46).

Quod autem secundam partem attinet, censuerunt patres corrigendum esse Euchologion iuxta codices antiquiores, adeo ut verba illa dicantur a diacono sacerdoti, non autem ex diverso a sacerdote diacono; 1) quia hoc est genuina et germana lectio iuxta veteres codices; 2) quia P. Goar, in graecis ecclesiasticis libris versatissimus, errorem hoc loco scriptorum vel typographorum maximum esse affirmat, cui in eadem sententia praeivit Arcudius, qui correctis verbis Euchologii eo modo, quo supra dictum est, deinde talia subdit. Quod autem ita sit legendum et corrigendum manifeste constat ex liturgia Jacobi, ubi eadem verba, caeteri dicunt ad sacerdotem; 3) quia tremendum sacrificii munus, cum sacerdos peracturus est,

---

[11] Prof. Prot. M. I. Orlov, *Liturgia S. Basilii Magni*, S. Petersburg 1909 (russice) pag. VII-LXXXVII (descriptio manuscriptorum) et pag. 143-145 (enumeratio manuscriptorum, quae dialogum afferunt).

[12] *Archiv. Prop. Fide*, Rescripta Congreg. Particularis vol. 7 (de emendatione Euchologii graecorum) 1744-1750. — Nota etiam saepissime in ritu byzantino munus diaconi cum munere angelorum et archangelorum comparari.

aptum et conveniens est, ut ipse diaconi et comministri preces ad divinam opem impetrandam expostulet, non autem e contrario. Quod etiam fit in Missa latina, in qua sacerdos priusquam rem agendam aggrediatur, ad populum conversus, ut orent fratres precatur; 4) demum quia haec verba parum vel nihil convenire videntur in diaconum, bene autem in sacerdotem, in cuius manibus vi et virtute verborum consecrationis ob mirabilem illam transsubstantiationem nasciturus quodammodo Christus Dominus, quemadmodum in praesepe natus est ex B. V. M., ad quam ab angelo eadem verba, de quibus sermo est, dicta sunt. Hac enim comparatione ad ineffabile mysterium explicandum patres tum graeci tum latini utuntur, ex quibus S. Iohannis Damascenus, de fide orthodoxa, in haec verba scribit: Quomodo fiet mihi istud, dicit sancta virgo, cum virum non cognosco. Respondet Gabriel archangelus: Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi; non autem, ut per errorem in Euchologio nunc habetur, sacerdos ad diaconi deprecationem hisce vel similibus verbis Spiritus sancti adventum eidem diacono adprecabatur (fol. 48, 49) ».

b) Ultima verba epicleseos

Pars textus epicleseos editioni dissidenti et catholicae communis: *Diaconus caput inclinans ostendit orario sanctum panem et dicit voce submissa*: Benedic, domine, sanctum panem. *Sacerdos signans sanctum panem dicit*: Panem quidem hunc [13] pretiosum corpus Domini et Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. *Diaconus*: Amen. *Et iterum diaconus*: Et benedic, domine, sanctum calicem. *Sacerdos autem benedicens ait*: Hunc vero calicem pretiosum sanguinem Domini et Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. *Diaconus*: Amen.

[13] Supponuntur ex oratione praecedente verba: Oramus Te et invocamus Te... ut digneris... sanctificare et ostendere.

Textus editionis dissidentis:	*Textus editionis Romanae*:
Sacerdos: Qui pro mundi vita effusus est. *Diaconus*: Amen. *Et rursus diaconus orario utrumque ostendens dicit*: Benedic, domine, utrumque. *Sacerdos, manu benedicendo utrumque, dicit*: Immutans Spiritu Sancto Tuo. *Diaconus*: Amen, Amen, Amen.	*Sacerdos vero utrumque sanctum benedicens, ait*: Qui pro mundi vita effusus est. *Diaconus*: Amen, Amen, Amen.

Verba: Immutans (μεταβαλὼν preloživ) Spiritu Sancto Tuo, quae in recensione dissidente citantur, in aliquibus manuscriptis graecis antiquioribus [14] leguntur, in aliis desunt. In manuscriptis vero slavicis haec verba non habentur; prima vice apparent in libris impressis saec. XVII [15]. Immo etiam in documentis dissidentium asseritur: verba illa esse omittenda, quia in manuscriptis non inveniantur; ea introducta esse intentione anticatholica [16].

Congregatio Particularis sub P. Benedicto XIV in hac re ponit quaestionem [17]: « Num expungenda sint verba μεταβαλὼν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ σου ac pariter verbum ποίησον cum non sint Sancti Basilii et faveant schismaticis asserentibus, hisce verbis fieri transsubstantiationem (fol. 139v).

Respondetur. « Congregatio tempore Urbani VIII censuit delendum esse verbum ποίησον fac, tum etiam verba

---

[14] Euchologium Sinaiticum seu Porphyrianum saec. IX-X, Petropoli.

[15] Prof. Prot. M. I. Orlov, *Liturgia S. Basilii Magni*, pg. VII-LXI et pg. 208-209.

[16] *Euchologion* (Venetiis 1877) pg. 90; porro A. Maltzev *Liturgicon* (Berlin, 1902) pg. 133.

[17] *Archiv. Prop. Fide*, Rescripta supra citata.

μεταβαλὼν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ σου immutans Spiritu Sancto Tuo; insuper rubricam ad dicta corrigendam; 1) quia in antiquis et manuscriptis et impressis Euchologiis praedicta verba: fac et immutans Spiritu Sancto tuo non reperiuntur; 2) quia sensus orationis ea verba nullo modo patitur; 3) quia neque Marcus Ephesinus neque Bessarion praedicta verba legunt in dicta oratione S. Basilii (fol. 144) ». Congregatio vero Particularis nihilominus textum non mutavit: « Verum tamen lex, quam Congregatio sibi servandam praescripsit, vim quodammodo facit, ut in iis, quae tempore Urbani VIII definita sunt, recederet et in sententia, quam secuta est, nihil immutandi, persisteret; maxime quod ex verbis illis praeclarum nobis argumentum et locupletissimum testimonium totius Ecclesiae orientalis suppenditare certum est adversus novatores, qui transsubstantiationem, quam credit Romana Ecclesia catholica, reiicere tamquam latinorum theologorum commentum et sacrilego ore reprehendere et vituperare audent. Visum est etiam reliquenda verba τὸ δε ποτήριον calicem, quia quisque intelligit ea per figuram Synectochen dicta esse, accipiendo calicem continentem pro re contenta, cuiusmodi exempla plurima passim occurrunt in sacris Scripturis ac proin immutari necesse non esse, iudicatum est (fol. 145v-146) ». Cf. Euchologiam (Romae 1754) pg. 82.

c) Commemoratio B. V. M. post consecrationem.

Textus commemorationis editioni dissidenti et catholicae communis:

Sacerdos se inclinat et ait: Nos autem omnes, qui de uno pane et calice participamus, junge ad invicem in unius Spiritus Sancti communionem; et fac, ut nemo nostrum in condemnationem fiat particeps sancti Corporis et Sanguinis Tui; sed ut inveniamus misericordiam et gratiam cum omnibus sanctis, qui a saeculo tibi placuerunt: cum Protoparentibus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Praedi-

catoribus, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Doctoribus et omni justo spiritu, in fide defuncto: *Alta voce*:

Textus editionis dissidentis:	*Textus editionis Romanae*:
Praecipue pro sanctissima, illibata super omnes benedicta, gloriosa Domina nostra, Deipara et semper Virgine Maria.	Praecipue cum sanctissima, illibata, super omnes benedicta, gloriosa, Domina nostra, Deipara et semper Virgine Maria.

Quoad textum graecum non habetur difficultas, cum praepositiones ὑπὲρ **(pro)** et μετὰ (cum) in lingua graeca requirant casum genitivum et hae praepositiones in ipsa commemoratione B. V. M. iam non repetuntur, sed ex textu immediate praecedenti supponuntur [18]. Praepositio ὠ (pro) in manuscriptis et libris impressis slavicis non apparet ante saec. XVII [19].

Ex exemplis allatis aliquo modo elucet: textibus his restitutis, in editione Romana indolem et traditionem genuinam, manuscriptis, contextui et fidei catholicae conformem, perfectius conservari quam in editione dissidente.

J. Schweigl S. I.

---

[18] Cf. Goar, *Euchologion*, (Venetiis 1730), pg. 123, nota 140; pg. 144.

[19] Prof. Prot. M. I. Orlov o. c. pg. VII-LXI et pg. 211-213. — cf. A. Maltzev, *Liturgicon*, (Berlin 1902) pg. 133. — *Liturgicon* (Leopoli 1929) pg. 176.

MONUMENTA

9 - Conventio inter Sanctam Sedem et Gubernium hispanicum

La Santa Sede y el Gobierno Español han convenido en los puntos siguientes:

1. — Tan pronto como se haya producido la vacante de una Sede Arzobispal o Episcopal (o de una Administración Apostólica con carácter permanente, es decir las de Barbastro y Ciudad Rodrigo), o cuando la Santa Sede juzgue necesario nombrar un Coadjutor con derecho de sucesión, el Nuncio Apostólico, de modo confidencial, tomará contacto con el Gobierno Español, y una vez conseguido un principio de acuerdo, enviará a la Santa Sede una lista de nombres de personas idóneas, al menos en número de seis.

2. — El Santo Padre elegirá tres de entre aquellos nombres y, por conducto de la Nunciatura Apostólica, los comunicará al Gobierno Español y, entonces, el Jefe del Estado, en el término de treinta días, presentará oficialmente uno de los tres.

3. — Si el Santo Padre, en su alto criterio, no estimase aceptables todos o parte de los nombres comprendidos en la lista, de suerte que no pudiera elegir tres o ninguno de entre ellos, de propia iniciativa completará o formulará una terna de candidatos comunicándola, por el mismo conducto, al Gobierno Español.

Si éste tuviera objeciones de carácter político general que oponer a todos o a algunos de los nuevos nombres las manifestará a la Santa Sede.

En caso de que transcurriesen treinta días desde la fecha de la susodicha comunicación sin una respuesta del Gobierno, su silencio se interpretará en el sentido de que éste no tiene objeciones de aquella índole que oponer a los nuevos nombres; quedando entendido que entonces el Jefe del Estado presentará sin más a Su Santidad uno de los candidatos incluídos en dicha terna.

Por el contrario, si el Gobierno formula aquellas objeciones, se continuarán las negociaciones, aun transcurridos los treinta días.

4. — En todo caso, aun cuando el Santo Padre acepte tres nombres de los enviados, siempre podrá, además, sugerir nuevos nombres que añadirá a la terna, pudiendo entonces el Jefe del Estado presentar indistintamente un nombre de los comprendidos en la terna o alguno de los sugeridos complementariamente por el Santo Padre.

5. — Todas estas negociaciones previas tendrán carácter absolutamente secreto, guardándose de manera especial el secreto con respecto a las personas hasta el momento de su nombramiento.

6. — El Gobierno Español, por su parte, se compromete formalmente a concluir cuanto antes con la Santa Sede un nuevo Concordato inspirado en su deseo de restaurar el sentido católico de la gloriosa tradición nacional.

El presente Convenio estará en vigor hasta que se incorporen sus normas al nuevo Concordato.

7. — En lo relativo a la provisión de los beneficios no consistoriales, en el mismo momento de la firma de este Convenio se iniciará la oportuna negociación para concluir otro en el que se establezcan las normas para su provisión.

La Iglesia a la que por derecho propio y nativo corresponde la provisión incluso de aquellos beneficios no consistoriales sobre los que el Rey de España gozaba de particulares privilegios, está dispuesta, no obstante, a ha-

cer también en este punto algunas concesiones al Gobierno Español.

8. — Hasta que la cuestión quede definitivamente arreglada en el futuro Concordato, los Prelados podrán proceder, libremente, a la provisión de las Parroquias, dentro de las normas del Derecho Canónico, sin más que notificar los nombramientos al Gobierno, con anterioridad a la toma de posesión, para el caso excepcional de que éste tuviera que formular alguna objeción contra el nombramiento por razones de carácter político general.

9. — Entretanto se llega a la conclusión de un nuevo Concordato, el Gobierno Español se compromete a observar las disposiciones contenidas en los cuatro primeros artículos del Concordato del año 1851.

10. — Durante el mismo tiempo el Gobierno se compromete a no legislar sobre materias mixtas o sobre aquellas que puedan interesar de algún modo a la Iglesia, sin previo acuerdo con la Santa Sede.

Hecho por duplicado en Madrid, a siete de junio de mil novecientos cuarenta y uno.

Por la Santa Sede,
† Gaetano Cicognani

Por el Gobierno Español
Ramón Serrano Suñer

10 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

Responsum de millenarismo (Chiliasmo)

(Cfr. Estudios [Buenos Aires] Nov. 1941, p. 355)

Protoc. Num. 142/41 Ex Aedibus S. Officii d. 11 iulii 1941

Exc.me ac Rev.me Domine

Rite pervenerunt ad S. Officium litterae sub numero 126/40 datae die 22 Aprilis 1940, quibus Exc.cia Tua Rev.ma referebat in ista Archidioecesi esse qui defende-

rent systema millenariorum spiritualium et magis ac magis crescere admiratores talis doctrinae necnon operis *P. Lacunzae,* cui titulus « Venida del Mesías en gloria y majestad ». Enixe simul E. T. efflagitabat ut S. Sedes normas, hac in re, Tibi daret opportunas.

Re ad plenarium conventum feriae IV diei 9 huius mensis delata Em.mi ac Rev.mi Cardinales huius Supremae S. Congregationis respondendum mandarunt:

« *Systema Millenarismi etsi mitigati — docentis sci-*
« *licet secundum revelationem catholicam Christum Do-*
« *minum ante* LNALE *iudicium, sive praevia sive non prae-*
« *via plurium iustorum, resurrectione, corporaliter in hanc*
« *terram regnandi causa esse venturum — tuto doceri*
« *non posse* ».

Itaque, hoc responso innixus et prae oculis habens, ut ipse refers, prohibitionem libri P. LACUNZAE a S. Officio iam factam Excellentia Tua enixe vigilare curabit ne praedicta doctrina sub quocumque praetextu doceatur, propagetur, defendatur vel commendetur, sive viva voce sive scriptis quibuscumque.

Ad hoc efficiendum E. T. opportuna media nedum monitionibus, sed etiam et auctoritate adhibere poterit, datis si opportunum fuerit instructionibus quae erunt necessariae, iis qui in Seminario vel in Institutis docent.

Quodsi aliquid gravius emerserit, ad S. Officium E. T. referre non omiserit.

Occasionem nactus impensos aestimationis meae sensus Tibi obtestor permanens

Excellentiae Tuae Rev.mae
Addictissimus
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
Secret.

Exc.mo ac Rev.mo Domino
D.no IOSEPHO M. CARO RODRÍGUEZ
Archiepiscopo - *S. Iacobi in Chile*

Annotationes

Singula huius responsionis verba et locutiones ponderanda et exponenda sunt, cum singula certe studio selecta videantur.

Agitur itaque de *millenarismi* systemate *etsi* mitigato, nam, ut infra videbimus, duae praecipuae sunt formae illius systematis, una *crassa,* altera *mitigata,* vel *spiritualis*; S. Officium de forma mitigata agit, sed per illam particulam « *etsi* » clare indicat ea quae dicit multo magis ad crassam applicari posse.

Ulterius millenarismum mitigatum considerat quatenus a suis fautoribus dicitur contineri in publica revelatione a Deo sive in V. Testamento sive in Novo facta, quaeque tanquam depositum Fidei, tradita est Ecclesiae conservanda et nobis proponenda. S. Officium directe et immediate non ingreditur quaestionem de millenarismo nescio quem prout revelationibus privatis aut propriis speculationibus quis statuere vellet, a publica Dei revelatione praescindendo. Nihilominus inde deduci non potest: S. Officium propagationem millenarismi, qui non nisi ad huiusmodi argumenta provocet, velle positive permittere; infra exponetur cur ipsum chiliasmi systema, praecisione facta ab argumentis quibus immediate superstruitur, reiciendum censeri debeat.

Millenarismus, qui publice a Deo revelatus praetenderetur, in Responso S. Officii describitur tanquam consistens in sententia quae tenet *Christum corporaliter ante ultimum iudicium in hanc terram reversurum regnandi causa.* Posset enim Christus etiam corporaliter saltem ad momentum vel breve tempus in hoc mundo apparere sive ad aliquem ad veritatem convertendum, ut evenisse scimus S. Paulo in via Damascena, sive ad animas sanctas recreandas, instruendas aut ad aliud particulare bonum spirituale proponendum, sed in casu nostro agitur de fine

bene determinato in non parva varietate systematum millenaristarum, scilicet, *ad regnandum* et quidem in praesenti visibili terra et *ante ultimum universale iudicium*, quia id quod post universale et postremum illud iudicium de Christo resuscitato cum electis, pariter resuscitatis, evenire poterit nullo pacto in responsione S. Officii tangitur.

Ulterius si Christus, iuxta millenaristas, reversurus corporaliter ad regnandum ante finale iudicium esset, certe subditos in hoc mundo habere deberet, super quos regnum suum extenderet, qui poterunt esse vel omnes iusti antea defuncti et resuscitati, vel pars quaedam ipsorum, puta martyres, vel iustos adhuc in corpore mortali degentes, iuxta varietates millenarismi in hac re; hoc tamen est veluti secundarium in conceptu regni millenarii Christi et propter hoc bene S. Officium ponit: *sive praevia sive non praevia plurium iustorum resurrectione.* Multo magis elementum secundarium reputanda illius regni mille annorum perduratio, cum in hac re quoque magna sit varietas opinionum apud millenaristas, qui solum in diuturna quadam permanentia regni illius conveniunt; consequenter de hac duratione S. Officium nihil dicit.

Talis doctrina millenaristarum « *tuto doceri non potest* » Supremum Tribunal catholicae Fidei decernit, et ulterius in sua Epistola ad Archiepiscopum S. Iacobi in Chile declarat: « *Excellentia tua enixe vigilare curabit ne « praedicta doctrina sub quocumque praetextu doceatur, propagetur, defendatur vel commendetur sive viva voce sive scriptis quibuscumque* ». Non agitur itaque de evulgationis prohibitione solum per publicas praelectiones, praedicationes aut editos libros, sed de aliis quoque formis quibus eadem doctrina vere dici possit propagari vel commendari, etsi solum viva voce mediante; talis est itaque supremi Tribunalis mens.

Responsio haec, ut apparet, primo et per se disciplinam externam Ecclesiae et vitae christianae respicit,

attamen evidenter talem prohibitionem decernere non constituisset S. Officium, nisi etiam doctrinam ipsam reputasset saltem non apparere consonam, bene cohaerentem cum reliquis Fidei veritatibus, aliis verbis: *si tuto talis doctrina doceri non potest,* hoc indicat etiam ipsam in se non apparere tutam, quamvis responsio data directe hoc proprie non decernat.

* * *

Praestat modo ad responsionem Supremi Tribunalis melius intelligendam quaedam breviter de famoso hoc systemate Millenarismi vel Chiliasmi (a χίλιοι = mille) aliquid dicere.

Iam plusquam uno circiter saeculo a. Christum in Apocryphis et aliis iudaeorum scriptis millenarismus diversis equidem formis, apparet: in libro III Sybillino, in Enoch aethiopico, in libro Iubilaeorum et postea in Apocalypsi Baruch, etc., doctrina traditur de tempore venturo in quo homines abundabunt omnibus bonis materialibus, longaevi erunt ut antidiluviani Patriarchae et amplius, statura proceres, mulieres foecundissimae, fructus terrae abundantissimi, ferae silvarum mansuetae, etc. etc. Haec materialis felicitas (*millenarismus crassus*) non raro coniuncta etiam cum bonis spiritualibus concipitur, et apud quosdam adveniente Messia initium habebit, apud alios sine Messia; eiusdemque participes erunt modo iudaei solum, modo iudaei et, ex parte, ethnici, iudaeis subiecti, aliquando etiam iusti resuscitati. Pariter de duratione felicissimae huius aetatis non una est sententia: in antiquioribus veluti aeterna apparet in hac terra et speciatim in Ierusalem, in aliis 400 annorum, 1000 annorum (saepius), 2000 annorum spatio duratura. Apud rabbinos talmudistas postea et in midrašin proprietates huius materialis felicitatis augentur et durationis tempus adhuc magis variat.

Ex iudaeis talis conceptio in antiquos quosdam chris-

tianos translata videtur; iam *Cerinthus* et *Ebionitae* (haeretici iudaistae) teste Eusebio [1] et Hieronymo eam tuebantur, aliquid huiusmodi apparet etiam in *Ep. Pseudo-Barnabae* (Cap. XV), magis adhuc et forma quadam veluti infantili in *Papia,* qui effatum affert Presbyterorum in Asia [2], et reapse speciatim in Asia minori et Aegypto antiquitus diffusa utcumque apparet, innixa etiam in Apocalypsi Ioannis Apostoli Cap. 20, ubi Christus mille annis regnare cum iustis dicitur ante universale iudicium. *S. Iustinus Martyr* [3] reapse ad Apoc. Ioannis appellans, magis determinate quam praecedentes spiritualem millenarismum profert, sed simul addit multos optimos christianos in hac re dissentire. Dein *Irenaeus* [4] in fine sui libri « *Contra Haereses* » adducta Papiae auctoritate hanc sententiam defendit, sed in sensu magis adhuc spirituali et probabilius statuens non in terra, uti nunc est, sed in terra et coelis novis ipsam sedem habituram esse.

Tertullianus [5] hanc spem, quae exspectationi montanisticae satis affinis erat clare docet, sicut *Nepos* [6] Episcopus in Korakion (in Aegypto); eodem fere tempore, in Lycia *S. Methodius* [7], et forte etiam *Hippolytus* [8] Romae. In IV saeculo rarius omnino talis doctrina apparet; *Apollinaris Laodicensis,* iuxta verba S. Basilii [9] eam docuisset. Sed et hi cum paucis aliis (Lactantius, Commodianus, Victorinus Petavion.) [10] neque eodem sensu talem felicitatis (utique spiritualis) aetatem exponunt, neque semper

---

1 H. E. III, 28 (MG. 20, 275).

2 Cfr. Xav. Funck, Patrum Apostolicorum Opera, Vol. II. Papiae Fragm. I.

3 Dial. c. Triphon. n. 80 (MG. 6, 663).

4 Contra Haer. V, 31, 1 sq. (ML. 7, 1210-1218).

5 Adv. Marcionem III, 24 (ML. 2, 355).

6 Apud Euseb., H. E. 6, 35 (MG. 20, 595-694).

7 Synops. IX, 5.

8 Comment. in Dan. 4, 23 et 4, 60 (Edit. Bontwesch).

9 Epist. 262, 4.

10 Scripta Tertulliani, Commodiani, Victorini, Petav., Lactanti, Q. Iulii Hilarionis in Decreto Gelasiano reprobata fuere (Cfr. Mansi, Coll. Conc. VIII, 151-170).

assertive, et, quod magis adhuc notandum, contradicentibus pluribus aliis magnae auctoritatis viris ecclesiasticis.

Iam vidimus Iustinum affirmare plures optimos fideles tale commentum respuere; Eusebius Caes.[11] sua vice Papiam de nimia simplicitate et mediocri in hac re intelligentia accusat, cum non intelligeret quid sub his figuris lateret. Origenes in saec. III aperte hanc conceptionem impugnat et tanquam commentum iudaicum respuit[12]; aperte pariter contra Nepotem Episcopum Dionysius Alex.[13] pugnavit, immo eo processit ut in dubium etiam Apocalypsis auctorem propter hoc revocarit; Caius[14] romanus contra Hippolytum, teste Eusebio, insurrexit, sicut contra Apollinarem Laod. S. Basilius Magnus[15] scripsit. Hieronymus[16] etiam hoc ad fabulas iudaicas pertinere aperte tradit, et Augustinus[17] fatetur se, quamvis antea aliquantulum Chiliastarum placitis indulsisset, haec omnia postea reicienda putasse. Multo magis deinde Philastrius, Gennadius[18], Theodoretus, Nicephorus commentum millenaristicum reprobant, interdum haeresim quoque illud appellando.

Ex his ergo, quae brevitatis causa, de hac re delibavimus, clare apparet quomodo sententia millenaristica nunquam in Patribus solidas quoquomodo radices, et uniformiter posuerit; inutile itaque est ad traditionem Patrum appellare.

Rationem vero cur nunquam in Ecclesia chiliastarum sententia recepta sit bene Augustinus affert in libro ad Dulcitium[19]: « *Interrogationi tuae qua quaeris utrum in*

---

[11] H. E. 3, 39 (MG. 20, 299).
[12] De Princip. II, 11, 2 (MG. 11, 241 sq.).
[13] MG. 20, 595-694.
[14] MG. 10, 26. Euseb., H. E. III, 28.
[15] L. c. Euseb., H. E. 6, 35 sq.
[16] Ep. 120-121 et in Isai. 11, 6; 23, 18 (ML 22, 98-1030; 24, 627 seq.).
[17] De Civit. Dei, 27 (ML. 41, 667).
[18] Cfr. ML. 18, 994 seq.
[19] ML. 40, 159.

« *adventu Domini mox credendum sit futurum esse iudi-*
« *cium puto quod sufficiat fides Symboli, qua confitemur*
« *Christum a Patris dextera esse venturum ad vivos et mor-*
« *tuos iudicandos; cum ipsa sit causa veniendi, quid aliud*
« *acturus est mox ut veniret, nisi propter quod venerit?* ».
Id est Ecclesia aperte et clare profitetur se non cognoscere alium futurum Christi adventum in mundum nisi ad iudicandum, non ad regnandum; duos solummodo, monet Hieronymus [20], cognoscit ipsa Christi adventus, unum in humilitate, ad mortem propter nostram salutem subeundam, alterum in gloria ad iudicandos vivos et mortuos. Haec fides expressa reapse invenitur in omnibus antiquissimis Symbolis, sicut videre est in Denzinger n. 1-39.

S. Scriptura ipsa Novi Testamenti hos duos Salvatoris adventus cognoscit et describit, alium ad regnandum ignorat aut excludit; sic in Parabolis iudicium in electos et reprobos *statim* asseritur post regni caelorum militantis finem, ut in Parab. de tritico et zizaniis, de sagena missa in mare [21]; idem invenitur in Parab. de vigilantia necessaria ne iudicium Dei nos imparatos inveniat (Parab. de bono et malo servo exspectantibus dominum suum, de virginibus prudentibus et fatuis, de talentis [22]), et clarissime in descriptione ultimi iudicii apud Matthaeum (25, 31-46); adveniente enim Christo *illico* omnium congregatio ante Eius tribunal habetur, dein segregatio malorum ab electis, statimque sententia in utrosque; idemque dixerat quoad substantiam Mat. in Cap. 16, 27-31. Similiter Paulus Apostolus reditum Christi ad iudicandum scit et affirmat non vero ad regnandum; sicut inter alia loca videri potest speciatim in 2 Thess. 1, 7 seq., ubi et regnum bonis et poenas in interitu aeternas reprobis Dominus daturus dicitur quando veniet cum angelis virtutis eius, idemque habetur

---

[20] Epist. 121 (ML 22, 1036).
[21] Mt. 13, 24 seq.
[22] Mt. 24, 45 seq.

in 1 Thess. 4, 16; 5, 8, descendente enim Domino e caelo statim mortui, qui in Christo sunt, resurgent, et viventes (transformati) simul rapientur cum illis obviam Christo in aëra et sic semper cum Domino erunt, veh! tamen illis quos imparatos deprehenderit dies illa « *repentinus eis superveniet interitus sicut dolor in utero habenti* ».

Millenaristae confugiunt ad Apocalypsim Cap. 20, ubi sermo de Christi mille annorum regno post *primam resurrectionem iustorum,* et describitur postea iudicium et *secunda mors impiorum.* Sed bene ad hunc locum Dionysius Alex., Augustinus, Hieron. dicunt totum librum mysteriis et tenebris obvolutum esse, quare ex loco obscuro certum argumentum deduci non posse, potius ex Fide Ecclesiae, aliisque Novi Testamenti claris locis obscuriora intelligenda. Datae reapse sunt et dantur plures celebris Apocalypsis loci bonae interpretationes millenarismum quemquam excludentes. Si enim bene attendimus, dicuntur in illo Capite regnaturae *animae* martyrum et confessorum cum Christo mille annis sed animae (ψυχαί v. 4°) non corpora resuscitata; additur quidem hoc evenire illis *in prima resurrectione* (v. 5°), sed haec prima resurrectio, quae obvio modo *secundam* supponit bene potest intelligi de statu animarum beatarum in coelo cum Christo, ante corporum resurrectionem (2ª resurrectio) aut de transitu e peccati morte ad vitam gratiae, etiam degentibus in hac vita mortali, sicut ipse Ioannes resurrectionem talem transitum appellat, aut utroque modo. Numerus vero millenarius, sicut passim alii numeri in Apocalypsi, symbolicus est, et magnam solum, valde diuturnam, durationem significat; dein ultimae persecutiones et iudicium finale habebitur, praecedente tamen, ut apparet ex v. 7-15 resurrectio corporum, et sic impiis *secunda mors* adveniet (prima enim horum mors fuit vel per statum peccati vel per iudicium animae particulare). Sic intellectum Cap. 20 Apoc. nihil aliud affirmat nisi iudicium universale post longam temporum seriem venturum, in qua Christus regnabit in

caelis cum beatis animabus, vel simul etiam in terris cum iustis peregrinantibus et sibi mystice unitis, et Satanas relative ligatus erit. Talis interpretatio certe optime cohaeret cum aliis veritatibus et sensu Ecclesiae et non solum nullam verbis inspiratis vim infert, sed bene consona illis est, eamque uno aut altero modo indicarunt aut adoptarunt Tychonius, Hieron., Augustinus, Primasius, Gregor. Magnus, Beda, et hodie communiter exegetae catholici usque ad recentissimum (an. 1921) Comment. in Apocalypsim B. Allo.

Silvius Rosadini S. I.

11 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

Decretum 16 ian. 1942

(*AAS* xxxiv [20 ian. 1942] p. 22)

Quaesitum est ab hac Suprema S. Congregatione:

1° utrum cautiones quae ad normam can. 1061 praestari debent de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda comprehendat solummodo prolem nasciturum, an etiam prolem ante matrimonii celebrationem forte iam natam;

2° quid sentiendum de matrimoniis celebratis cum cautionibus de prole nascitura, neglecta prole forte iam nata.

E.mi ac Rev.mi Patres, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, in consessu plenario feriae IV diei 10 Decembris 1941, praefatis dubiis responderunt:

ad 1um: *Affirmative* ad primam partem: *Negative* ad secundam;

ad 2um: Provisum in primo.

Et ad mentem; mens autem haec est: quamvis per se, ad normam praefati canonis, cautiones non exigantur de prole forte iam nata ante matrimonii celebrationem, om-

nino monendos esse nupturientes de gravi obligatione iuris divini curandi catholicam educationem etiam dictae prolis forte iam natae.

Et feria V, die 15 Ianuarii 1942, Ss.mus D. N. Pius, Divina Providentia Papa XII, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori S. Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, die 16 Ianuarii 1942.

I. Pepe, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

Annotationes

« Ecclesia super impedimento mixtae religionis non dispensat, nisi... 2° cautionem praestiterit uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda »; (can. 1061, § 1, 2°).

1. Vis verbi: « de *universa* prole » dubio ansam dedit quod S. C. S. Officii, decr. d. 16 ian. 1942 solvere intendit.

Scil. cum *dispensatio* ad matrimonium mixtum ineundum conceditur, accidere potest ut proles iam adsit sive e commercio illicito inter partes, sive e matrimonio nulliter attentato, sive tandem e praecedenti matrimonio, mixto vel non mixto, alterutrius partis. Quando autem petitur sanatio matrimonii in radice, saepius iam proles adesse potest.

In omnibus illis casibus quaestio de ambitu cautionis exigendae circa baptismum et educationem universae prolis in religione catholica poni potest. E documentis Sanctae Sedis ad hanc quaestionem pertinentibus et commentariis Doctorum perspicua solutio non apparebat.

2. In pluribus responsis vel decretis quibus Sancta Sedes instat obligationi *universam* prolem baptizandi et catholice educandi, de prole *utriusque sexus* praesertim vel unice cogitat. Quod facile ob leges plurium civitatum

explicatur quibus v. g. proles sexus masculini in religione patris, puellae vero in religione matris educari iubebantur. Quare explicite sive in responsis sive in Facultatibus illa verba inveniebantur: *universa proles utriusque sexus.*

3. — De prole forte iam nata, etiam cum de matrimonio convalidando agebatur, haud pauca documenta silent; immo, quod magis attendendum, de prole « nascitura » expresse loquuntur. Sed non desunt documenta in quibus de prole nata et nascitura mentio fit explicita.

4. — 1° S. Congregatio de P. F., Instr. 13 sept. 1760 (*Coll. P. F.*, I, n. 435)[1] in parte quae de matrimoniis *contrahendis* agit, sic ait: « Ora la contumelia del Creatore deve evitarsi per rapporto... 2° alla prole *nascitura*... »; in parte quae agit de matrimoniis contractis, tota est in periculo perversionis uxoris examinando.

2° S. C. S. O., 12 ian. 1769 (*Coll. P. F.*, I. n. 472) loquens de dispensatione in casu matrimonii *nulliter contracti*, dicit tantum: « commendetur atque iniungatur catholica quoque prolis educatio », sine explicita distinctione.

3° S. Congr. de P. F., 18 febr. 1783 (*Coll. P. F.*, I, n. 562) de fidelibus agit qui, post matrimonium mixtum sine dispensatione *contractum*, paenitentia ducti ad sacramenta accedere velint. In exigenda cautione de prole catholice educanda, nihil explicite de prole iam nata dicitur.

4° S. Congr. de P. F., Instr. 9 dec. 1822 (*Coll. P. F.*, I, n. 779) normas quasdam tradit pro casibus quibus uxori, post matrimonium mixtum indebite *contractum*, paenitentiam agenti impossibile est, saltem ad tempus, « grandiusculos pueros » catholice educare. Ostendit quomodo virum paulatim flectere possit, sed de cautione stricte exigenda tacet. Supponit tamen obligationem curandi, pro

---

[1] Non allegamus Card. Gasparri, *Codicis i. c. Fontes*, quia documenta in Indice vol. III et VII sine ulla difficultate reperiuntur pluresque lectores nostri Collectanea S. C. de P. F., non autem Codicis fontes possident.

viribus, ut iam nati filii in religione catholica educentur.

5° S. O., Instr. 3 ian. 1871 (*Coll. P. F.*, I, n. 1362, 3) instat obligationi universam prolem « utriusque sexus » rite educandi; de nata prole nihil habet.

5. — Pauci textus explicite loquuntur de « *prole nascitura* », etiam cum agitur de matrimonio convalidando.

1° S. O., Instr. aug. 1819 (*Coll. P. F.*, I, n. 736), etsi agat de matrimoniis nulliter *contractis*, ergo convalidandis, ait requiri: « ut sperari probabiliter possit... christiana educatio sobolis *nasciturae*... ». Qui modus loquendi est in tali contextu valde notandus.

2° Instr. Secret. Stat., 15 nov. 1858 (*Coll. P. F.*, I, n. 1569) haec verba habet: « ... ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis *procreanda*... » De distinctione hic agitata nihil habet.

6. — Tandem inveniuntur pauci textus in quibus explicita de prole iam nata mentio habetur.

1° S. C. de P. F., 31 ian. 1796 (*Coll. P. F.*, I, n. 629) agens de convalidando matrimonio mixto, non exigit cautionem quae in casu proposito dari non poterat, sed ait: « ... sedulo Pastor mulierem admonere non omittet de gravi obligatione qua tenetur curare ut... et *suscepta* proles in christiana religione instituatur ».

2° S. C. P. F., Litt. 3 maii 1828 (*Coll. P. F.*, I, n. 804). In ipsa casus expositione orator de prole iam nata et de nascitura explicite loquebatur, quia in casu impossibile erat prolem iam adultam catholice educare. Concessa est nihilominus facultas dispensandi, sed in responso non resumitur mentio utriusque prolis.

3° S. O., 23 aug. 1877 (*Coll. P. F.*, II, n. 1478) agens de mulieribus ad sacramenta admittendis postquam matrimonium mixtum sine dispensatione contraxerant, officium inculcat eas: « ... arcendi a sacramentis donec promiserint se curaturas ... educationem in religione catholica prolis universae *natae et forsan nasciturae* ».

Qui textus est unicus in quo exigatur *cautio* de catho-

lica prolis iam natae educatione. Sed agit de matrimonio convalidando.

7. Veniamus nunc ad textum Facultatum habitualium quibus Sancta Sedes facultatem dispensandi super impedimentis M. R. vel D. C. aut sanandi matrimonia cum illis impedimentis attentata concessit vel concedit.

1° Formula extraordinaria D, qualis post emendationem Formularum anni 1894 in usu erat, art. 3, sic aiebat: « Dispensandi... super impedimento disparitatis cultus ...dummodo cautum sit de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda... ». Etsi facultas valebat quoque pro matrimoniis contractis, a determinanda magis illa « universa prole » textus abstinebat. In suo autem Commentario, KONINGS-PUTZER [2] scribebat: « ...prolis, inquam, ut supra, nasciturae aut iam natae sive ex commercio illicito sive ex praecedenti partis catholicae matrimonio ». Sed interpretationem suam nullo argumento confirmabat.

2° Facultates S. C. S. Officii, e modulo anno 1922 confecto, sic sonabant: « Dispensandi... super impedimento M. R., et si casus ferat, etiam supra D. C., dummodo regulariter, ad praescriptum Codicis i. c., can. 1961, § 2 cautum omnino sit... de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda... ».

« Sanandi in radice matrimonia attentata... cum impedimento M. R. aut D. C....; eique (partis catholicae) insuper gravibus verbis in mentem revocet obligationem, qua semper tenetur, pro viribus tutandi baptismum et educationem universae prolis utriusque sexus, *tam forte natae quam forsitan nasciturae,* in catholicae religionis sanctitate... » [3].

---

[2] *Commentarium in Facultates Apostolicas,* 1898, n. 218, p. 381.

[3] *N. R. Th.,* 1923, 128.

Notetur promissionem seu *cautionem* de hac obligatione implenda non exigi.

3° In Formula III maiore, quam ante mutatum a. 1941 textum, S. Congregatio de P. F. concedebat (n. 21), ubi de matrimoniis *contrahendis* agitur, textus erat idem atque ille S. Officii.

In facultate sanandi in radice (n. 23) dicebatur: « Sanatio in radice non concedatur, nisi moraliter certum sit partem catholicam universae prolis *tam natae quam nasciturae* catholicam educationem non esse impedituram... ».

Usus ergo facultatis, in casu diverso, illicitus, non invalidus erat, ut videtur.

In Formula « extra ordinem »[4], n. 18, concedebatur facultas sanandi in radice matrimonia mixta, « *exceptis casibus*: 1° « in quo pars acatholica adversatur baptismo vel educationi prolis utriusque sexus *natae vel nasciturae;...* », dein inculcatur officium monendi partem catholicam de gravi eius obligatione in hac re, sicut supra. Non clare apparet num usus facultatis in casu excepto, ut supra, invalidus fuisset; ob modum quo de inculcanda partis catholicae obligatione sermo fit, potius illicitum usum diceremus. Verba enim: « exceptis casibus » possunt sive in concessionem, sive in usum facultatis cadere.

4° D. 1 ian. 1941, S. Congregatio de P. F. omnes Formulas priores ad duplicem formulam contraxit, minorem alteram, alteram maiorem. Novus textus, quod *ad sanationem in radice*, clare exprimit nullitatem dispensationis si cautum non sit de universa prole catholice educanda. Sc. n. 24: « Sanandi pariter in radice matrimonia mixta attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico, *dummodo* moraliter certum sit partem acatholicam universae prolis tam natae quam nasciturae catholicam educationem non esse impedituram ». (S C. P. F., Annex. n. 478/41).

---

[4] Cfr. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome i. c.*, I (6ª ed) p. 648 ss.

8. Vidimus supra n. 7, 1° KONINGS-PUTZER extendisse ambitum cautionis etiam ad prolem iam natam. Si iam commentatores Codicis adeamus, comperimus plerosque dubium non tangere, v. g. CAPPELLO, DE SMET, LINNEBORN, TER HAAR, VERMEERSCH-CREUSEN, etc. G. VROMANT [5] accurate quaestionem perpendens probabile aestimat canonem respicere tantum prolem « nasciturum »; anonymus in *The Ecclesiastical Review*, t. 74, 1926, 360 haeret dubius; item H. AYRINHAC [6]; A. KNECHT [7], GASPARRI [8], PRUEMMER, O. P. [9], PAYEN, S. J. [10], A. GOUGNARD [11] tamquam certum docent cautiones esse exigendas etiam relate ad prolem iam e partibus natam.

Th. M. VLAMING [12] citat responsum S. C. de P. F. ad Episcopum Harlemen., 20 mart. 1899, in quo loquens de prole partis acatholicae ex priore matrimonio iam nata, sic ait: « licet pro viribus sit curandum ut... in catholica religione instituantur, tamen haud absolute hoc exigendum pro concedenda dispensatione, nisi iidem filii ex altero matrimonio mixto sint orti et parens priores conditiones non observavit ». A. KNECHT, *l. c.*, a cautionis ambitu indistincte excludit prolem quam pars acatholica e priore matrimonio vel alio sexuali commercio habuerit; fere sic quoque Pruemmer, *l. c.*

9. — E sententiis mox propositis opportunitas responsi S. Officii apparet. Rationes dubitandi non deerant.

Ex una parte: 1° verbum: de *universa* prole « quod per se prolem iam natam comprehendere videtur; 2° obligatio gravis quam e iure divino parentes habent educandi in vera religione omnem prolem, sive natam sive na-

---

5 *De matrimonio*, 1a ed., n. 164, p. 134.
6 *Marriage Legislation*, revised edit., 1932, p. 106.
7 *Handb. des kath. Eherechts*, Freiburg i/B, 1928, p. 304.
8 *De matrimonio*, ed. nova post Cod. i. c., I, n. 451.
9 *Manuale theol. mor.*, ed. 4 et 5, III, n. 788.
10 *De matrimonio in missionibus*, I, n. 1126.
11 *Tract. de matrimonio*, 8a ed., 1937, p. 425.
12 *Praelectiones iuris matrim.*, 3a ed., Bussum, 1919, n. 218.

scituram; 3° obligatio explicite imposita in textu formularum Facultatum, quando de sanatione in radice agitur; 4° modus loquendi Sanctae Sedis in paucis quibusdam documentis.

Ex altera parte, dici poterat: 1° Codicem respicere casum communiorem, sc. sponsorum qui prolem nondum habent 2°; obligationem cautionum respicere per se effectus matrimonii *contrahendi* vel *convalidandi*, seu promissionem respicere effectus futuros; 3° plura responsa Sanctae Sedis mentionem prolis natae nullam fecisse; 4° obligationem impositam in usu facultatis sanationis in radice respicere casum specialem gratiae sanationis; 5° immo Sanctam Sedem non semper, etiam in convalidandis matrimonii, *cautionem* de prole iam nata exegisse, sed tantum obligationem iuris divini inculcasse.

Praeterea dum proles nascitura plene in potestate parentum est eamque baptizandi obligatio stricta exsistat, ubi de prole iam nata agitur plura dubia de exsistentia, ambitu, exsecutione obligationis oriri possunt. Postquam enim usum rationis adepti sunt, pueri *adulti* censentur quod ad receptionem baptismi (c. 746, § 2, 2°) et nisi scientes volentes baptizandi non sunt (c. 752, § 1). Si maiores fuerint, plenum exercitium iurium suorum habent (c. 89) et quod ad educationem in potestate parentum iam non sunt. Immo id iam ante adeptam maioritatem dici potest. Quare non dubium est inter natam et nascituram prolem tantum discrimen intervenire ut facile intelligatur Ecclesiam cautionem de hac in ipsa lege non urgere, etsi obligationem parentum enixe inculcari velit. Cautionem tamen exigit ubi de favore speciali, sc. de sanatione in radice exigitur.

Recte quoque quidam dicebant: Ubi pars acatholica educationem catholicam prolis iam natae promittere vel saltem concedere non vult, certitudo moralis de educatione religiosa prolis nasciturae plerumque non habetur. Quare in quibusdam documentis mentio specialis de prole

iam nata fiebat et cautio in Facultatibus habitualibus exigebatur.

10. — Decreto S. O., d. 16 ian. 1942 quaestio est soluta. Accurate notetur in ipso de sola canonis 1061 significatione agi, nihil autem mutari in formulis Facultatum S. Sedis ad convalidanda vel sananda matrimonia mixta. Quare in usu facultatum harum, earum tenor sedulo erit respiciendus. Si enim conditio validitatis in ipsis expressa non observatur, dispensatio certe fuerit invalida, matrimonium vero illicitum vel nullum pro natura impedimenti.

11. — Si quis censeat interpretationem a S. Officio datam esse restrictivam et textum Codicis e documentis anterioribus et Facultatibus explicatum exegisse cautionem de prole etiam nata, quaeret quid censendum sit de dispensationibus cum sola cautione de prole nascitura datis. Cum admittamus verum de vi canonis 1061 dubium exstitisse, vi can. 15 dispensationes valuisse dicemus.

12. — Miretur forte quis interpretationem hic datam a Commissione pro interpr. Codicis non provenire. Res tamen non nimis difficile explicatur. Agitur de materia quae S. Officio exclusive reservatur. Dispensatio ab impedimento M. R. vel D. C. a Sancta Sede unice per tramitem S. Officii conceditur. Facultates habituales dispensandi super his impedimentis, etiam cum per tramitem S. C. pro Ecclesia Orientali vel de P. F. conceduntur, stylum S. Officii semper servare debent, cuius suprema auctoritate in hac re definiuntur. Addi potest a saeculis Summos Pontifices hanc materiam elaborandam S. Officio commisisse, etsi plura documenta ad eam spectantia a S. C. de P. F. directe emissa videantur. Non ausimus tamen dicere haec argumenta nulli obiectioni esse obnoxia. Obicienti responderi possit factum ostendere quomodo Sancta Sedes auctoritatem Supremae Congregationis S. Officii intelligat.

I. Creusen S. I.

12 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii
Decretum 4 febr. 1942

(*AAS* XXXIV [24 febr. 1942] p. 37)

PROSCRIPTIO LIBRORUM

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt libros qui inscribuntur:

M.-D. CHENU, *Une école de théologie: Le Saulchoir;*

L. CHARLIER, *Essai sur le problème théologique.*

Et sequenti Feria V, die 5 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori Sancti Officii impertita relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 6 Februarii 1942.

I. PEPE, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

Annotationes [1]

Illa novorum in dies inventorum affectatio quam *modernismum* vocitamus etiam inter sacrarum disciplinarum cultores dubitationem perturbationemque invexit haud sane spernendam. Nam scholasticam doctrinam et viam iam a Sancto Thoma eiusque commentatoribus tritam vehementer oppugnari coeptum atque in contemptum habe-

[1] Referimus in sermone latino articulum scriptum a P. Parente; cfr. L'*Osservatore Romano* d. 9-10 febr. 1942.

ri. Neque solum propter eius syllogisticam methodum eiusque rationem in rerum notiones potius inquirendi quam in res ipsas, sed eo praesertim quod ab historiae fide et ab inquisitione critica circa doctrinarum originem deficeret et vitam christianam enervaret ac fere exstingueret: quod aperte patet in scriptis quibus Laberthonnière, Loisy et Le Roy scholasticam et praesertim thomismum impetiverunt.

Encyclica *Pascendi* modernismum profligavit omnino et Summi Pontifices Pium X subsecuti mentes a vero aberrantes instanter ad firmam atque tutam S. Thomae doctrinam revocarunt; indeque factum est ut complures sacrarum disciplinarum magistri sententias iam vetustate robustas novis rationibus ac magis accomodatis ad eas quae nunc sunt necessitates defendere atque tueri studuerint; et propterea novas vias inierint in sacris doctrinis tradendis quae cum veris a Deo revelatis necessario nexu adstringuntur. Quae tamen novitas in re tam salebrosa, nisi qui eam sequuntur sibi attentissime caveant, in malum discrimen conducere potest, ut iam quosdam induxit. Huiusmodi enim in re theologica infortunii exemplum maxime dolendum habemus in recenti decreto Sancti Officii, quo duo libri in Indicem librorum ab Ecclesia prohibitorum sunt relati, qui de theologiae natura in universum tractant et praesertim de eius methodo. Hi nempe sunt acres quidem ac nitidi libelli inscripti, *Une Ecole de Théologie* (Le Saulchoir 1937) a P. Chenu conscriptus, et *Essai sur le problème théologique* (1938) a P. Charlier; qui ambo portendunt in eorum scriptoribus mentem aperte proclivem in novas vias a novitatum sectatoribus in re theologica initas. Nam uterque scriptor ad illud studiorum cenaculum pertinet, cuius laudem exornant illustres doctores Gardeil, Lemonnyer, Mandonnet, et certe sicut isti ad bonum et rectum intendit; sed ambo acri ingenio instructi in res novas proclives iuvenili quadam audacia exuberantes, veterum doctorum semitis postha-

bitis, non exauditam usque modo in campo theologico reformationem inierunt, quae si bonis partibus non caret, inficitur tamen quibusdam sententiis male sonantibus, quae in discrimen eos inducunt a catholica veritate deflectendi.

Eos tamen viros qui duos, de quibus res est, libros attente perlegerint nulla prorsus admiratione afficiet S. Officii decretum, cum bonae notae theologi ut Boyer et Gagnebet non pauca in duobus scriptis iam reprehenderint. Et ut in medias res veniamus: P. Chenu et P. Charlier unusquisque sua via procedit; nemo tamen est qui in eorum scriptis non videat quamdam sententiarum communionem et argumentorum fere cognationem. Nam P. Charlier in sententiis audacter innovandis Patrem Chenu, ut patet, assectatur, immo eo ulterius progreditur; uterque in scholasticam theologiam ridiculum cumulat quod ipsa in inquirendis rerum notionibus immoretur, quod syllogistica methodo utatur, quod ex iis quae a Deo sunt revelata positiones deducat quae nulli solido fundamento consistant, nc ipsi quidem Angelico Doctori parcens. Cum autem legimus duos hosce scriptores praefracte defendere naturam pure analogicam formularum theologicarum quae ab Ecclesiae magisterio proferuntur et adhibentur, earum instabilitatem ac levitatem tueri, cum P. Charlier asseverat nullas prorsus rationabiles demonstrationes a theologis proferri posse et theologorum officium et potestatem non esse tam ratiocinari, quam potius mysteria contemplari atque proponere et in communionem vitae venire cum tota Ecclesia, nonne videmur adsistere cuidam demolitioni rationis humanae, ita ut omnino sit confugiendum ad illum religiosum sensum atque experientiam quam Möhler in res theologicas induxit et modernistae adoptarunt atque exaggerarunt?

Et profecto P. Chenu, illoque magis P. Charlier, circa progressum revelationis a Deo datae et circa doctrinae revelatae propositionem ab Ecclesia factam tales profitentur sententias quae nullo modo admitti possunt.

Tenent enim a Deo revelata inconstantia esse et mutabilia ac perpetuo augeri, non solum in mente christifidelium qui ea apprehendunt, sed etiam in seipsis; ita ut divina revelatio continenter fiat et crescat et una fere eademque res sint divina revelatio et vivens Ecclesia magisterium cuotidie adolescens; tamquam si nondum firmum esset ac constitutum per mortem ultimi apostoli fuisse absolutam ac perpetuo clausam omnem revelationem, et magisterio Ecclesiae concreditam ut sacrum depositum fideliter custodiendum (Conc. Vaticano). Quod sane idem est ac si dicatur haberi mutationem et progressum non solum in mente hominum revelationem accipientium, sed in ipsis doctrinis revelatis, quam certe sententiam in modernistis reprobavit Encyclica *Pascendi*.

Illud praeterea de huiusmodi scriptis est deplorandum ac maxime dolendum quod per ea enervatur ac fere infringitur vis atque virtus probationum, quas theologi ex divina Scriptura et ex traditis ab antiquitate inducunt ad fulciendas et demonstrandas suas in rebus divinis sententias; et id eo magis quod duo scriptores videantur confundere traditionem Ecclesiae tamquam revelationis fontem cum vivente Ecclesiae magisterio quod est dumtaxat revelationis divinae custos et interpres.

Unde patet hanc novam theologiam quam duo scriptores invehunt et propugnant, dum conatur antiquae doctrinae patrimonium infirmare ac perdere, nihil certi ac constantis proponere quod fundamentum praebeat ad construendam novam doctrinam necessitatibus quae nunc sunt magis accommodatam.

Novimus nempe rem esse ingratam et valde periculosam, si theologus in sua via ac ratione sequenda ita pertinaci obstinet animo ut ab ea numquam deflectat; cum optimum sit ac fere necessarium ut novas inquisitionis vias recognoscat et quaecumque in illis sunt bona adhibeat atque usu capiat.

Attamen nulla nova in litteris et artibus proclivitas,

nulla reprehensorum acerbitas, nullum recens in studiis inventum facultatem theologo tribuere potest ea infirmandi atque immutandi, quae tamquam veritates potissimae a Deo sunt revelata et ab Ecclesia interpretata ac definita, quae neque falli neque fallere potest.

Hae sunt enim partes boni theologi depositum immutatum servare et tamen ita proponere ut mentibus, studiis recentioribus imbutis, appareat congruum et aptum; itemque sincere refugere a defectione, a rebellione, ab inconsulto rerum novarum amore et praesertim a cupidine omnia innovandi et pervertendi iis in rebus ubi iam adest firmiter constituta auctoritas cui omnes et singuli subiciantur.

13 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Submissionis notificatio

(26 mart. 1942. Cfr. *L'Osservatore Romano* d. 27 mart. 1942).

P. Dominicus Maria Chenu et P. Ludovicus Charlier laudabiliter se subiecerunt Decreto Sancti Officii diei 4 februarii 1942, quo damnati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt libri: « Une école de théologie, Le Saulchoir » (liber conscriptus a P. D. M. Chenu); « Essai sur le probléme théologique » (liber conscriptus a P. L. Charlier).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 26 martii 1942.

I. Pepe,
Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.

14 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Responsum

(Cfr. Sal Terrae, ian. 1942, p. 54)

Prot. n. 78/41

Ex Aedibus S. Officii d. 5 apr. 1941

Rev.me Dom.: V. R. in litteris ad S. Rituum C. datis veniam petebat ad propagandam devotionem erga « *Amorem misericordem* » in forma ibidem descripta [1]. Remissis documentis ad hanc S. Congr., cuius est huiusmodi quaestiones perpendere, E.mm. ac Rev.mi PP., post maturum rei examen, in conventu plenario feriae IV diei 2 april., decreverunt:

Standum decisis feriae IV diei 5 maii 1937, seu *negative*, iuxta decretum publici iuris factum in Actis Apostolicae Sedis mensis iulii 1937 (XXIX, p. 304), quod vetat novas introducere devotiones et iubet abusus iam exsistentes eradicare.

Occasionem nactus impensos aestimationis meae sensus tibi obtestor.

V. R.ae addictissimus

F. Card. Marchetti Selvaggiani, *Secret.*

Ill.mo Vicario Capitulari Archidioecesis Habanensis.

---

[1] Nova forma, qua proponitur cultus tribuendus SS.mo Redemptori, consistit in Crucifixi effige, cui supponitur permagna hostia. Supra pectus apparet Cor eius... infra vero legitur inscriptio: Amor misericors.

15 - Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

(*AAS* XXXIII [25 aug. 1941] p. 378)

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I — De Praecedentia Metropolitarum

D. An ex Codice (cann. 106 n. 3, 272, 280, 285, 347) Archiepiscopus Metropolita, qua talis, extra suam provinciam praecedat Archiepiscopo non Metropolitae, seu Episcopis suffraganeis carenti.

R. Negative.

II — De archivo secreto

D. Utrum verba canonis 379 § 1: *retento facti brevi summario cum textu sententiae definitivae*, referenda sint tantum ad causas, quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, an etiam ad causas, quarum rei vita cesserint.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 5 mensis Augusti, anno 1941.

M. Card. Massimi, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

Annotationes

I — De Praecedentia Metropolitarum

Provincia ecclesiastica vocatur dicio territorialis, pluribus dioecesibus constans, quarum una habet alias, quae dicuntur suffraganeae, sibi subordinatas [1]. Qui provinciae ecclesiasticae praeest vocatur Metropolita seu Archiepiscopus (can. 272). Haec duo vocabula adhibentur veluti synonima in citato canone; sed alibi Codex aperte distinguit Metropolitas ab Archiepiscopis Suffraganeis carentibus; nomen vero Metropolitae reservatur in Codice exclusive Archiepiscopo, qui praeest provinciae ecclesiasticae

Nunc quaerendum occurrit an Archiepiscopus Metropolita, qua talis, extra suam provinciam praecedat Archiepiscopo non Metropolitae seu Episcopis suffraganeis carenti. Intra propriam provinciam nulla quaestio de praecedentia inter Archiepiscopos exsurgere potest, cum primus locus competat semper Metropolitae proprio.

Dubio proposito ansam praebere potuit norma contenta in n. 3°. canonis 106, qua statuitur inter diversas personas ecclesiasticas, quarum nulla habeat auctoritatem in alias, ius praecedentiae competere personae, quae ad *gradum potiorem* pertinet. Plerique auctores [2] sic explicant haec postrema verba, ut ea de solo *gradu iurisdictionis* intelligere videantur. Iam vero iura de quibus agit c. 274 solis Archiepiscopis Metropolitis competunt, et sic posset quis induci ad asserendum eos in *gradu potiore* esse constitutos, eo quod possideant plura iura quam Archiepiscopi non Metropolitae.

Alii vero aptius explicant quid sibi velit gradus in n. 3°. canonis 106, dicentes hoc vocabulum prae se ferre

---

[1] Wernz-Vidal II, p. 388.
[2] Wernz-Vidal II, p. 45; A Coronata I, p. 191.

aliquam praeeminentiam *tituli* seu *nominis* [3]. Iam vero sub hoc respectu plena adest paritas inter omnes Archiepiscopos, sive Metropolitas sive non Metropolitas. Praeterea Archiepiscopus Suffraganeis carens, perinde ac Metropolita, nulli Superiori, ut praesidi provinciae ecclesiasticae, subicitur.

Statuitur quidem canone 285 debere Archiepiscopum Suffraganeis carentem, praevia Sedis Apostolicae approbatione, eligere aliquem viciniorem Metropolitam cuius Concilio provinciali intersit. Sed ex adimpletione huius obligationis Metropolita electus nullum ius acquirit in Archiepiscopum non Metropolitam, et consequenter norma praecedentiae supra indicata debebit servari etiam in hoc casu. Ceterum Codex, qui loquitur de Archiepiscopis Metropolitis et non Metropolitis, nullam prorsus distinctionem facit inter diversos Archiepiscopos, cum in c. 280 de praecedentia mentionem expresse facit.

II — De Archivo Secreto

Secundum canonem 379 § 1 singulis annis est inspiciendum archivum secretum Curiae episcopalis, ut comburantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint vel quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario cum textu sententiae definitivae.

Nunc per dubium propositum quaeritur utrum postremum incisum, quod hic referimus, debeat applicari necne utrique subiecto de cuius causis criminalibus in materia morum agitur in praecedenti clausula. Fatendum est plerosque auctores nullam de hac re quaestionem movere; in suis enim commentariis transcribunt simpliciter

---

[3] Verm.-Cr. I, n. 230; Michiels, Principia generalia de personis, p. 561.

verba relata Codicis, haud mutato ordine [4]; qua de re difficile erui potest quid de hac re quisque senserit. Non deest tamen qui, ex transpositione praedicti incisi, videatur innuere adesse vi canonis obligationem retinendi breve summarium facti cum textu sententiae definitivae, in omnibus causis criminalibus in materia morum utriusque subiecti antea memorati [5]. Et re vera hic sensus cuilibet legenti verba Codicis quasi sponte occurrit.

Nihilominus, si quis attentius consideret rationes, quae suadent retentionem brevis summarii facti et textus sententiae definitivae, statim inclinabit in restrictiorem sensum, qui de se est etiam possibilis ex legibus grammaticae. Hic sensus restrictus nunc authentico responso Commissionis est confirmatus.

Rationi consentaneum est retinere ea quae spectant ad reos, qui adhuc sunt in vita, ut, si casus ferat, Episcopus semper in promptu habeat quidquid pertinet ad vitam anteactam suorum subditorum. Si vero rei iam vita functi fuerint, incommoda ex retentione documentorum huius generis, haud difficile secutura, quamlibet aliam utilitatem longe superant. Hinc quod Commissio Codicis ita interpretatus sit relatum incisum, ut documenta causarum criminalium in materia morum, quae de reis iam vita functis serventur in archivo secreto Curiae episcopalis, de beant comburi nullo retento summario. Ex his quae diximus sponte sequitur obligatio comburendi singulis annis etiam ipsa summaria brevia post decennium facta, quae spectent ad reos qui decursu praecedentis anni mortui fuerint. Nam si ante decennium absolutum nullum debet fieri breve summarium post mortem alicuius rei, eodem modo nulla debebunt retineri summaria iam facta, postquam rei vita cesserint.

PH. AGUIRRE, S. I.

---

[4] WERNZ-VIDAL II, p. 693; VROMANT, De personis, p. 160; A CORONATA I, p. 508; CHELODI, Ius de personis, p. 334.

[5] VERM.-CR. I, n. 485.

16 - Pontificia Commissio

ad Codicis canones authentice interpretandos

(*AAS* XXXIV [24 febr. 1942] p. 50)

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I — De Vicario cooperatore quoad matrimonia

D. An vicarius cooperator *ratione officii,* de quo in canone 476 § 6, matrimoniis valide assistere possit.

R. Negative.

II — De iure funerandi moniales

D. Utrum parocho an cappellano, ad normam canonis 1230 § 5, competat ius funerandi moniales ab Ordinarii loci iurisdictione non exemptas iuxta canonem 615.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III — De transmissione actorum causae

D. An sub verbis *acta causae,* de quibus in canone 1890, veniant omnia acta iudicialia.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 31 mensis Ianuarii, anno 1942.

M. Card. Massimi, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

Annotationes

I - De vicario cooperatore quoad matrimonia

Quaestio in hoc dubio soluta et diu iam agitata tandem aliquando clauditur ex authentica promulgatione responsi Pontificiae Commissionis. Nam in ephemeridibus vulgata iam erat responsio non promulgata E.mi Praesidis Pont. Commissionis, sub die 13 septembris 1933 data, dubio explicite respondens, cuius tamen valor a plerisque negabatur. Cf. optimam notulam cum schemate disceptationis habitae apud Sartori, *Enchiridion canonicum*, 1938, pag. 246, ubi etiam textus responsi privati supra recensiti habetur. Itaque in praesenti decisione, iuxta communiorem auctorum sententiam, negatur vicario cooperatori *ratione officii* in can. 476 § descripti, facultas valide matrimoniis assistendi. Praeierant huic responso decisiones duae, quarum prima: utrum vicarius cooperator, de quo in can. 476 possit licentiam assistendi matrimonio dare sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, dimissa fuerat a Pont. Commissione, 20 maii 1923 (AAS, 1924, p. 115) per ambiguum responsum: Provisum in citato can. 476 § 6; altera, fundamentum posuit hodiernae decisioni. Etenim quaesitum erat: « An vicarius cooperator, qui ad normam canonis 1096 § 1 a parocho vel loci Ordinario generalem obtinuit delegationem assistendi matrimoniis, alium determinatum sacerdotem subdelegare possit ad assistendum matrimonio determinato ». Cui dubio Pont. Commissio die 28 decembris 1927 respondit: *affirmative* (AAS. 1928, p. 61). Ex hoc responso communiter deducebatur vicarios cooperatores non habere ex iure potestatem matrimoniis assistendi, sed ad hoc explicita omnino indigere delegatione. Hanc delegationem ex ipsomet canone 1096 § 1 generalem esse posse manifestum dicebatur.

Igitur verba canonis 476, § 6 quae sonant: vicarios

cooperatores, nisi aliud expresse caveatur, debere *ratione officii* parochi vicem supplere, eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio, excepta applicatione Missae pro populo, ita intelligi oportet, quod nempe matrimoniis valide assistere nequeant nisi habita delegatione sive generali sive particulari a parocho vel loci Ordinario.

Responsum parva eget explicatione: dicitur *ratione officii* i. e. quatenus supplet vicem parochi. Officium autem hoc nulla gaudet potestate ipso iure eidem adnexa; igitur quaevis potestas, qua polleat, ex alieno iure vicario cooperatori promanat, scilicet aut ex statutis dioecesanis (delegatio a iure) aut ex litteris Ordinarii vel ex ipsius parochi commissione (delegatio ab homine). Inde eruitur vicarium cooperatorem indigere delegatione vel a iure vel ab homine, generali vel particulari ad assistendum valide matrimoniis.

II. - De iure funerandi moniales.

Sensus responsi dati sequens est: ad normam canonis 1230 § 5 ius exsequias peragendi religiosae defunctae, si de religiosis agatur iurisdictioni parochi non obnoxiis, earumdem cappellano competit; inter religiosas autem iurisdictioni parochi non obnoxias sunt omnes moniales sive ab Ordinarii loci iurisdictione exemptas sive non. Igitur ius funerandi moniales omnes sive exemptas ab Ordinario, sive non exemptas, competit uni cappellano, numquam, vero, parocho.

Quod moniales iuxta canonem 615 exemptae pro funeribus ministrum haberent cappellanum, non parochum, recte deducitur ex canone 1230 § 5. Etenim exemptio ab Ordinarii loci iurisdictione a fortiori exemptionem a iurisdictione parochi importat; igitur obtinet plene pro eis praescriptum illius canonis. Nec solum moniales exemptae (exemptio a iure), sed etiam religiosae omnes qui ab Ordinario loci, ad normam canonis 464 § 2, a cura paro-

chi subducuntur habent ministrum funeris proprium cappellanum.

Sed quid in casu quo moniales ab Ordinarii loci iurisdictione non sint exemptae? Casus est illarum monialium quae ex praescripto particulari vel generali alicuius nationis, veluti in Hispania, Belgio et alibi, subduntur Ordinariis loci, non autem Superioribus regularibus. Hodierna responsio vestigia persequens antiquarum resolutionum S. C. C. affirmat ius funerandi in cappellano etiam pro monialibus ab Ordinarii loci iurisdictione non exemptis. Et hoc valet etiam pro iure associandi cadavera ad coemeterium etiam extra septa monasterii positum, si leges civiles prohibeant moniales sepeliri in proprio coemeterio. Ita iam S. C. C. in *Siracusana* 24 februarii 1872 declaravit « pro monialibus stricte dictis, etsi iurisdictioni Ordinarii subiectis, quarum cadavera deferri possunt ad coemeterium modo praedicto (i. e. recto tramite et absque pompa) ab earum cappellanis absque interventu parochi ». Cfr. S. C. Episc. et Regul. in una Pinerolien. 19 aprilis 1907, apud *ASS.* vol. 40, pag. 729.

Responso Comm. Interpret. hodierno fundamentum dant et antiquum ius modo memoratum, et canones Codicis qui ius vetus derogare noluit. Moniales etenim, omnes, etiam Ordinario loci subiectae, habent in iure exemptionem a cura parochi. Id explicite affirmatum habetur in can. 514 § 2, in quo ius iisdem administrandi ultima sacramenta agnoscitur confessario vel illi, qui vices eius gerit. Igitur si illi iurisdictioni funeralia ex regula competunt cui ultima sacramenta competunt, manifestum est funeralia monialium reservari oportere cappellano, qui in materia sepulturae, ad mentem Codicis, vices gerit confessarii.

Ceterum sensu praedicto canonem 1230 § 5 interpretati sunt auctores fere omnes hac de re scribentes. Cfr. postremo Larraona, *Comm. pro religiosis*, 1940, pp. 236-241.

III. De transmissione actorum causae.

Dubio fundamentum praebet collatio canonis 1890 cum canonibus 1644 et 1642. Etenim canon 1642 acta iudicialia distinguit *acta causae* quae meritum quaestionis respiciunt, ex. gr. sententia et cuiusque generis probationes, et *acta processus* quae ad formam procedendi pertinent, ex. gr. citationes, intimationes etc. Iam vero canon 1890 praescribit, interposita appellatione tribunal a quo debere ad iudicem *ad quem* exemplar authenticum *actorum causae* vel ipsamet originalia *acta causae* transmittere ad normam can. 1644.

Igitur an *acta causae* de quibus in canone 1890, sint acta causae descripta in canone 1642 i. e. quae tantum meritum quaestionis respiciunt, aut omnia acta iudicialia, scilicet et acta causae et acta processus, est quaestio.

Commissio Codicis ex perspicuis rationibus alteram dubii partem firmavit. Etenim canon 1890 reclamat canonem 1644; in hoc, autem, canone dicitur: in casu appellationis, actorum exemplaria ad normam can. 1642, 1643 conscripta et in fasciculum religata, cum indice omnium actorum et documentorum et cum testificatione actuarii seu cancellarii de eorum fideli transcriptione et integritate (nisi sint acta originalia), mittantur ad superius tribunal. Legenti hunc canonen patet sermonem ibi fieri de omnibus actis iudicialibus, et non de solis *actis causae* quatenus distinctis ab *actis processus*. Et praxis fori et opportunitas rei id manifeste exigit, ut scilicet acta iudicialia omnia, sive *acta causae* sive *acta processus* mittantur in casu appellationis ad superius tribunal. Etiam in processibus super rato et non consummato matrimonio Regulae servandae (a S. C. de Sacram. promulgatae die 7 maii 1923) id praescribunt in num. 101, ubi legitur: Acta iudicialia, sive *acta causae*, sive *acta processus* (cfr. can. 1642) transmittantur ad H. S. C. in authentico exemplari, cum

indice omnium actorum et documentorum, ad normam can. 1644. Quodsi id in processu administrativo requiritur, multo severius in processu iudiciali exigendum est, ubi iudex alterius instantiae totum iudicium cogitur denuo rimari, et omnes partes processus perscrutari. Tandem minima quaedam necessario transcribenda non esse, ut mittantur, facile admitterem, vr. gr. fides tabellariorum (can. 1722); quorum tamen notitia praestat ut in actis mittendis referatur.

R. Bidagor S. I.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE[1]

I - Ex libris

Sebastianus Frachì, *De condicionibus matrimonio appositis*, Romae (Officium libri catholici), 1941, 18×25 cm., 118 p.

Ortus et fata matrimonii condicionati. De variis condicionibus quae matrimonio apponuntur. De condicione stricte sumpta.

R. Hoornaert, *Qu'est-ce qu'une paroisse?*, Bruges, (Editions de la Vigne), 1942, 11,50×18 cm., 46 p.

La définition de la paroisse, sa mission, sa direction, son organisation. Les oeuvres paroissiales. L'esprit paroissial.

Andreas Russo, *De damnatione ad expensas in iure canonico, speciali relatione habita ad ius civile italicum*, Romae (Officium Libri catholici), 1941, 16,5×24,5 cm., 79 p.

De condemnatione ad expensas iudiciales in iure Romano et de eadem iuxta legislationem ac doctrinam canonicam ante codicem. De vigentis iuris fontibus. De succumbentia in lite et de damnatione ad expensas. De compensatione expensarum. De damnatione ad expensas respectu litis consortium. De lite temeraria et de obligatione sarciendi damna. De expensarum taxatione, pronuntiatione, liquidatione, solutione. De gratuito patrocinio.

Petrus M. Seriski O. F. M. Conv., *Poenae in iure byzantino ecclesiastico ab initiis ad saeculum XI* (1054), Romae (Officium Libri catholici), 1941, 18×25 cm., 146 p.

Notiones generales poenarum canonicarum. De singulis poenis in specie: de depositione, de excommunicatione, de suspensione, de interdicto. De quibusdam delictis in specie: de delictis contra fidem, de delictis contra auctoritates et personas ecclesiasticas. Conclusiones.

---

[1] *Acta summatim relata*, omissa hac vice, includentur in sequenti fasciculo.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

Sacerdotium - Apostolatus - Perfectio.

Inter multiplices quae, e Sacratissimo Corde Iesu, in Ecclesiam benedictiones promanant, illa sine dubio valde aestimanda est qua Sacerdotes, ex omni ordine, ad studium perfectionis propriae vehementer quaerendum, magis magisque inducuntur. Pio X praeeunte [1], non defuere RR. PP. in hac nobilissima competitione promovenda, quibus accesserunt multi ex diversis regionibus episcopi et sacerdotes, qui opera et congregationes religiosas promovere non desinunt, ad viam perfectionis et apostolatus, sacerdotibus omnibus, faciliorem certioremque efficiendam.

Ad haec accedunt scripta quibus scientia magis excolitur et evolvitur in ordine ad doctrinam melius elucidandam. In quo tamen, haud semel, in discussione argumentorum, non nulla identidem proferuntur, apta ad quamdam confusionem suscitandam et, quod deterius esset, ad animos sacerdotum inter se dissociandos.

Quia, ut contingere solet in disputationibus, id a diversa ratione proponendi quaestionem procedere potest, non abs re putamus statum quaestionis ex ipsis Ecclesiae documentis, clare et maxima fidelitate dilucidare; quo disceptandi causa vitata, animi ad sectandam auspicatam perfectionem, quae sine mutua caritate vera esse non poterit, contendere liberius valeant.

---

[1] Exhort. « Haerent animo » 4 aug. 1908; Font. Cod. I. C. vol. III, n. 683.

I. De loco sacerdotis in sacra hierarchia [2]

Ecclesiam constitutam esse hierarchice, seu cum sacro principatu, qui constat ex potestate ordinis, magisterii et iurisdictionis, doctrina est catholica in conciliis, praesertim Tridentino [3] et Vaticano [4], tradita.

a) Prima potestas est potestas ordinis, ad sacrificium Eucharisticum celebrandum et ad peccata remittenda. Ad hoc Christus Dominus *Sacerdotium* instituit quod tradidit « Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio » [5]. Sacerdotium seu hierarchia ordinis, iure divino constat « ex episcopis, presbyteris et ministris » [6].

Haec potestas confertur per sacramentum Ordinis, innititur in charactere indelebili, effectus producit ex opere operato. Per eam sacerdotibus potestas confertur « consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius (D. N. I.) nec non et peccata dimittendi et retinendi » [7].

Singuli homines sacerdotes constituuntur per ordinationem, sed sacerdotium non multiplicatur: *Unum manet Sacerdotium*, nam « in Missa ... idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit... Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa » [8]. Quod, similiter valet de omnibus aliis actionibus sacramentalibus sacerdotum. Sacerdos ergo ubicumque ministerium suum expleat, et erga quoscumque illud expleat, semper minister est Christi, non vero, proprie loquendo, talis vel talis ecclesiae, vel episcopi, ad tales vel tales homines destinatus.

---

[2] Zapelena, De Ecclesia Christi, vol. I, Romae 1940, Th. VI. Wernz-Vidal, Jus Canon. II, n. 48.
[3] Trid. Sess. 23, Dz. n. 960.
[4] Vat. Sess. 4, Dz. n. 1821.
[5] Trid. l. c. Dz. n. 957.
[6] Trid. l. c. can. 6. Dz. n. 966.
[7] Trid. Sess. 23 cap. 1. Dz. n. 957.
[8] Trid. Sess. 22. cap. 2. Dz. n. 940.

« Alter est Christus », cum eius gerat personam secundum illud: « Sicut misit me Pater et ego mitto vos »; eodemque modo ac Magister eius, « Gloriam in excelsis Deo » concinat pacemque « hominibus bonae voluntatis suadeat » [9].

Dignitas, ergo, sicut et potestas, non aliunde promanant, quam ex ipsa ordinatione sacra qua constituuntur ministri Christi « et dispensatores mysteriorum Dei ». Iure enim divino pertinet sacerdos ad sacram ordinis hierarchiam; ad eam pertinet omnis sacerdos in quocumque ordine constitutus, ad quodcumque munus destinatus.

b) Adest praeterea in Ecclesia potestas *magisterii* ad sacrum revelationis depositum *custodiendum, explicandum, tuendum, vi missionis divinae* [10]. Inest permanenter penes Romanum Pontificem et Apostolorum successores seu episcopos.

c) Venit demum potestas *iurisdictionis*, ad regimen sociale promovendum, sive immediate ordinetur ad bonum communitatis sive ad bonum animarum singulorum, vi *missionis* divinae, habetque in Ecclesia duplicem gradum: *episcopatum* nempe et *papatum*.

Presbyteri, vi ordinationis, de ista duplici potestate non participant, sed iam a prima tonsura, qua a laicis segregati, clerici efficiuntur, capacitatem accipiunt recipiendi *missionem* docendi et regendi, quam, ex institutione Ecclesiae, accipiunt ad singulas functiones « canonica missione » [11], vel legitima delegatione.

Itaque, si sub nomine generico « apostolatus » intelligamus Institutionem divinam in Ecclesia hierarchica positam ad munus Christi continuandum, sub eo comprehenditur triplex potestas modo descripta. Plenitudo eius

---

[9] Pius XI, « Ad catholici sacerdotii », 20 dec. 1935.

[10] Leo XIII, « Satis cognitum », 29 iun. 1896 Font. Cod. I. C. vol. III, n. 630. Dum de triplici potestate loquimur, patet nos loqui de potestate quae *de facto* habetur, praescindendo a modo quo potestas magisterii distinguatur a potestate iurisdictionis.

[11] Cod. Iur. Can. can. 108 et 109.

habetur apud Romanùm Pontificem, qui, post legitimam electionem et acceptationem, supposita episcopali consecratione, ipsomet iure divino, constituitur « Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum pater et doctor. Unde vere Ipse est Episcopus episcoporum et fidelium cum potestate *ordinaria* et *immediata* sive *in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles* [12]. Eamdem participant Episcopi qui per orbem terrarum constituuntur a Romano Pontifice *ex divina quoque institutione*, « tamquam veri pastores (qui) assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt » [13].

Sacerdotes vero, ex divina institutione vocantur ad munus consecrandi et administrandi Corpus Domini nostri Iesuchristi; ad reliqua autem apostolatus munera omnia, non nisi per *missionem* acceptam ab Ecclesia, quae, pro opportunitate et necessitate, diversimode in decursu saeculorum, usa est opera suorum sacerdotum.

Quaenam autem fuerit intentio constans Ecclesiae, et quaenam sit, etiam in praesentiarum, nobis patet *primo*, ex ipso Pontificali Romano in quo ordinandi sacerdotes sic a Pontifice admonentur: « Sacerdotem enim oportet *offerre, benedicere, praeesse, praedicare*, et *baptizare* » [14]. Patet secundo ex doctrina RR. PP. qui, nostra aetate, a Spiritu Sancto, ad Ecclesiam regendam suscitati sunt: Pii X nota sunt documenta [15]: « *Quicumque* enim sacerdotio potitur, eo non sibi tantum, sed aliis potitur. « *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum* » [16] Pius XI repetit: « Minister Christi sacerdos; divini igitur Redemptoris quasi instrumentum est, ut mirabilem eius operam quae superna efficacitate pollens universumque hominum convictum redintegrans, eum ad excellentiorem cultum tra-

---

[12] Conc. Vat. Sess. 4 cap. 3, Dz. n. 1831.
[13] Con. Vat. Sess. c. Dz. n. 1828.
[14] Cf.Pont. Rom. De Ordinat. Presbyt.
[15] Cf. Enchiridion clericorum, n. 711-918.
[16] « Haerent animo », l. c. pg. 737-738.

duxit, per tempora exequi valeat » [17]. Sanctissimus denique Papa noster Pius XII, sic candidatos ad sacerdotium alloquitur: « ecce catholici sacerdotii assignatum propositum: solem esse supernaturalem qui hominum mentes veritate Christi illustret, eorumque animos inflammet amore Christi » [18].

Unde apparet sacerdotes omnes ab Ecclesia ad apostolatum integralem esse destinatos.

Ergo secundum mentem Ecclesiae hodie, nulla interposita distinctione inter sacerdotes sive religiosos, sive saeculares, omnes cuicumque ministerio operam dent: *a*) non sibi sed aliis ut ministri Christi sacerdotio donantur. *b*) participant de universa Ecclesiae Christi missione. *c*) Operam suam praestant sub Romano Pontifice, qui *Ordinarius est pastor,* tum universalis Ecclesiae, tum Ecclesiae Romanae, tum *singularum ecclesiarum;* sub Episcopis qui ordinarii sunt pastores singularum ecclesiarum, sub iis superioribus vel praelatis a Romano Pontifice constitutis.

Unde sequitur: 1° non recte de aliquo sacerdote dici potest, *sibi* vivere aut *sibi* primo consulere.

2°. Non recte dignitas sacerdotii, et perfectio eius aliunde petitur quam ab unione cum Christo et Ecclesia; quae, evidenter, una eademque est apud omnes sacerdotes, superans dignitate quemlibet alium titulum.

3°. Non recte asseritur sacerdotalem dignitatem pendere ex maiori vel minori coniunctione cum Episcopo aliquo dioecesano. Si essentia sacerdotii prospiciatur, hoc falsum est: potestas enim praecipua et fons dignitatis eximius, potestas est in Corpus Christi Eucharistici. Potestatem vero in Corpus Christi mystici accipit sacerdos quoad ipsum exercitium, non solum ab Episcopis dioecesanis, sed primo et praesertim ab Episcopo universalis Ecclesiae, qui et directe eam concedit; et determinat per

---

[17] « Ad catholici sacerdotii » (Period. (1935) pg. 154.

[18] Sermo die 24 iunii 1939 ad alumnos seminariorum utriusque cleri, habitus. *A.A.S.* vol. XXXI, pg. 246.

leges universales quomodo et pro quibus ministeriis accipienda sit in singulis casibus.

4°. Item minus recte aliqui sacerdotes prae aliis in hierarchia collocantur. Si de hierarchia ordinis sermo sit, patet omnes eodem modo ad eam pertinere. Si de hierarchia iurisdictionis sermo sit, patet eam, iure divino, constare nonnisi Pontificatu supremo et episcopatu subordinato (can. 108 § 3). Omnes presbyteri, in actu primo, eadem pollent capacitate ut cooptentur in omnibus gradibus iurisdictionis; cooptantur vero, non tantum opera episcoporum dioecesis vel per collationem officii curam animarum habentis, sed etiam per aliorum officiorum vel missionum susceptionem tum ex ipso iure, tum ab ipso Romano Pontifice, tum ab alio legitimo superiore commissorum.

Breviter: sub adspectu sacerdoti nullum est discrimen inter diversos ordines sacerdotum sive religiosi sint sive saeculares, sive uni sive alii vacent ministerio, sed perfecta aequalitas, cui respondeat oportet perfecta unio in Christo Capite.

II. - De exercitatione apostolatus.

Quamvis omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, quia non omnia possumus omnes, necessaria est ministeriorum distributio, ut sapienter Corporis Christi aedificatio procedat.

Haec autem ad Supremum Pastorem Ecclesiae pertinet, ipso iure divino [19], qui officium suum implet tum per leges permanentes, tum per *missiones* particulares, pro particularibus negotiis.

Si ad disciplinam Ecclesiae vigentem attendamus, primo nobis occurrit totius Orbis distributio territorialis in provincias ecclesiasticas, dioeceses, abbatias vel prae-

[19] Conc. Trid. Sess. 23 cap. 4. Dz. 960. Conc. Vat. Sess. 4. Cap. 1 et 3. Dz. 1822-1826.

laturas nullius, vicariatus et praefecturas apostolicas [20]. Dioecesibus praeficiuntur Episcopi, territoria quae erecta non sunt in dioeceses reguntur per Vicarios et Praefectos Apostolicos. Romanus Pontifex praeterea praesens fit per suos Legatos, Nuntios et Delegatos Apostolicos in his territoriis [21]. Territorium dioecesis dividendum adhuc est in paroecias cui presbyter ut pastor ordinarius animarum est praeficiendus; vicariatus et praefecturae apostolicae, pari modo, ubi commode fieri possit, dividuntur [22].

Presbyteri omnes ad apostolatum exercendum, sive sub Romano Pontifice, sive sub Episcopo dioecesano, vel Praelato *nullius,* sive sub Vicario vel Praefecto Apostolico, disponendi et distribuendi sunt. Munera in iure considerata, ut evidenter rem vel leviter consideranti apparet, non reducuntur ad ea quae paroecialia vel quasi paroecialia sunt, sed multa alia existunt aequalis ponderis et momenti, puta munera legatorum, Canonicorum, magistrorum clericorum, missionariorum, etc. Neque alia magis alia minus hierarchica dici possunt cum omnia vel sub Episcopis vel sub Romano Pontifice Ipsiusve delegatis exercenda sint.

Sacerdotes omnes apti sunt in actu primo ad omnia munera et de facto, salvis his quae componi non possunt cum statu proprio ut munera quae dignitatem, praesertim secum ferunt, aeque exerceri possunt a sacerdotibus saecularibus ac a sacerdotibus religiosis.

Dum enim Ecclesia statuit « quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi vel alicui religioni adscriptum » [23], ostendit necessitatem incorporationis omnium Sacerdotum intuitu servitii Ecclesiae, in concreto, sive dioecesi sive instituto alicui religioso.

Quare, neque sub hoc adspectu apostolatus hierarchici, discrimen aliquod substantiale adest inter diversa

---

[20] Cod. I. Can. can. 215.
[21] Can. 265 et seq.
[22] Can. 216 sqq.
[23] Can. 111, 115, 936.

munera sacerdotalia, diversasque species sacerdotum. Omnes, sive saeculares sive religiosi, participant necessario in Hierarchia iurisdictionis cum magisterio eo quod, ad servitium Ecclesiae, adscribuntur alicui dioecesi vel religioni.

Ordines enim et congregationes religiosae clericales, ratione munerum sacerdotalium Instituta ecclesiastica constituunt quae, vel ab Episcopo alicuius dioecesis, vel immediate ab Ipso Romano Pontifice dependent. Absurdum enim est putare magis ad Hierarchiam alium quam alium accedere, vel potiori iure aut titulo ministeriis sacris vacare.

Inter ipsas institutiones sacerdotales gradationem quandam adesse, facile perspicitur; difficillime tamen et imprudenter quis institutum aliquod contemneret quod ab Ecclesia dignum habitum est quod a sacerdotibus suscipiatur. Potius cum Pontificali Romano dicamus: « *Hac certe mira varietate Ecclesia sancta circumdatur, ornatur et regitur... et ex multis, et alternae dignitatis membris unum Corpus Christi efficitur* » [24]. Et cum S. Paulo miram Spiritus Sancti dispositionem veneremur, a quo « *divisiones gratiarum et ministrationum sunt* » [25].

« *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult* » [26].

Pulchrum sanctumque est vacare curae animarum in ministerio paroeciali, ex. c.; at non certo minoris pulchritudinis et momenti est operam dare sacerdotibus instituendis; « re enim ipsa nihil sive summo Dei numini acceptius, sive catholicae Ecclesiae honestius, sive denique hominum animis muneri dari salubrius potest, quam sancti Sacerdotes » [27]. Pulchrum, est et necessarium conservandae

---

[24] Pont. Rom. De ordinatione Presbyteri.
[25] I Cor. 12, 4-6.
[26] 1. Cor. 12, 11.
[27] Pius XI, « Ad catholici sacerd. », Period. (1935) pg. 186.

fidei incumbere in ministeriis propriis uniuscuiusque dioecesis, at non minus necessarium, etiam iis ministeriis operam dare quae plurimis dioecesibus et regionibus simul magnopere inserviunt. Excolendi sunt fideles, sed promovendae sunt inter infideles missiones. Iam vero historia testatur hoc tam magnum opus sustineri praesertim per illa instituta missionaria quae mire floruerunt et florent in Ecclesia et maxima ex parte a sacerdotibus religiosis sustentantur.

Quae cum ita sint concludendum est: dignitas et praestantia Sacerdotii non ex munere, nec ex humana aestimatione, per se repetenda est, sed ex ipso charactere indelebili quo sacerdotio Christi Domini incorporatur, ut sit unus cum Christo ad Patris gloriam quaerendam ad salutem hominibus procurandam.

Munera enim ecclesiastica dignitatem primam ex hoc accipiunt quod sunt sacerdotalia; et generatim, ex eo quod aliquam continent participationem ministerii Ecclesiae sponsae Christi. Si qua ergo gradatio adest aestimanda est ex maiori assimilatione accidentali ad formam apostolatus D. N. Jesuchristi. Obliviscendum tamen non est sacerdotem qui Sacrificium Missae offert et Christo coniungitur in oratione et sacrificio sui ipsius, magnum exercere in Ecclesia sacerdotale munus [28].

III. - Sacerdotium et perfectio [29].

Si de sacerdote agatur, documenta Ecclesiae amant loqui de vitae *sanctitate*. Codex ait: « Clerici debent *sanctiorem* prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere... » can. 124. Pius X ait: « Exordium capimus, ut vos

---

[28] Pius XII, Sermo ad alumnos Sem. cit. (*A.A.S.* 1939, pg. 249).

[29] Cf. D.T.C. vol. 27 col. 841-845. Hertling, Theologia Ascetica, n. 12 seq.

nimirum ad eam *vitae sanctimoniam*, quam dignitatis gradus postulat, excitemus »[30]. Et loquitur de « *sanctitate*, qua sacerdotem carere sit nefas »[31] Pius tamen XI promiscue loquitur de « *perfectione* »[32] de « *sanctimonia* »[33] de « *bonitate* »[34]. Sed sensus practice idem est quamvis conceptu sanctitas et perfectio non idem significent. In omnibus documentis agitur de illa *morum integritate*, « *mentis excelsitate* », « *animi munditia* » « quae sacerdotalis muneris maiestati sanctitatique *respondeat* »[35].

Sanctitas ergo vitae quam sacerdotium appellat alia non est quam sanctitas christiana, in gradu superiori quam apud fideles: « *sanctiorem prae laicis* », ait Codex. Pulchre a Pio X in quo consistat exponitur[36], ubi periculosissimum errorem refellit eorum qui putant, quin etiam et profitentur, « sacerdotis laudem in eo collocandam omnino esse, ut sese aliorum utilitatibus totum impendat: quamobrem demissa fere illarum cura virtutum, quibus homo perficitur ipse (eas ideo vocitant *passivas*) aiunt vim omnem atque studium esse conferenda ut *activas* virtutes quis excolat, exerceatque » (ibd.) Contrarium omnino verum est. Nam, « magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est... iam vero haud mutatur Christus progredientibus saeculis, sed idem *heri, et hodie: ipse et in saecula* ». (Hebr. 13, 8). Ad omnium igitur aetatum hominum pertinet illud: « discite a me quia mitis sum et humilis corde » (Mth. 11, 29) nulloque non tempore Christus nobis exhibetur *factus obediens usque ad mortem*; (Phil. 2, 8) valetque quavis aetate Apostoli sententia: *Qui... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (Gal. 5, 24) ». Quibus si accedat illa, quae forma est om-

---

[30] « Haerent animo », Font. Cod. III, pg. 737.
[31] ibd. pg. 740.
[32] « Ad catholici sacerdotii », Period. pg. 162.
[33] ibd.
[34] ibd. pg. 163.
[35] Pius XI, l. c. pg. 162.
[36] Pius X, « Haerent animo », o. c. pg. 740.

nium virtutum, caritas scilicet, et quidem in gradu excellentiori qui est apostolatus, habemus synthesim perfectionis christianae, sacerdoti necessariae [37]..

Unde apparet: sanctitas personae sacerdotis omnino requiritur et exigitur, ut consequentia moralis, imponens verum officium eam habendi, proveniens ex ipsa susceptione sacerdotii. Lex enim vitae moralis est ut elevationi, per assimilationem ad Deum in ordine essendi, correspondat similis elevatio moralis in ordine agendi. Hanc consequentiam, pro sacerdotibus perpetuo invocat Ecclesia eos ad logicam spiritualem exhortando.

Iterum audiamus Pium X. « Est igitur nobis persona Christi gerenda: legatio vero ab ipso data sic obeunda, ut quo ille intendit eo nos pertingamus. Quoniam vero *idem velle idem nolle ea demum forma amicitiae est;* tenemur, ut amici, hoc sentire in nobis, quod et in Christo Iesu, qui est *sanctus, innocens, impollutus* (Heb. 7, 26) [38].

Ordinatio sacerdotalis se habet ergo: 1° Ut titulus exigitivus sanctitatis, imponens homini sacerdoti vitae sanctitatem correspondentem unioni intimae quam habet cum persona et ministerio Redemptoris.

Sed non solum; continet, 2°, titulum validissimum ad omnes gratias impetrandas quae nobis sunt necessariae ad tantam sanctitatem sectandam.

Gratia tamen exigit nostram cooperationem sine qua fructum non affert.

Ergo sanctitas sacerdotalis duobus elementis componitur: gratia Dei, cooperatione hominis, sicut et sanctitas cuiuslibet christiani.

Gratia Dei nunquam deerit: habemus ad eam impetrandam titulum permanentem in charactere sacerdotali indelebili.

Cooperatio nostra tota pendet a nostra fragili et in-

---

[37] Vide, quae sequuntur apud Pium X ex Leone XIII. Vide Pium XII, Sermone cit.

[38] O. c. pg. 738.

constanti libertate. Ideo nullo non tempore pia mater Ecclesia non destitit media quaerere et procurare, tam fidelibus quam sacerdotibus, quibus cooperatio nostra ad gratiam tum baptismatis tum sacerdotii efficaciter suscitaretur et ab inconstantia tueretur.

Sacrae autem religiones, in quibus in communi, religionis votis interpositis, christifideles, per consiliorum evangelicorum exercitationem, ad perfectionem contendunt, hunc habent communem finem, hanc habent communem causam: occurrere exigentiis et conditioni hominum, eis procurando scholam simul et palaestram ad perfectionem christianam efficaciter acquirendam, et in ea progrediendum.

Non quod perfectio christiana tantum in vita religiosa acquiri possit; omnes vitae christianae status apti sunt ut in ipsis perfectio acquiratur; sed quod, status religiosus ab Ecclesia proponitur ut optima via ad perfectionem christianam acquirendam ex ipsius Evangelii fontibus manans [39].

IV. Vita religiosa et sacerdotium.

Si ad invicem comparentur, status sacerdotalis et status religiosus, cavendum est ne, ex non recta terminorum intelligentia, generentur confusiones, quibus non raro polemicae disputationes sustentantur. Unde si de praestantia loquamur, comparatio possibilis non est: agitur de terminis diversis. Sacerdotium respicit primario incorporationem ad Christum per participationes Ipsius *Potestatis*: vita religiosa, accessum ad Christum per *imitationem* Ipsius bonitatis.

Sub adspectu dignitatis, evidenter, nihil excellentius in mundo sacerdotio. Sacerdotium continet maximam elevationem christiani hominis.

---

[39] Cf. Documenta non pauca in Hertling, S. I. Theologia Ascetica, Romae 1939, n. 54 seq.

Si, autem, in ipso sacerdotio comparentur sacerdos religiosus et non religiosus, tunc quaeritur habitudo seu relatio vitae religiosae ad sacerdotium ipsum. In quo, sequentia constare certo videntur, ex documentis Ecclesiae et doctrinae communis.

1°. Sacerdos non religiosus passim vocatur in Codice I. C. « *saecularis* »[40]. Denominatio haec respicit praecise relationem ad vitam religiosam: saeculares sunt qui professionem religiosam non emiserunt; praeterea incardinati sunt, ratione servitii Ecclesiae, alicui dioecesi: omnes ergo sacerdotes saeculares sunt etiam dioecesani.

2°. Sacerdotes religiosi dicuntur qui, ex professione religiosa ad aliquam pertinent Religionem ab Ecclesia approbatam. In hoc differunt, *per se*, a saecularibus; et *per se* in hoc tantum. Nam nulla est realis vel iuridica difficultas in eo quod sacerdotes religiosi incardinati sint alicui dioecesi. Possunt esse Congregationes religiosae stricte dioecesanae ut patet ex can. 492. Propria dioecesis non amittitur nisi per professionem perpetuam sive sollemnem sive simplicem, si ius commune consideretur[41].

Plurimi, praeterea, religiosi sacerdotes a saecularibus differunt ratione instituti cui mancipantur ad sacerdotalia exercenda ministeria. Dum saeculares nonnisi servitio alicuius dioecesis mancipantur de iure, religiosi mancipantur ministeriis quae plurimas dioeceses, vel universalem Ecclesiam respiciunt. Sed de hoc diximus in parte secunda differentiam aliquam essentialem non esse quaerendam, sed aequo modo omnes pertinere ad Hierarchiam et incumbere valde aestimandis officiis apostolatus. Si quod autem discrimen accidentale adest, quaerendum est sive in *necessitate*, sive in *universalitate* ministerii quibus diversa instituta operam dant; sive in *totalitate* effectiva consecrationis ad bonum et aedificationem Ecclesiae.

3°. Ratione perfectionis, omnes sacerdotes, tam sae-

---

[40] Cf. Can. 126, 131, etc.
[41] Cf. Can. 585.

culares quam religiosi, tenentur ad sibi procurandam illam perfectionem correspondentem elevationi sacerdotalis characteris.

In saecularibus titulus est ipsa ordinis susceptio, quae merito considerari potest ut quaedam sollemnis perfectionis professio. Quare non est admittenda illa opinio secundum quam sacerdos saecularis non tenetur ad perfectionem sectandam.

In religiosis titulus est duplex: susceptio sacerdotii et professio religiosa. Susceptio sacerdotii importat obligationem sibi procurandi determinatum gradum perfectionis ut dispositionem necessariam ad ordines suscipiendos, et se conservandi, in statu perfectionis, in eo gradu quem requirunt et sacerdotium et munera sacerdotalia exercenda.

Explicite, tamen Ecclesia sacerdotibus saecularibus non imponit ex consiliis evangelicis nisi caelibatum, ad reliqua obligatio oriri potest *implicite,* quatenus observantia est necessaria ad sese in perfectione sacerdotali conservandum.

Paupertas actualis ab eo non exigitur; obedientia erga episcopum exigitur sed tantum, in ordine ad officia ecclesiastica implenda, et ad obligationum clericorum observantiam. Vita communis suadetur, non exigitur [42].

4°. Sacerdos religiosus amplectitur omnia consilia evangelica et ad ea observanda religionis voto se obligat quod secumfert obligationem tendendi constanter in perfectionem. Haec observantia, in ordine ad perfectionem christianam maioris est meriti, efficatiae, et aestimationis quam eadem observantia sine votis [43].

5°. Hac de causa Ecclesia approbat et tuetur, propo-

---

[42] Can. 134.

[43] Cfr. ut antiquiora omittamus, damnationem *americanismi* a Leone XIII factam, litteris « Testem benevolentiae ». 22 ian. 1899, (*A.S.S.* v. 31, pg. 474). GUIBERT, Documenta ecclesiastica christianae perfectionis studium spectantia, n. 572.

situm sacerdotis transeuntis ex saeculari in religiosam vitam [44].

Sacerdos qui vitam religiosam amplectitur, dum nihil detrahit conditioni sacerdotali, sub adspectu deditionis ad servitium Ecclesiae, immo et aliquando etiam sub hoc adspectu et aliquid addit, sacerdotio procurat optimum medium ad perfectionem personalem conservandam et augendam, ex qua, necessario, efficacia in omnibus ministeriis sacerdotalibus maior consequetur: « Unum nimirum est, ait Pius X, quod hominem cum Deo coniungat, unum quod gratum efficiat, atque non indignum eius misericordiae administrum: vitae morumque sanctimonia: Haec, quae demum est supereminens Iesuchristi scientia, sacerdoti si desit desunt ei omnia » [45].

Unde sicut et vita religiosa optima praeparatio est ad sacerdotium suscipiendum, optimum medium quoque est ad ipsius puritatem conservandam, et fecunditatem augendam.

V. CONCLUSIO.

Ergo sacerdos religiosus et saecularis differunt tantum in hoc: saecularis non se ligat sub voto salva castitate ad consilia evangelica, quae optimum medium perfectionis constituunt, servanda: quae a sacerdote religioso, praeter omnia alia media, publice suscipiuntur. Discrimen ergo non versatur, nec circa apostolatum hierarchicum, nec circa obligationem perfectionis sectandae; sed circa titulum et vinculum quibus ad perfectionem sectandam adiguntur, et circa media quibus ditantur ad viam perfectionis calcandam. Quae cum ita sint, cum Sacerdotibus dioecesanis pulcherrima maneat explenda missio, magna cum laetitia salutamus illas institutiones, in hunc finem susci-

---

[44] Cfr. C. I. C. Can. 542, 544 § 4, Bened. XIV, ep. Ex quo, 14 ian. 1747. (Font. Cod. I. C. vol. II, n. 374.

[45] « Haerent animo », l. c.

tatas ut ei, beneficia vitae religiosae procurent, manente consecratione ad servitium dioecesis.

Demum vero, modo sacerdotium non subordinetur aliis considerationibus vel finibus sed omnia in ipsum dirigantur et ipsi subordinentur, memores quod in Ecclesia, matre fecundissima sanctitatis, omnibus accedere ad apicem perfectionis, in omni ordine et statu possibile est, illud teneamus Sancti Pauli dictum: « *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* » [46].

U. López S. J.

De iuridica status religiosi evolutione brevis synopsis historica.

(*Continuatur* *)

Saec. IX et X.

Zelus religiosus et potestas Caroli magni et eius primorum successorum progressui vel reformationi vitae religiosae per primam partem saec. IX[1] satis profuerunt. Praesertim in imperio Francorum synodi diocesanae canones de regula servanda, de iuribus episcoporum, de cura animarum gerenda, etc. tulerunt. Per saec. IX, ad multa monasteria extenduntur vel in multis confirmantur libertas electionis Abbatis et libera administratio temporalis monasterii. Hinc limitatur vel fere tollitur ius visitationis Ordinarii. Haec privilegia saepe finem habent tuendi monasteria contra abusus Abbatum commendatariorum vel exactiones quorundam episcoporum.

Pergit evolutio instituti « beneficii » et « ecclesiae privatae ». Quando episcopus est ipse dominus « monasterii

[46] I, Cor. 7, 7.

* Cfr. Periodica XXXI, 143.

proprii » seu « privati », eius auctoritas ad omnia extenditur; contra, si monasterium sit alius, multum restringitur potestas episcopi. Conc. Nicaenum II, 787, iam Abbatibus presbyteris et benedictis concedebat ut tonsuram et ordinem lectoris suis monachis conferrent. Conc. Romanum, 827, c. 27 praescribebat ut Abbates sacerdotes essent; nihilominus etiam postea Abbates laici eligebantur. — Conc. Parisien. VI, 829, c. 2 agit de potestate quam habebant monachi audiendi confessiones intra saepta monasterii.

Synodus Aquisgranen., 817 (H. L., IV, 9 ss.; Msi, XIV, 147) iussit induci Regulam Chrodegangi Meten. († 766) in Capitula cathedralia et collegialia et (quod iam iusserat Conc. Moguntin., 813) regulam S. Benedicti in omnia monasteria. Hoc factum est sub influxu S. Benedicti Ananien. (750-821) qui *Codicem Regularum* (PL 103 384) et *Concordiam Regularum* (PL 103 714) scripsit. Idem praescripserunt Conc. Rhemense II (874), Turonen. III (813) Cabillonen. II (813), etc.[23].

Fundatio Abbatiae Cluniacensis (910) quae ab initio, sic volente eius fundatore laico, Sanctae Sedi immediate subiecta est, non tantum in reformationem vitae monasticae maxime influit, sed in evolutionem exemptionis. Gregorius V (996-999) ei permisit ut quemlibet Episcopum adiret pro ordinandis suis monachis, ecclesia consecranda, Abbate benedicendo. Sed exemptio communis Abbatiarum saec. XI tantum orta est.

---

[23] Cfr. Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiae disciplina.* P. I, lib. III. — Poeshl, A., *o. c.* — De Buck, S. I., *De exemptione Regularium,* Bruxellis, 1869. — Hertling, L., S. I., *o. c.*

* * *

Ab exeunte saec. X ad Concil. Lateranse IV (1215).

Hoc temporis spatium summi momenti est pro evolutione vitae religiosae et eius legislationis.

Saec. XI° multa Capitula collegialia fundantur, in quorum non paucis « canonici » aliquam professionem emittunt, sed Regulam S. Benedicti, utpote eorum vitae indoli non aptam, non sequuntur. Versus finem huius saeculi sic dictam « Regulam S. Augustini » suscipiunt. Conc. Romanum, a. 1059, iubet eos qui vitam communem ducunt et canonice vivere volunt, privato dominio bonorum exui. Ita praeformantur « canonici regulares » sensu verbi hodierno. Mox « Congregationes » inter eos orientur, dein « Ordines » canonicorum regularium instituentur.

(Canonici S. Crucis, in Italia, a. 1198; Ordo Praemonstratensium, a. 1119-1120)

Eodem tempore condi coeperunt magnae Benedictinorum Congregationes, in quibus Abbates singulorum monasteriorum Abbati supremo plus minusve subiciuntur. Sic, septem post S. Pakhomium saeculis, Congregatio Cluniacensis, omnium celeberrima [24], verum Ordinem cum regimine supremo perfecto constituit (S. Oddo, Abbas a 924, † 942). Citandus quoque Ordo Cisterciensium, conditus a. 1098.

Initio saec. XI[1] in pluribus monasteriis, famulis regula quaedam imponebatur, qua ad vitam aliquam religiosam accedebant. In Ordine Vallis Umbrosae, cond. a. 1038, prima vice verbum « Conversi » religiosos laicos, operibus manualibus addictos, designat [25]. Sic quoque perficitur duplex monachorum classis in eodem monasterio.

---

[24] Letonnellier, G., *L'Abbaye exempte de Cluny et le St-Siège*, Paris, 1923.

[25] Heimbucher, I, 204 ss.

Saec. XII, occasione « Cruciatarum », oriuntur Ordines militares. Ordo S. Ioannis Hierosolym. confirmatur a Paschali II, a. 1113; Templariorum, 1118-1128, etc.

A saec. XII quoque inveniuntur plures piae familiae seu associationes virorum et mulierum qui curae infirmorum incumbunt. Ex iis postea veri Ordines orientur, sed iam hoc saeculo et sequente forte haberi possunt quaedam ex illis associationibus tamquam prima specimina Societatum imitantium vitam religiosam sine votis publicis, immo Congregationum religiosarum [26]. Medio saec. XII in nosocomiis S. Ioannis Hierosolymit., ante conditum Ordinem, « fratres » tria religionis vota emittunt. Ita quoque in nosocomio Aubracensi, e statutis a. 1162 datis [27].

* * *

De evolutione iuris canonici de Religiosis hoc tempore haec notanda sunt.

Approbatio vel confirmatio S. Sedis pro fundatione novi Ordinis vel Congregationis monasticae postulatur. Quaedam Concilia provincialia vel Synodi de approbandis Statutis religiosis sollicita sunt. — Exemptio quae saeculis VIII et IX praeclaris quibusdam monasteriis concessa erat, iam toti Congregationi monasticae vel Ordini conceditur. — In privilegiis quae Abbatiis conceduntur, invenitur iurisdictio plena in famulos, quod ad confessionem, communionem paschalem, sepulturam.

Non desunt tamen privilegia pontificia quae episcopis aliquem interventum in electione vel confirmatione electionis Abbatum vel Abbatissarum concedunt [28]. De benedictione Abbatum leges tulerunt vel privilegia concesserunt RR. Pontifices, ne ex ea Ordinarius loci iurisdictionem in monasterium sibi vindicaret.

---

[26] Heimbucher, I, 611 ss.

[27] Le Grand, L., *Les Maisons-Dieu, leurs statuts au XIII^e siècle.* — *Rev. quest. hist.*, 60, 1896, 102 ss. — *ibid.*, 63, 1898, 105.

[28] Schreiber, G., *Kurie und Kloster im XII Jahrhundert*, I, 102 ss.; II, 280, ss.

Saeculis XI et XII, monasteria, sicut domini laici, non raro ecclesias proprias (*Eigenkirchen*) fundant aut dono vel privilegiis acquirunt. Saec. XII quidam Ordinarii monasterio iura paroecialia in illis ecclesiis concedunt. RR. Pontifices id ante saec. XIII nondum videntur fecisse [29].

Hoc quoque saeculo coadunari coeperunt Capitula generalia, quae Sancta Sedes approbat vel confirmat (c. 7 X, XIII 35. — Innocentius II, a. 1134. — J. L. 7654. — a. 1138 pro Augustinianis. — J. L., 7913).

Privilegia pontificia agunt quoque de admissione novitiorum, de apostatis a religione, de iuribus religiosorum v. g. in electione Abbatis, de Regula servanda, etc. A prima parte saec. XII°, Abbas Cluniacensis visitationem ad Limina facere debet [30].

Licet ergo concludere ius ecclesiasticum iam fere omnia status religiosi et vitae religiosae elementa sive legibus universalibus sive sat firmis privilegiorum formulis regere. Ita praeformata est legislatio canonica quae novis Ordinibus applicabitur.

Eodem tempore ius de Religiosis in Collectionibus canonicis maiore ordine digestum est. In Decreto Gratiani († 1140*) saltem undecim quaestiones integrae illud referunt et elucidant, ne mentionem capitum faciamus quae in prima vel secunda parte variis locis inveniuntur. Tres primae Compilationes antiquae (I^{a} 1187-1191; III^{a}, 1210; II^{a}, 1210-1215) iam plerosque titulos de iure Religiosorum continent quae in Decretalibus postea recipientur.

Hanc temporis divisionem ad annum 1215 protraximus, quo Concilium Lateranense IV. c. 13 novas religiones condi prohibere conatum est [31].

---

[29] Schreiber, G., *o. c.*, II, 33 ss.

[30] Cfr. Letonnellier, G., L'*Abbaye de Cluny*, 64.

[31] Steiger, I., S. I., *De vitae religiosae propagatione et diffusione*, 68-86. — Hilpisch, *Die Geschichte des benediktinischen Moenchtums*, Freiburg, 1929. — Rothenhaueser, M., O. S. B. et Herwegen, Ibd., O. S. B., *Studien zur benediktinischen*

* * *

Ab initio saec. XIII ad finem saec. XVI

A Concilio Lateranen. IV (1215) ad obitum Clementis VIII (1605) apte tres temporis divisiones in nostra materia proponi possunt: 1ª usque ad Decretales Ioannis XXII de paupertate franciscana (1215-1322), in qua fundatio Ordinum mendicantium et legislatio nova quam eorum natura et actio provocant, considerantur; 2ª Saec. XIV et XV in quibus potius inclinat fervor vitae religiosae, etsi reformatio suos asseclas habet; notatur evolutio Tertii Ordinis et Confraternitatum in Instituta religiosa; 3º Saec. XVI, illustre fundatione Clericorum Regularium, sessione reformatoria de Regularibus in Concilio Tridentino et opere reformatorio S. Pii V et Clementis VIII.

I. ab anno 1215 ad a. 1322.

Ipso tempore quo Concilium Lateranen. IV, c. 13 (1215) (c. 9, X, III, 36), decernebat: « ne quis de coetero novam religionem inveniat, sed quicumque ad religionem converti voluerit unam de approbatis assumat », Deus novas vitae religiosae formas suscitabat, quae magna iuri canonico de Religiosis incrementa addere debebant.

S. Dominicus (1170-1221) ad debellandam haeresim albigensem sibi socios asciverat. Brevi propositum concepit condendi Ordinem ad veritatem catholicam dilatandam. Innocentius III eius votis non acquievit ob decretum Concilii Lateranen. Sed a. 1216 Honorius III ei permisit ut sibi socios adiungeret et Regulae S. Augustini constitutiones speciales adderet.

Ordo novus finem habet directe apostolicum; servat recitationem divini Officii in choro; labori manuali studia

---

Profess in *Beitr. z. Gesch. des alten Moenchtums und des Benediktinerordens*, H. 3, Muenster, 1912. — Hertling, L., S. I., *Die Professio der Kleriker und die Entstehung der drei Geluebde* in *Z. f. k. Th.*, 56, 1932, 148 ss. — Zeiger, Y., S. I., *Professio in manus* in *Acta Congr. iur. internat.*, III, 187 ss., Romae, 1936. — Misserey, L., O. P., *Contribution à l'histoire du voeu solennel* in *Mélanges thomistes*, 1923, 141 ss.

sacra substituit; sub auctoritate suprema Magistri Generalis, cum Provincialibus, constituitur. Sed Superiores omnes a subditis eliguntur et Capitula localia aliquam auctoritatem servant. Primo nec domus bona stabilia possidere debebant, ita ut Ordo esset « mendicans », sed illa paupertatis forma a Martino V emollita, a Syxto IV (1475; 1477) sublata est.

Condendo associationem piam quae « Militia Christi » audiebat, pro laicis utriusque sexus, praeludit S. Dominicus institutioni Tertii Ordinis, quae in secunda parte saec. XIII[1] constituetur. Cum Tertiarii Regulam assument et vota etiam simplicia emittent, omnia elementa Congregationis religiosae (sensu hodierno) habebuntur. Idem ceterum in Ordine S. Francisci locum habebit.

S. Franciscus Assisien. (1182-1226) ab Innocentio III, primo reluctante, dein benigno ob monitum coeleste, approbationem primae Regulae a. 1209 accepit. Primum Capitulum Generale a. 1212 habitum est. D. 11 iun. 1219, Honorius III Ordinem sollemniter approbavit, d. 29 nov. 1223, Regulam secundo retractatam.

Iuxta mentem S. Francisci Fratres minores debebant fieri apostoli evangelici, in summa etiam communi paupertate, victum labore lucrantes vel eleemosyna accipientes. Necessitates vitae et ministerii haec aliquantum in parte Ordinis mutaverunt. Dissensiones doctrinales et practicae de paupertate quibusdam celeberrimis Bullis ansam dederunt.

* * *

Canon Concilii Lateranen. IV de non condendis novis Religionibus partim observatus est. S. Dominicus debuit Regulam S. Augustini recipere, cui constitutiones e Statutis vel consuetudinibus Cisterciensium et Praemonstratensium addidit. Innocentius IV (1243-1254) et Alexander IV (1254-1261) coegerunt varias Eremitarum Congregationes ut Ordinem Eremitarum S. Augustini a se conditum ingrederentur.

Sed Regula S. Francisci, etsi vere nova, a Sancta Sede approbata est. Praeterea nova vitae religiosae utriusque Ordinis mendicantis forma admissa, laudata et magnis privilegiis aucta est.

Influxus Ordinum mendicantium in ius canonicum de Religiosis ingens fuit [32].

Introduxerunt novam formam regiminis, paupertatis et apostolatus. Etsi eliguntur omnes, Superiores locales a Provincialibus, hi et illi a Supremo Ordinis Superiore dependent, sicut omnes Ordinis religiosi; eorum exemptio interna auctoritati RR. Pontificium plurimum proderit, quibus facilius totius provinciae vel Ordinis auxilium praesto est; paupertas non tantum individua, sed communis, in Ordine S. Francisci graves de iure possidendi et de natura paupertatis religiosae quaestiones movit. Sic praeformati sunt hodierni iuris canones quidam de paupertate Regularium (c. 581-582. — Clemens V, maii 1312, C. *Exivi de Paradiso;* Iohanne. XXII, C. *Ad Conditorem,* 8 dec. 1322).

Cum novi monachi e monasteriis exirent ad exercendum Sanctae Sedis nomine apostolatum, brevi conflictus orti sunt cum Ordinariis quibusdam et plurimis parochis, qui administrationem sacramentorum et ius sepulturae nimis stricte parochis reservare volebant. RR. Pontifices, primo exhortationibus, dein decretis et privilegiis quaestionem solverunt, non tamen modo omnino constanti. Sic leges ortae sunt de fonte et ambitu iurisdictionis ad confessiones saecularium audiendas, de administratione S. Eucharistiae, de libera sepulturae electione, etc. Intervenerunt Gregorius IX, a. 1231, Innocentius IV, 17 sept.

---

[32] Accurate hoc probavit Zeiger, Y. *Historia iuris canonici,* II, n. 68. Cfr. Steiger, I,. S. I., *De vitae religiosae propagatione, Per.,* XIII, 87-99. — Walz, A. M., O. P., *Compendium historiae Ordinis Praedicatorum,* Romae, 1930 249-252. — Holzapfel, H., O. F. M., *Handb. d. Gesch. des Franziskanerordens,* Freiburg i/B, 1909, 234-240. (vel in versione latina: *Manuale historiae Ordinis Fr. Minorum,* ibid., 1909.

1245; Alexander IV, 28 mart. 1261; Martinus IX, a. 1282; Bonifacius VIII, C. *Super cathedram,* 18 febr. 1300. Ad Conc. Tridentinum usque, in varias partes RR. Pontifices rem dirimerunt.

Statim a fundatione utriusque Ordinis institui coeperunt associationes sive Confraternitates quae Tertio Ordini laicali, dein regulari ortum dederunt.

Etsi RR. Pontifices quibusdam monasteriis Cardinalem protectorem iam concedebant, institutum, prout iam viguit, voluntati S. Francisci debetur qui cupiebat Cardinalem Hugolinum ampla in Ordine auctoritate pollere. Postea Innocens III, C. *Christi fidelium,* 16 febr. 1694, munus Cardinalis Protectoris fere omni potestate spoliavit (cfr. c. 499, § 2).

Apud Moniales clausura iam strictissima in quibusdam monasteriis, v. g. Clarissarum, magis e Regula quam e iure communi vigebat. Vi enim iuris communis, nondum omnis e clausura egressus prohibebatur. Bonifacius VIII, C. *Periculoso,* a. 1298 (c. 1, *de statu regul.,* III, 16 in VI) absolutam prohibitionem tulit, excepta licentia Abbatissae exeundi pro gravibus negotiis. Sic clauditur prima historiae clausurae Monialium pars.

In Decretalibus Gregorii IX (a. 1234), decem tituli de Regularibus agunt, sc. *de Regularibus et transeuntibus ad religionem* (III, 31), *de conversione coniugatorum* (III, 32), *de voto et voti redemptione* (III, 34), *de statu monachorum et canonicorum Regularium* (III, 35), *de religiosis domibus, ut episcopis sint subiectae* (III, 36), *de cappellis monachorum et aliorum religiosorum* (III, 37), *ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant* (III, 50). In libro V, *de Apostatis et reiterantibus baptisma* (V, 9), *de excessibus Praelatorum et subditorum* (V, 31), *de privilegiis et excessibus privilegiatorum* (V, 33).

In libro VI° Bonifacii VIII (a. 1298), septem tituli de eodem obiecto agunt. In Extrav. Ioannis XXII (1316-1334), celeber est titulus: *de verborum significatione,* in quo R.

Pontifex longam de religiosa perfectione et de paupertate franciscana dissertationem edidit et decretales *Exiit qui seminat* Nicolai III (1277-1280) et *Exivi de paradiso* Clementis V (in Conc. Viennen. 1311-1312) commentatus est.

* * *

II. Saecula XIV et XV.

Iam a fine saeculi XIII incipiunt multa monasteria vitam laxiorem ducere et saec. XIV ipsi Mendicantes, saltem partim, ab alto suo proposito perfectionis recedunt. Omnibus causa diminuti fervoris fuit recessus a paupertate religiosa. Multa Benedictorum monasteria donationibus fidelium ingentia bona acquisiverant et in non nullis officia Abbatis, Prioris, Cellerii, etc. « beneficia » facta erant. In Ordine S. Francisci disputatio de paupertate vigebat eademque apud Fratres Praedicatores agitabatur. — In plurimis monasteriis Abbates vel priores a Sancta Sede, a regibus, ab episcopis nominabantur, quibus monasterium « commendabatur »; saepe non erant monachi et de bonis monasterii sibi vindicandis unice solliciti erant. Sic disciplina omnino relaxata est.

Causae externae fuerunt: *a*) depopulatio monasteriorum per funestam luem quae medio saec. XIV Europam pervasit; *b*) bella quae Galliam, Germaniam et Italiam vastaverunt; *c*) abusus quibus clerus saecularis, cum minor tum maior, indulgebat; *d*) schisma occidentale.

Sed iam ante saec. XVI plura reformationis conamina maiore minoreve successu tentata sunt.

* * *

A saec. XIV multi Tertiarii S. Dominici vel S. Francisci vitam religiosam ducere coeperunt. Praesertim saec. XV Sorores « grigiae » vel « nigrae », in Belgio et in Gallia septentrionali veras Congregationes religiosas constituerunt cum votis simplicibus et sine clausura [33].

Eodem tempore praeformantur Societates sectantes perfectionem vitae christianae sine tribus votis publicis, sed in vita communi. Citandi sunt v. g. Fratres vitae communis (1391*) et Sorores vitae communis, in Hollandia, Belgio et Germania (1370); Oblatae S. Franciscae Romanae (fundat. a. 1433) Regula S. Benedicti utebantur et aliquam professionem habebant [34].

* * *

III. De saeculo XVI°

Hoc saeculo instituta iuris canonici maximi momenti occurrunt. Primo creatio novae formae vitae religiosae, sc. Ordinum clericorum regularium; dein legislatio Concilii Tridentini (Sess. XXV, de Regularibus et Monialibus, 3 dec. 1563); conatus S. Pii V imponendi. clausuram papalem omnibus religiosis mulieribus, unde extinguendae essent omnes Congregationes religiosarum. Addenda erit legislatio reformatoria Clementis VIII (1592-1605).

* * *

Omnes Ordines Clericorum regularium, uno excepto, saec. XVI° conditi sunt.

Theatini (approb. 24 iun. 1524); Clerici Boni Iesu (1526), suppressi a. 1651; Clerici S. Pauli decollati (Barnabitae), approb. a. 1533; Somaschae, prius pia Associatio (1540), dein Ordo, approb. 1568; Societas Iesu, 15 aug. 1534, Parisiis; approb. 1540; Clerici regulares Matris Dei, tamquam Congregatio, 1593, tamquam Ordo, 1621, fere exstincti; Clerici regulares ministrantes infirmis (Camilliani), pia Associatio, a. 1586, Ordo, a. 1591; Clerici Regulares Minores, a. 1588; Clerici regulares scholarum piarum Matris Dei (Scolopi), pia Associatio, a. 1617, Ordo, 1622.

---

[33] Lemaitre, H., *Statuts des Soeurs grises hospitalières* in *Archiv. franc. histor.* IV, 1901, 715-731.

[34] Cfr. Stanton, A., C. I. M., *De Societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis.* Halifax, ed. alt., 1936, n. 9 ss.

Clerici regulares magis quam Mendicantes a vita monachali recedunt ut necessitatibus, praesertim spiritualibus, fidelium expeditiori modo subvenire possint. Habitum monachalem non servant; fere omnes privata divini Officii recitatione contenti sunt; Capitulis nullam vel minorem potestatem conferunt. Plures educationi iuventutis incumbunt, simul tamen praedicationi et administrationi sacramentorum vacant.

In Societate Iesu, haec evolutio ad extremum usque adducitur. Vestis potest esse in variis regionibus diversa, sc. clericorum regionis; exercitium pietatis commune praeter Litanias Sanctorum, nullum est. Vota simplicia omnes prius emittunt, per totam vitam servant Coadiutores spirituales et temporales. Omnia ministeria apostolica assumit, praeter stabilem infirmorum curam. — Omnes Superiores directe a Generali Praeposito nominantur; nullum est Capitulum locale; provinciale nulla potestate gaudet. Ita S. Ignatius tribus fere saeculis quasdam iuris de Religiosis normas antecedit.

Ut decreto Concilii Tridentini, S. XXV, c. 8 obtemperarent, multa monasteria Ordinis S. Benedicti Congregationes monachales inierunt, quarum aliae iam saec. XVI° conditae sunt, aliae, et quidem celeberrimae, saeculo sequenti. Haec mutatio iuridica in ipsam vitam religiosam satis magnum influxum exercuit. In Germania maior independentia servata est, in Gallia disciplina monachalis et opera scientifica perfectiora apparuerunt.

Novi Ordines omnes approbationem a Sancta Sede postulare debent. Plures prius tamquam pia associatio vel Institutum votorum simplicium, dein tamquam Ordo approbati sunt. — Immediate a fundatione, vel satis cito postea, plenam exemptionem obtinent, simulque ampla privilegia sive e directa concessione, sive per communicationem cum Ordinibus mendicantibus. — Fere omnes quaestiones de ministeriis sacris exercendis iam saeculis praecedentibus praeoccupatae erant et solutae.

Exempla non desunt hoc saeculo approbationis etiam

a Sancta Sede religionis cum votis simplicibus (Iulius II, Const. *Considerantes*, 14 mart. 1509. — *Exponi nobis* 27 febr. 1510. — Leo X, Const. 20 ian. 1521).

Sed Concilium Tridentinum, Sess. XXV titulum habet *de Regularibus et monialibus*, nec de religiosis cum votis simplicibus ullo modo agit. Attamen c. XVIII dicit praescriptis suis non ligari mulieres quae « Paenitentes seu Convertitae » appellantur. Minus certum est num agatur de Tertiariis cum votis simplicibus.

* * *

Concilium Tridentinum. (1545-1564)

Concilium in Sessione XXV de Ref., sessionem specialem reformationi vitae religiosae dedicavit. Fere de omnibus praecipuis disciplinae capitibus egit. Ius iam vigens denuo urget, sed novas quasdam leges tulit, quae hucusque immutatae, vel fere immutatae manserunt.

Annum completum novitiatus statuit et aetatem definitam ad validam professionem praescripsit (C. XV et XVIII). — Primum prohibet omnino ingressum etiam mulierum in clausuram monialium (C. V). — Accurate paupertatem Regularium, sive singulorum sive communem definit (C. II ss.). — Obligat omnia monasteria exempta ut in Congregationes monachales uniantur et Capitula Generalia celebrent (C. VIII). — Confessarios extraordinarios pro monialibus instituit (c. X). — Concedendo Ordinariis ut in certis casibus « etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati » agant, eorum iurisdictionem in Regulares magis definit et auget.

Sic augendo potestatem Ordinariorum, impedimenta reformationis quae a nimia exemptione provenissent removebat. Conscii de vi morum et legum, Patres non ausi sunt « Commendationem » in deligendis Abbatibus et Abbatissis supprimere, sed electiones saltem aliquatenus emendare conati sunt. — Adversus abusum nobilium familiarum,

libertatem ingressus in religionem gravibus poenis tuebatur. Institutioni noviciorum invigilabat, exigendo annum integrum novitiatus. Multis dissidiis obveniebat definiendo melius dependentiam Regularium erga Ordinarios in cura animarum exercenda [35].

* * *

Immediate post Conc. Triden. Sancta Sedes ab approbandis novis religionibus denuo satis aliena fuit. — Doctrina quoque quae vota sollemnia tamquam elementum essentiale status religiosi considerat, magna vi proponitur et contra Societatem Iesu defenditur. Immo huic Paulus IV per aliquod tempus recitationem Officii divini in choro imponere voluit. — In apostolicis mulierum extra clausuram ministeriis (cura infirmorum, educatione puerorum utriusque sexus), Summi Pontifices praesertim pericula considerant. Haec virgines Deo sacras dedecere censentur. Iam modus loquendi de illis religionibus invenitur cuius vestigia etiam in *Normis* (1901) clare permanent. — Tandem relationes inter Ordinarios et illas Congregationes religiosas difficultatem facessunt. Inde explicantur Constitutiones S. Pii V et eius successorum.

* * *

S. Pius V, cum multi abusus e faciliori commercio religiosarum cum saecularibus orirentur, strictam monialium clausuram urgere eamque ad omnes Tertiarias quae vota sollemnia non habebant extendere voluit. Quare facultatem admittendi novitias iis religionibus abstulit quae vota sollemnia et clausuram papalem non admitterent (const. *Circa Pastoralis*, 29 maii 1566). Quam legem Gregorius XIII, a. 1572 et S. Congregatio Episc. et Regul., a. 1592 omnino urgere conati sunt. Si observata fuisset, ex-

---

[35] De relatione inter ius Tridentinum et ius medievale cfr. Zeiger, Y., *Historia iuris canonici*, II, n. 77 ss.

stinctae fuissent exsistentes Congregationes mulierum neque novae condi potuissent.

Ob reverentiam erga C. *Circa pastoralis*, usque ad finem circiter saeculi XIX, quando statuta alicuius Congregationis religiosae mulierum approbabantur, addebantur verba: « citra approbationem conservatorii ».

Forte conatus est S. Pius V etiam virorum Congregationes supprimere (C. *Lubricum vitae genus*, 17 nov. 1568). Vis Constitutionis dubia remanet.

Sub finem saec. XVI[1] institutae sunt duae Congregationes Cardinalium; altera de Episcopis vel Episcoporum (a. 1576), altera de Regularibus vel Regularium (1582-1585). Post Sixti V C. *Immensa* (23 mart. 1588) per paucos annos seiunctae cum permansissent, a. 1601 unitae inveniuntur sub titulo *S. C. Episcoporum et Regularium* (S. C. EE. et RR.). Titulus et competentia inde explicantur quod multa de Regularibus viris et mulieribus dubia circa relationes inter Ordinarios et illos versabantur.

* * *

Legislatio reformatoria Clementis VIII specialem attentionem meretur 1592-1605). Decreto *Sanctissimus Dominus*, 26 maii 1593, minuit et definivit casus quos Superiores Regularium sibi reservare possent (cfr. can. 896-900) et complevit disciplinam de confessariis apud Regulares (can. 520). — Const. *Religiosae Congregationes* (notetur verbum ad Ordines designandos), 19 iun. 1594, severissime largitiones prohibebat (can. 537). — Tres Constitutiones edidit de domibus in quibus novitii recipi possent (can. 553 ss.). — Longam Constitutionem *Nullus omnino*, 25 iun. 1599, de reformatione Regularium scripsit in qua multas eorum obligationes tangit. — In C. *Religiosorum quorumcumque*, 8 nov. 1601, de Regularibus in missionibus, iam invenitur clare principium de subiectione erga Superiorem missionis et proprios Superiores (c. 296). Magni quoque

momenti fuit eius C. *Quaecumque*, 7 dec. 1604, de erigendis et aggregandis Confraternitatibus (can. 707, ss.; 720 ss.).

Sic perficiebatur opus Concilii Tridentini [36].

* * *

Saeculum xvii.

E tolerantia episcoporum, dein sive Legatorum S. Sedis sive etiam. RR. Pontificum proscriptio religionum mulierum cum votis simplicibus et sine clausura valde mitigata est. Notandum est tamen propter aversionem Praelatorum ab illa vitae forma, S. Franc. Salesium qui moniales Visitationis in Congregationem cum externo apostolatu erigere volebat, Ordinem sub clausura condere debuisse. S. Vincentius a Paulo autem vitae religiosae pro Filiabus suis renuntiavit ne apostolatu suo privarentur et societatem sine votis publicis fundavit.

Declaratio Gregorii XIII, C. *Ascendente Domino*, 22 maii 1684, votis nempe simplicibus scholasticos et Coadiutores formatos Societatis Iesu esse vere religiosos, erectionem Congregationum religiosarum adiuvare potuit.

Divina Providentia tunc sanctas mulieres suscitavit quae ad reformationem populi christiani religiones cum votis simplicibus et sine stricta clausura condiderunt. Ante finem saeculi XVII iam satis multae exstiterunt.

Ipso anno 1572, quo Gregorius XIII prohibitionem decessoris sui renovabat, S. Carolus Borromaeus filias S. Angelae de Merici in Congregationem cum votis simplicibus erigebat. Dein a. 1606 Ven. Anna de Xainctonge in Gallia Congregationem Ursulinarum condidit. Sed Ursulinis quae ex Italia Parisios venerant, mox clausura papalis et vota sollemnia (a. 1612) imposita sunt [37].

---

[36] De reformatione quae Concilium Tridentinum praecessit vel secuta est, cfr. Mourret, *Histoire générale de l'Eglise*, t. V. praesertim p. 516-552 — Pastor, *Geschichte der Päpste*, praesertim t. VIII et XI (etiam in versione italiana).

[37] Cfr. Creusen, I., S. I., *Les Instituts religieux à voeux*

Inter omnes Congregationes huius temporis eminet illa Mariae Ward (1585-1645) quae voluit pro puellis id facere quod Iesuitae pro iuvenibus agebant. Non obstante favore plurium episcoporum et principum, Congregatio « Dominarum anglicarum », quae « Iesuitinae » quoque vocatae sunt, ab Urbano VIII, Bulla 16 ian. 1631, suppressa est. Non est tamen exstincta et saec. XVIII° ut videbimus, ansam dedit Constitutioni magni momenti de auctoritate Superiorissae generalis [38].

Paucissimae e contra Congregationes virorum hoc tempore institutae sunt. Sed ortae sunt plures Societates clericorum qui in vita communi sub Superiore, sine votis religionis, vitam aliquatenus religiosam ducebant (Oratoriani; Oblati S. Caroli Borromaei, etc.); vel habent tria vota, sed haec nomine Ecclesiae non recipiuntur, v. g. in Congregatione Missionis (Lazaristae) [39].

Novae quoque Congregationes monachales, cum fine disciplinam religiosam restituendi, ad normam Conc. Trid., S. XXV, c. VIII, ortae sunt, quarum celeberrima fuit Mauristarum, O. S. B. in Gallia. Non sunt proprie nova vitae religiosae forma.

* * *

RR. Pontifices huius saeculi opus reformationis persequi satagunt nec pauca sunt Constitutiones vel decreta Congregationum romanarum quae de statu religioso agunt. Plura agunt de condendis novis domibus, de novitiatu et vita communi, de clausura monialium, de earum confessariis, de apostatis a religione, etc. Pro hoc saeculo Vermeersch, *De Rel.* II, quadraginta documenta huius generis refert.

Liceat tantum notare severissimum decretum S. C. C.,

---

simples in *R. C. R.*, 1940, 52 ss. vel V. *Congrégation religieuse* in *D dr can.* (sub prelo).

[38] Cfr. Grisar, I., S. I., in *Stimmen der Zeit*, 113, 1927, 34 ss.

[39] Stanton, W. A., C. I. M., *De societatibus sive virorum sive mulierum sine votis*, 30 ss.

11 maii 1669, de clausura; sub gravi prohibebat Regulares etiam brevissimum colloquium cum moniali ad crates collocutorii habere. Sed illam legislationem, ut saepius antea, partim interpretationes benignae canonistarum, partim desuetudo temperaverunt vel sustulerunt.

Haud pauca quoque edita sunt decreta de confessariis monialium.

* * *

Saeculum XVIII.

Hoc saeculo, etsi novae et zelo plenae Congregationes virorum conditae fuerint, multa monasteria ob influxum saecularium principum vel virorum nobilium vel ob neglectam paupertatem a primaeva perfectione decreverunt. Satis multa in regionibus germanicis iniquo modo suppressa sunt. Quaedam quoque coacta decretis v. g. Iosephi II ministeriis vacare ad quae non erant condita et praeparata, satis cito omnem disciplinam religiosam neglexerunt.

Tandem eversio rerum politicarum et persecutio in Gallia fere omnes domos religiosas sustulerunt et religiosos disperserunt. Similis devastatio progressus exercituum gallicorum in varias Europae regiones secuta est.

In iure de Religiosis praecipuum locum tenet Benedicti XIV (1740-1758) C. *Quamvis iusto*, 30 april. 1749, qua Summus Pontifex, ut petitionibus quorundam episcoporum satisfaceret, relationes inter ipsos et Superiorissam Generalem Congregationis religiosae definit. In ea, falsis documentis deceptus, errores quosdam historicos doctus Pontifex admisit. Ut iuris progressus videatur, omnino conferenda est illa Constitutio cum C. *Conditae a X°* Leonis XIII, de qua infra.

Inter documenta maioris momenti huius temporis citandae sunt plures Constitutiones eiusdem Benedicti XIV; v. g. C. *Pastoralis curae*, 5 aug. 1748 de confessariis Mo-

nialium, quae ius anterius resumit et complet; C. *Ex quo electus,* 17 ian. 1747, de ingressu clericorum saecularium in religionem; C. *Si datam,* 4 mart. 1748, de processu super nullitate professionis religiosae, etc. Omnino notanda ob suas clausulas C. *Regularis disciplinae,* 3 ian. 1742 de clausura Monialium, de qua tres alias Constitutiones vel Litteras scribere debuit!

Considerabimus primo quinam fuerint effectus eversionis rerum politicarum et persecutionis in conditionem iuridicam Monialium et in erectionem Congregationum religiosarum Societatumque sine votis; dein quaenam fuerit evolutio iuris de Religiosis usque ad Codicem i. c.; tandem conabimur de iure Codicis relate ad Religiosos iudicium ferre.

* * *

Ab exeunte saec. XVIII ad a. 1918.

I. De ipsius vitae religiosae evolutione.

1. Incipit haec aetas eversione rerum politicarum et religiosarum in Gallia, qua tot religiosi e suis domibus exturbati sunt. Quae perturbatio ad alias quoque Europae regiones extensa fuit. Sed pax nullibi modo stabili restituta est. Saec. XIX plerique religiosi et religiosae bis e Gallia expulsi sunt vel in ea absconditi vivere vel agere debuerunt, bis vel ter plurimi ex Hispania et variis Italiae partibus exturbati, haud pauci e regno Borussiae, etc.

Inde quaestiones de conditione iuridica religiosorum expulsorum examinandae fuerunt. Leges civiles quae religiones tamquam personas morales non agnoscebant et regimini ecclesiastico auxilium brachii saecularis negabant, coegerunt Sanctam Sedem ad mutanda plura elementa iuris de religiosis, v. g. quod ad paupertatem, dimissionem, etc.

2. Moniales plurimae, pace aliquantum restituta, in nova monasteria se recipere debuerunt, quae pontificia auctoritate caruerunt. Inde impossibilitas emittendi pro-

fessionem sollemnem et conditio iuridica valde incerta. Ordinarii paulatim eas tamquam sibi plene subditas consideraverunt, ita ut postea non nulli eas tamquam religiosas iuris dioecesani habuerint. Ipsa S. Sedes omnino dubia haerebat de vera conditione iuridica earum, ita ut certior et melior esset conditio Congregationum religiosarum.

3. Innumerae Congregationes religiosae, praesertim mulierum, primo ad ruinam spiritualem in Europa reparandam, dein ad curam emigrantium praesertim in Americam, ad opus missionum apud paganos adiuvandum, approbantibus vel postulantibus Ordinariis, conditae sunt. Cum in diversas omnino dioeceses et regiones spargerentur et provincias condere deberent, multae quaestiones canonicae de earum regimine interno et externo, de iurisdictione Ordinarii domus principis, etc. motae sunt. Plurimae suas constitutiones e Summario constitutionum et regulis S. Ignatii desumpserunt.

Cum dilatabantur, approbationem aliquam pontificiam plures petebant. Inde examen factum est Romae de earum fine, apostolatus formis, regimine spirituali et temporali, relationibus cum Ordinariis, etc. Ita formata est magna pars iuris novissimi de Religiosis.

4. Ultima saeculi XIX parte et ineunte saec. XX, ut novis apostolatus conditionibus satisfacerent, non paucae Societates religiosae conditae sunt, quarum membra sine veste religiosa, partim vel omnes in suis familiis degentia, saepe cum aliquo de sua natura secreto vitam religiosam ducebant, sine tamen tribus votis publicis (Cfr. can. 673-681).

II. De evolutione iuris de Religiosis.

1. S. Congregatio EE et RR. negotia praesertim in quibus interveniebat Ordinarius loci agere perrexit usque ad a. 1908. Ab a. 1847 (Encycl. *Cum hisce litteris*, 17 iun.

1847) nova quaedam Congregatio, sc. S. C. *super statu Regularium* praesertim reformationi disciplinae regularis invigilabat; a. 1891 ultimum eius documentum in Font. i. c. invenitur. — In reformatione Curiae romanae (C. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908) constituta est cum competentia bene definita, *S. C. negotiis religiosorum sodalium praeposita*, communiter dicta *S. C. de Religiosis* (nota iam non dici: Regularium).

2. Concilium Vaticanum (1869-1870) pauca quaedam schemata de reformatione Religiosorum praeparaverat, v. g. de vita communi, de clausura, etc. Saec. XIX plurima decreta ferenda fuerunt de religiosis vi et persecutione expulsis, quae ob peculiarem et temporariam suam indolem haud multum ius commune mutaverunt.

3. Sub influxu legum civilium quae conditionem religiosorum satis instabilem faciebant et vim votorum vel personalitatem religionum non agnoscebant, variae mutationes sat magni momenti in ius de Religiosis introducendae fuerunt.

Pius IX, litt. *Neminem latet*, 19 mart. 1857, in omnibus Ordinibus virorum professioni sollemni, quae immediate post annum novitiatus emittebatur, professionem simplicem perpetuam praeponi iussit. Professio sollemnis post triennium professionis simplicis emitti poterat. Decr. *Perpensis*, 3 maii 1902, sub Leone XIII, haec praescriptio ad omnes Ordines mulierum extensa est. Codex in eadem via ultro procedet.

In Gallia et in Belgio Sancta Sedes non permisit ut moniales vota sollemnia emitterent: instabilitas temporum clausuram papalem et renuntiationem bonorum vix permittebat. Quae legislatio usque ad a. 1923 duravit (cfr. c. 488, 7°).

Speciali privilegio Sancta Sedes Regularibus Belgii et Hollandiae permisit ut, non obstante voto sollemni paupertatis, animo domini bona quaedam acquirere et possidere possent (cfr. c. 581, § 1).

4. Numerus Congregationum earumque larga diffusio adduxerunt Leonem XIII ut novas de earum regimine normas statueret. Constitutio *Conditae a Christo*, 8 dec. 1900, vocari potest: « Magna Charta » Congregationum et fere tota in Codicem inseretur. Anno sequenti, 28 iun. 1901 editae sunt *Normae*, quae S. Congregationi EE. et RR. inservire debebant in approbandis novis Institutis eorumque constitutionibus [40]. Pleraeque constitutiones recentioris aetatis ordinem et fere verba illarum Normarum sequuntur. Nunc quoque ad interpretandum Codicem valde utiles sunt. S. Congregatio de Religiosis, a. 1921, novum textum primae partis Normarum dedit (*A. A. S.*, XIII, 1921, 312 ss.), alteram partem, utpote post Codicem fere inutilem, omisit.

Regnantibus Pio IX, Leone XIII et Pio X [41] plurimae Sanctae Sedis leges de Religiosis disciplinam futuri Codicis immediate praeformarunt. Praecipuas tantum hic allegamus.

Iam locuti sumus de regimine Congregationum religiosarum.

Normae satis severae de quibusdam candidatis non admittendis latae sunt (S. C. EE. et RR., decr. *Ecclesia catholica*, 11 aug. 1889); natura et effectus professionis simplicis quae sollemnem antecedere debebat accurate definita sunt (Pii IX, decr. *Sanctissimum*, 12 iun. 1858. — Cfr. v. g. c. 572, § 2; 578, 580, 964, 3°; 647); leges plures de maiori religiosorum utriusque sexus libertate conscientiae in confessionibus, in Eucharistia recipienda, in conscientia aperienda (S. C. EE et RR., decr. *Quemadmo-*

---

[40] VERMEERSCH, A., S. I. *De Religiosis*, II, 4ª ed., p. (128) ss. eas fuse commentatus est.

[41] Cfr. LA PUMA, Card., *Evolutio iuris canonici a Pio* IX *ad Pium* XI. - *Acta Congr. iurid. intern.*, Romae, 1937, IV, 193 ss. — LARRAONA, A. in *Comm. pro Rel.*, a. 1920 ss. — BATTANDIER, Mgr., *Guide canonique pour les constitutions des Instituts à voeux simples*, 6ª edit., Paris, 1923. — CREUSEN, J., S. I., *Du Concile du Vatican au Code de droit canonique*, *N. R. Th.*, 1929, 885 ss.

dum, 17 dec. 1890; S. C. de Rel., decr. 3 febr. et 5 aug. 1913, cfr. c. 520 ss.); de alienatione bonorum vel debitis suscipiendis (S. C. de Rel., Instr. *Inter ea*, 30 iul. 1909; cfr. can. 534); de servitio militari, S. C. de Rel., decr. *Inter reliquas*, 1 ian. 1911 (quod post Codicem vim suam servare dictum est); de exemptione Regularium (Litt. Pii IX, *Ex epistula*, 26 oct. 1865; Leonis XIII C. *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881); de egressu vel dimissione praesertim religiosorum in sacris, decr. *Auctis admodum*, 4 nov. 1892.

III. De Codice iuris canonici (27 maii 1917-19 maii 1918).

Legenti Codicem satis patet quam accurate documenta anteriora fuerint examinata et saepe plus minusve mutata ut novum ius clarius, plenius et temporibus aptius fieret. Cum in explicandis Codicis canonibus continuo ad leges anteriores recursus fiat, hic paucissima tantum allegare convenit.

Iam inutile fuit loqui de potestate quam Ordinarii locorum « tamquam S. Sedis delegati » habent; continetur enim in eorum Facultatibus habitualibus, dum in Codice eorum potestas ordinaria accurate definita et interdum aucta est (c. 492, § 2; 500, 615, 618). — Maior assimulatio facta est inter conditionem religiosorum qui in Ordine et eorum qui in Congregatione religiosa professionem emittunt v. g. hoc iam elucet in titulo huius partis: *De Religiosis* (non De Regularibus); necessitas omnibus primae professionis *temporariae* (c. 572, § 2); eaedem normae pro saecularizatione (c. 640) et dimissione (c. 649 ss.; 654, ss.); iuridica Monialium conditio apte definita est (s. 488, 7°); aucta est denuo libertas religiosarum in recursu ad confessarium non ordinarium (c. 522); quaedam praescripta valde severa de non admittendis quibusdam candidatis, de denuntiandis Superioribus rationem conscientiae exigentibus, de poenis in missionarios negotiantes, suppressa sunt, etc.

Praestat praesertim haec pars Codicis claritate et plenitudine.

* * *

Ab a. 1918 ad a. 1941.

Etsi quaedam interpretationes vel explicationes canonum sub forma decreti datae fuerint, unum tantum decretum generale, novam legem continens, latum est, sc. S. C. de Rel. et S. C. de Sem. et stud. Univers., d. 25 iul. 1941, de quibusdam candidatis non sine recursu ad S. Sedem admittendis (Cfr. *Per.*, XXXI, 1942, 73 ss.); multa responsa data sunt et Instructiones satis amplae de religiosis editae sunt. Quibus addendus est novus *Normarum* textus (6 mart. 1921; *A. A. S.*, XIII, 1921, 312)[42], in quo exemplar Constitutionum demi potuit cum fere totum in Codicem insertum sit.

Praecipuae *Instructiones* sunt: de condendis in terris missionum Congregationibus indigenis (S. C. de P. F., 19 mart. 1937); de secundo anno novitiatus (S. C. de Rel. 3 nov. 1921); de clausura Monialium (6 febr. 1924); de relatione quinquennali ad S. Sedem (S. C. de Rel., 25 mart. 1922); de institutione clericorum (1 dec. 1931), etc.

Responsa maioris momenti data sunt de potestate Ordinariorum quod ad Moniales et de professione sollemni istis in Gallia et in Belgio concedenda (S. C. de Rel. 22 maii 1919; 23 iun. 1923); de interpretatione can. 522 (plura responsa Commiss. pont. interpret.).

In Concordatis autem quae Sancta Sedes cum variis Statibus iniit, operae pretium est videre quomodo se nationalismo politico accomodaverit in provinciarum finibus statuendis, in delectu Superiorum, etc[43].

---

[42] Commentarium earum dedimus in *Documents du St-Siège*, (1918-1924), Louvain, 1928, 1 ss.
Omnia documenta hic allegata facile in *AAS* invenientur; commentarii eorum in periodicis *A. f. k. KR.*, *Comm. pro Rel.*, *NRTh.*, *Periodica*, *Revue des C. R.*, etc.

[43] Cfr. *NRTh.*, 1928, 21; 1934, 171.

* * *

Quaedam conclusiones.

Sola fusior evolutionis iuris de Religiosis descriptio accuratas conclusiones permitteret quae pro variis institutis canonicis variae forte essent. Attamen ex his brevibus notis quaedam iam apparent.

Impulsus ad varias vitae religiosae formas a Sancto Spiritu procedit et adiunctis temporis et locorum miro modo aptatur. Quia de publica vitae perfectionis professione agitur, mox intervenit hierarchia Sanctae Ecclesiae ut quae recta sunt laudet, confirmet, promoveat, periculis autem quae ex infirmitate humana oriri possunt, provideat.

Accidit ut Sancta Sedes opponere se videatur formae vitae et operibus quae, ut facta postea demonstrant, fons ingentis boni spiritualis facta sunt. Sed bene examinandum est num tempore quo primum apparuerunt omnino opportuna et secura fuerint. Illa autem oppositio ita temperatur ut vera Dei opera non impediantur. Non est tamen negandum homines sive praeconceptis iudiciis sive affectibus parum christianis progressui legislationis et ipsius vitae religiosae obstitisse. Id dicendum est de doctrina quae sollemnitatem professionis elementum essentiale vitae religiosae faciebat.

In legibus suis de statu religioso Sancta Sedes maximam de moribus rationem habuit. Quod facile illustratur legibus de libertate ingressus in religionem vel aditus religiosarum ad confessarium non ordinarium. Ubi vero disciplina necessaria servanda et vera pericula erant removenda, mira constantia leges suas Ecclesia urgere et contra omnes relaxationis causas tueri non destitit. Id clare apparet in historia clausurae Monialium.

Si iam regimen religionum et earum cum Ordinariis locorum relationes consideremus, nemo non videt quomodo Sancta Sedes simul necessariam ab Ordinario loci de-

pendentiam cum unitate et securitate regiminis interni composuerit. Ratio quoque habetur indolis religionum, clericalis vel laicalis, stabilitatis et perfectionis regiminis interni, v. g. Ordinum, Congregationum iuris pontificii vel dioecesani, formarum apostolatus quae ab Episcopis necessario pendent, v. g. confessionis fidelium, doctrinae christianae in scholis, editionis librorum, etc.

A longo tempore iam Sancta Sedes non favet totali independentiae monasteriorum eiusdem Ordinis. Iam Innocentius III Capitula Generalia approbabat; Concilium Trid., S. XXV, c. 8 voluit ut monasteria omnino independentia Congregationes monachales ingrederentur; Leo XIII et Pius X unioni monasteriorum Benedictinorum et Ursulinarum magnum favorem ostenderunt. — Nostro tempore apud viros aliquam unitatem quasi exigunt studia ecclesiastica.

Ut rem valde diversam tangamus, notanda est evolutio quae ultimis annis orta est in tolerantia et, dein approbatione formarum apostolatus a mulieribus exercendi, sc. in cura infirmorum, matrum parturientium et puerorum.

Ex his apparet absoluta necessitas pro Canonistis et Superioribus religiosis historiae iuris canonici studere ad rectum de mente Ecclesiae iudicium servandum et ad vitam religiosam sapienter necessitatibus temporis, locorum et personarum adaptandam.

J. Creusen, S. I.

Casus varii
de alumnis Seminarii admittendis in familiam religiosam

Cassianus, magister novitiorum Congregationis religiosae iuris pontificii sequentia nobis exponit:

Sum magister novitiorum in domo N. nostrae Congregationis ad quam quotannis non nulli alumni ex diversis Seminariis convolare solent. Post decretum « Consiliis initis » 25 iulii 1941, non nulla dubia et difficultates nobis occurrunt in alumnis admittendis qui ex Seminariis veniunt, in sequentibus casibus:

a) Congregatio nostra Seminarium minus sat florens moderatur in quo, communi consilio cum Episcopis regionis, instituuntur simul candidati tum ad nostram congregationem tum ad sacerdotium in respectivis dioecesibus. Ex illis aliqui, inde ab initio, propositum habent sacerdotium exercendi in Congregatione religiosa; alii vero in dioecesi: alii, et maiorem partem constituunt, sacerdotium quidem appetunt, utrum in dioecesi an in congregatione non bene percipiunt in primis annis, sed tantum versus finem institutionis, i. e. quando ad aetatem quindecim vel sexdecim annorum pervenerunt. Absolutis studiis mediis mos est ut qui vocati videntur ad sacerdotium in dioecesi, Seminarium maius petant; qui vero ad Congregationem, novitiatum.

Quaero igitur, 1° utrum in virtute decr. supra citati, antequam familiae religiosae adscribantur qui in hoc Seminario instituti sunt, recurrendum sit ad Sacram Congregationem de Religiosis.

b) Congregatio nostra, Seminarium dioecesanum commissum habet, ex quo etiam quotannis aliqui, sive ex cursu philosophico sive ex theologico, transire solent directe in noviciatum nostrum.

Quaero 2°, utrum etiam pro ipsis recursus interponendus sit ad Sacram Congregationem.

c) Demum, quotannis etiam non nulli ex diversis Seminariis petunt ut admittantur in nostram Congregationem, et directe, nulla mora interposita, vel paucis diebus vacationum apud familiam interpositis, transire solent in noviciatum.

Quaero, 3°, utrum pro ipsis requiratur recursus ad Sacram Congregationem.

I. Ut responsum demus Cassiano, prae oculis habitis commentariis a R. P. Creusen, S. I. editis [1], sequentia notare iuvat: 1° Decretum constituit novam legem, in qua novae conditiones adduntur iis quae in Codice continentur pro admittendis alumnis Seminarii in familiam religiosam vel religiosis in Seminarium; quare stricte est interpretandum. 2° Finis decreti minime est impedire vel quomodocumque obstacula apponere iis qui, studio perfectionis, e Seminario convolare cogitant in familiam religiosam. 3° Sed finis praecise est occurrere non nullis defectibus qui exsurgere possunt si in familiam religiosam admittantur ii qui vere a Deo vocati non sunt. Et quia fieri potest ut ii qui e *Seminario egressi sunt*, documenta quidem requisita in canonibus 544 et seq. exhibeant, tamen aliquid desideretur ad plenam circa candidatum informationem quod vel superioribus religiosis a superioribus Seminarii reticetur, vel manifestari non potest sine gravi incommodo, ideo Sacrae congregationes de Religiosis et de Seminariis exigunt ut ad ipsas recurratur. Sacrae enim Congregationes et uberiores informationes accipere possunt, et, sine ullo nocumento Seminarii, vel candidati, iudicium maturum dare possunt circa qualitates requisitas ad veram vocationem alicuius candidati cognoscendam. 4° Cautelae maxime necessariae cernuntur quando agitur de illo

[1] Cf. Period. vol. XXX (1942) pg. 73-81, textum Decr. et commentaria.

candidato, qui, vocationi sacerdotali valedicens, e Seminario *egressus* ad vitam secularem *reversus est*.

II. Quoniam ad respondendum Cassiano perpendenda est vis verborum, « *e Seminario egressi sunt* », paulum in ea explicanda inmorabimur.

Textus Decr. ita sonat: « Itemque antequam familiae religiosae adscribantur qui, quavis de causa, e Seminario egressi sint, Superiores Religiosi ad Sacram Congregationem de religiosis recurrant, quae de suo iudicio Superiores certiores faciet, peractis iis omnibus quae casus ferat ».

Subiectum ergo Decreti in hac parte sunt ii « qui e Seminario, quavis de causa *egressi* sunt ».

Ut nobis videtur, si verba sensu obvio sumantur intelligenda sunt *de iis tantum*, qui *Seminarium dereliquerunt, sine ulteriore proposito vacandi servitio divino*, sed ad *vitam laicalem instituendam* descendunt. Et hoc quacumque de causa, sive culpabili sive inculpabili, ex. c. quia a parentibus per vim adducuntur.

III. Nostra ergo opinione non comprehenduntur hoc decreto, ii qui directe, firmo perseverante proposito vacandi servitio divino e Seminario *transeunt* in familiam religiosam.

Rationes hae sunt: *a*) Verba Decreti, quae hanc interpretationem admittunt. Ergo si, eam admittunt et danda est, cum ex natura rei Decretum sit stricte interpretandum. Quod autem admittant probari posse videtur ex significatione verbi « egredior, egredi » (andar fuori, uscire) quod non supponit terminum ad quem. Qui vero ex uno Seminario in alium transit, non dicitur egredi e Seminario. *b*) Et requidem vera ut exemplo allato stemus, si seminarista transire cupit ex uno Seminario in alium informationes directe petuntur et nullo negotio expediuntur; si e contra agitur de illo qui « egressus » ex uno Seminario *postea* cupit alium ingredi, severius tractatur; si vero fuisset *dimissus*, diligentiores requiruntur investigationes in can. 1363. Nunc vero severius procedendo, lex exten-

ditur etiam ad illos qui aliis de causis egressi sunt, puta libera determinatione. *c*) Ex contextu Decreti argumentum sumi posse pro nostra interpretatione putamus. Nam ubi de admittendis in Seminario agitur dicitur « qui quocumque titulo ad familiam religiosam pertinuerint » quae sensum omnino universalissimum habent; hic vero verbum adhibetur quod extensionem quoad subiectum restringere velle videtur. *d*) Vox praeterea « Egredi » sicut et vox « Transire » habent in Iure canonico significationem propriam quae praeferenda est aliis interpretationibus mere possibilibus, vel sensui litterali nimium inhaerentibus.

In titulo enim XV part. II, Lib. 2, Codex agit de *egressu* e religione. Ibi egredi constanter significat « religionem deserere » a « religione excludi » (can. 637), a religione separari » (can. 640 § 3, 10). Si iterum vitam religiosam amplecti vellet, eget indulto apostolico et iterum in religione « recipitur ». Egressus habetur multis de causis; at semper significat actum in quo terminus a quo est religio, quae derelinquitur, sine determinatione termini *ad quem*. Cfr. etiam can. 681.

E contra verbum adest « *transire* » quod applicatur iis qui ex una religione in aliam transferuntur; ubi ergo et terminus a quo et ad quem designantur ut constat ex can. 632 et seq.

Iam vero transitus e Seminario in vitam religiosam est transitus ab Ecclesia approbatus, et per se laudandus, si religio sit clericalis, utpote maioris perfectionis causa instituendus. Ideo Codex distinguit ingressum in religionem factum a simplice fideli et a seminarista vel clerico, can. 544. Hi iuridice non habentur ut « *egressi* » e Seminario, sed ut e Seminario in religionem « transitum » facientes. *e*) Demum ratio legis idem suadere videtur. Agitur de cautelis ad obtinendum ne in Religionem admittantur ii qui revera a Deo vocati non sunt, minime vero de impediendis vel retardandis vocatis, in boni propositi exsecutione. Qui quavis de causa Seminario valedixit ar-

gumentum praebet ad dubitandum de idoneitate ad vitam religiosam; qui vero, dum in Seminario permanere optime posset, consilium init amplectendi statum religiosum, is id quaerit quod omnino congruit cum studio perfectionis quod Spiritus Sanctus suscitare in Ecclesia sua non intermittit.

IV. Quibus positis facilis erit responsio ad singula dubia Cassiani.

Ad 1. Tale Seminarium iuridice considerari potest simul ut Seminarium dioecesanum et Congregationis. Ergo pro ipsius alumnis, sive Seminarium sive Congregationem petentibus, recursus non requiritur.

Ad 2. Quod Seminarium moderetur Congregatio per se non mutat naturam ipsius. Ergo pro « egressis » e tali Seminario etiam interponendus esset recursus ad S. Congregationem. Qui vero directe, vel brevioribus interpositis vacationibus, *transeunt* e Seminario in familiam religiosam, utpote non egressi, Decreto nullo modo comprehenduntur. Ergo admitti possunt, servatis de iure servandis sine praevio recursu ad S. C. de Religiosis.

Ad 3. Idem respondendum est quod ad 2.

Quae cum ita sint, quotiescumque agitur de *transitu* alumni Seminarii dioecesani in Religionem, nullus requiritur recursus ad S. C. de Religiosis; requiritur vero quando de alumno agitur, qui, sive dimissus sive sponte, a vocatione ecclesiastica recessit, ut vitam saecularem ageret.

U. López S. J.

Parva quaedam animadversio.

In nova Instructione quam S. C. de disciplina Sacramentorum dedit circa investigationes a parocho ante matrimonium celebrandum peragendas, notula quaedam occurrit, impedimentum mixtae religionis spectans, quae aliquam difficultatem facessere potest [1].

Legitur enim p. 301, nota 6, impedimentum, ex responso Pont. Comm. ad Codicis canones auth. interpr. diei 30 iul. 1934, ad I, eos quoque afficere qui sectae atheisticae adscripti sunt vel *fuerunt*.

Haec postrema verba « *vel fuerunt* » supprimenda esse videntur. Respondit enim Commissio Codicis praefato die *affirmative* huic quaestioni: « An ad normam C. I. C., qui sectae atheisticae adscripti sunt vel fuerunt, habendi sunt quoad omnes iuris effectus, etiam in ordine ad sacram ordinationem et matrimonium, ad instar eorum qui sectae acatholicae adhaerent vel adhaeserunt ». Ratio cur quaestio sic est posita, respiciens sc. non solum tempus praesens sed etiam praeteritum, in eo est quod et interpretationem canonis 542 intendebat, ubi legimus illos invalide admitti ad novitiatum qui sectae acatholicae aliquando, tempore sc. praeterito, adhaeserunt. Ad omnes enim iuris effectus extenditur. Etiam cum applicatur irregularitatibus (cf. can. 985, 1°) aliisque sacrae ordinationis impedimentis (cf. can. 987, 1°) tempus praeteritum omnino respiciendum est.

Cum vero adhibeatur ad definiendum impedimentum mixtae religionis, tempus praeteritum iam fit superfluum; nam c. 1060, quo hoc impedimentum statuitur, non dicit illud existere inter duas personas baptizatas, quarum una semper fuit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae vel actu sit vel olim fuerit, sed quarum al-

---

[1] Cfr. *A.A.S.* XXXIII (1941) pg. 297-318; Period. XXX, 350.

tera sectae haereticae seu schismaticae actu sit adscripta. Sin minus, qua ratione alteram dumtaxat vocaret catholicam? Quare, sicut nullum dubium est impedimentum mixtae religionis nequaquam vigere inter duas personas, quarum altera catholica sit a nativitate, altera vero a conversione ad unitatem verae Ecclesiae, ita etiam evidens est nullum impedimentum existere si altera, adscriptione sectae atheisticae reiecta, iam dudum ad unitatem rediit. Ut ergo ansa cuilibet confusioni tollatur, verba « vel fuerunt » in nota 6 p. 301 huius novae Instructionis melius omitterentur.

Ios. Creyghton S. J.

MONUMENTA

17 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Nuntius Radiophonicus

(*AAS* XXXIV [1 iunii 1942] p. 154)

A BEATISSIMO PATRE, ANNO XXV VERTENTE AB INITO EPISCOPATU, DIE XIII MENSIS MAII A. MDCCCCXLII, ORBI UNIVERSO DATUS.

Riconoscenza verso il Datore di ogni bene

Circondati dal concorso fedele e raccolto del popolo dell'Eterna Città e in intima paterna comunione con i milioni di credenti cristiani del mondo intero, domani, solenne festività dell'Ascensione di Gesù Salvatore al cielo, ascenderemo all'Altare papale della Patriarcale Basilica Vaticana per offrire a Dio con profonda umiltà e commossa devozione il Sacrificio eucaristico. Verso il Datore di ogni bene Ci anima e Ci trae una intensa riconoscenza, pervasi come siamo da un soave indicibile gaudio interiore, che il giorno d'oggi ridesta in Noi col ricordo della Nostra consacrazione episcopale, ricevuta, or sono venticinque anni, dalle mani di un venerato e indimenticabile Nostro Predecessore; rimembranza cara, che, mentre fa sgorgare dal Nostro animo l'inno di lode a Dio, Ci muove a implorare con veemente ardore la benedizione celeste sul gregge del Signore, affidato alle Nostre sollecitudini pastorali, e sul lavoro e sulla pena della Chiesa per la salvezza del mondo.

I travagli dell'ora presente

Questo giorno, che dovrebbe splendere di pura e serena gioia per il mondo cattolico, ricorre in un tempo di gravissime angustie e sofferenze, delle quali apparisce quasi vivace rappresentazione della realtà la parola del Salvatore: *Consurget... gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiae, et fames, et terraemotus per loca*[1]. In così universale calamità come potrebbero aver posto, pur nel campo religioso, i festeggiamenti propri dei giorni lieti e felici? La tragica violenza degli avvenimenti, in cambio che al gaudio, invita alla penitenza e al ravvedimento, incita all'esame e alla purificazione, ammonisce a mutar avviamento e cammino al pensiero, al volere, all'azione. Onde per Noi, diletti figli, è fonte di commozione, di vivo compiacimento, di tranquillità, il sapere che il Nostro giubileo viene celebrato in tutto il mondo cattolico con preghiere e con sacrifizi per il bene della Santa Chiesa, non meno che con generose largizioni in pro di mille e mille fratelli, che nella loro indigenza, così varia e dolorosa, battono fiduciosi alle porte della carità cristiana, che pur soffre e sopporta con loro.

Fra il tumulto e gli universali disagi dell'ora presente l'impenetrabile ordinamento divino ha disposto che oggi siamo Noi a sostenere il peso della sollecitudine pastorale, cui venticinque anni fa portava il magnanimo cuore di Colui che con la imposizione delle mani all'altare della Cappella Sistina Ci faceva il dono della pienezza del sacerdozio: eredità santa, ma quanto grave e dolorosa! Il cammino, per il quale poi l'amorevole Provvidenza di Dio Ci condusse, finiva di nuovo alla Sistina, dove era alle deboli Nostre forze imposta la dignità del Sommo Pontificato, di cui Ci sentiamo profondamente immeritevoli, e con tale dignità uno smisurato fardello, fattosi con lo

[1] Matth. XXIV, 7.

scoppiare e il dilatarsi di questa seconda guerra mondiale tanto ponderoso da sorpassare quel che fu nella prima ai giorni di Benedetto XV.

Incrollabile fiducia

Nel resto, diletti figli, invano saremmo passati per la scuola di Leone XIII, così luminoso per la sua sapienza; di Pio X, così insigne per la sua pietà; di Benedetto XV, così ricco di lungimirante consiglio; di Pio XI, così pieno di santo coraggio e ardimento, se, in mezzo al turbine di tanto generale tormenta, comportassimo che, pur solo per un istante, venisse a vacillare in Noi quella certezza, fondata nella fede, corroborata dalla speranza, maturata nell'amore, la certezza, cioè, che il Signore non è mai tanto vigile e vicino alla sua Chiesa quanto nelle ore che i suoi figli, premuti dalle ansietà e dalle tempeste, potrebbero esser mossi a gridare: « O Maestro(non t'importa che affondiamo? o Signore, salvaci; periamo »[2].

Presso il sepolcro del primo Papa

E tale tranquilla sicurezza dove l'animo Nostro la conforta e rassoda? Al sepolcro di Pietro, primo Vescovo di Roma. Quando, chinati avanti a quella tomba, Ci fissiamo a ripensare gl'inizi della Chiesa, Ci par di vedere il primo Papa, destinato da Cristo stesso ad essere di lei la Pietra fondamentale, levare il capo glorioso, e dirCi: *Obsecro consenior et testis Christi passionum... pascite qui est in vobis gregem Dei*[3]. Allora contempliamo in tutti i Nostri buoni figli dell'universo, schierati intorno a Noi, innumerevoli al pari dell'arena del mare; allora il Nostro cuore si allarga, e sentiamo l'intimo e profondo bisogno di aprire il labbro, e di pascere il cuore di cia-

[2] MARC. IV, 38; MATTH. VII, 25.
[3] *I Petr.* V, 1.

scuno di voi del pane di quella ferma fiducia che franc-heggia il Nostro.

Primavera della Chiesa

Anche la Chiesa ebbe ed ha la sua primavera, meravigliosa come lei. Le tre grandi solennità della Pasqua, dell'Ascensione e della Pentecoste, nella stagione, in cui la natura, risvegliandosi a nuova vita, si adorna di verde e di fiori, e con interno travaglio si prepara a fare il dono delle sue messi e dei suoi frutti, non formano forse una primavera spirituale, che ci rende più dolce e cara e bella la primavera della natura? Esse sono un sole di tre somme verità, di tre grandiosi fatti storici, di tre misteri di primo fulgore nell'opera della redenzione; sono tre pilastri fondamentali e inconcussi del gigantesco edificio della Santa Chiesa. Nella loro luce, nella loro soprannaturale saldezza, queste verità, ad ogni secolo della storia della Chiesa ugualmente presenti e ugualmente patenti a tutte le generazioni dei fedeli, illuminano con la loro realtà storica la primavera del Cristianesimo, il suo verdeggiare, il suo vigoreggiare e il suo fiorire pur tra i venti e le procelle; perchè il Cristianesimo è nato gigante, cinto la fronte dei raggi di quelle tre verità, che danno inizio all'epoca, designata a giusto titolo come eroica: i tre secoli dalla fondazione della Chiesa fino alla pace con l'Impero romano nell'anno 312 al tempo di Costantino.

Vita eroica dei primi cristiani

Questi tre fondamentali misteri, quali fulgidissimi splendori di quella luce del mondo che è Cristo, dirigono e accompagnano il cammino della giovane Chiesa Sposa di Cristo, ne scorgono i passi e la rincuorano a sollevarsi, attraverso la buia selva del paganesimo, e a poggiare al monte della predestinata sua grandezza. La mente, con

tenace costanza, avvinta alla fede nel Risorto e nella propria risurrezione, l'occhio rivolto con santa bramosia al Glorificato, sedente alla destra del Padre, e alla celeste Gerusalemme, eterna e felice dimora per quei che resteranno fedeli fino al termine, l'anima dominata dalla certezza della presenza corroborante dello Spirito, promesso e inviato da Gesù; i primi Cristiani voi li vedrete grandeggiare per altezza di pensiero, per vigore di azione, per coraggio e gara di morali eroismi, nell'affermazione della fede, nelle lotte e nelle sofferenze, lasciando un esempio, la cui forza conquistatrice si palesa e si propaga di secolo in secolo fino ai nostri giorni, anzi più che mai ai nostri giorni, quando per salvare e custodire l'onore e il nome cristiano è necessario sostenere non dissimili lotte e affrontare non dissimili cimenti. Davanti a tali atleti, sul cui capo con l'alloro vittorioso della milizia cristiana s'intreccia spesso la palma del martirio, scompare ogni incertezza ed esitanza. L'ammonimento, che a così gran voce ci dà la loro vita eroica, non basta forse a snebbiare le menti, a rinvigorire i cuori, a rialzare le fronti dei Cristiani di oggi, rendendoli consapevoli della nobilissima dignità, anelanti all'eccelsa grandezza, pensosi della responsabilità, che infonde nei loro animi la professione cristiana?

Quattro note caratteristiche della giovinezza della Chiesa

Di questa prima cristianità, ai cui inizi ci riconducono le prossime solennità dell'Ascensione e della Pentecoste, il profilo spirituale rifulge di quattro note caratteristiche e inconfondibili:

1) incrollabile certezza di vittoria, appoggiata su una fede profonda;

2) serena e illimitata prontezza al sacrificio e ai patimenti;

3) ardore eucaristico e interiorità, erompente dalla convinzione intima dell'efficacia sociale di un pensiero eucaristico su tutte le forme della vita sociale;

4) aspirazione verso una unità di spirito e di gerarchia sempre più compatta e infrangibile.

Questo quadruplice carattere della giovinezza della Chiesa presenta in ognuna delle sue note dominanti un appello e in pari tempo una speranza e una promessa per la Cristianità dei nostri giorni. Ma il vero Cristianesimo di oggi non è diverso dal primitivo. La giovinezza della Chiesa è eterna; perchè la Chiesa non invecchia, mutando il passo secondo le condizioni del tempo, nel suo cammino verso l'eternità: i secoli che conta sono per lei un giorno, come sono un giorno i secoli che aspetta. La sua giovinezza dei tempi dei Cesari è la medesima che parla a noi.

1) *Sicurezza di vittoria*

La sicurezza di vittoria della primitiva Chiesa traeva alimento, franchezza e imperturbabilità dalle parole del Maestro: *Ego vici mundum* [4]. Io ho vinto il mondo! parole che ben potevano scriversi sul legno della sua croce, vessillo dei suoi trionfi. Fate che la Cristianità d'oggidì sia penetrata e infiammata dal vivo e luminoso fuoco di questa parola; e voi sentirete in cuore la tranquillità e dolce fiducia della vittoria che vi assicura: all'estremo scomparire di questi giorni tenebrosi, onde tanti sono e vivono atterriti e abbattuti, non avverrà ciò che paventano i pusillanimi, ma appariranno raggianti e appagate le speranze dei cuori fedeli e magnanimi.

La Chiesa di oggi non può ritornare puramente e semplicemente alle forme primitive del piccolo gregge iniziale. Nella sua maturità, che non è vecchiezza, serba ritta la fronte, e nelle sue membra mostra immutato il

[4] Ioann. XVI, 33.

vigore della sua giovinezza; resta quella che fu dalla sua nascita, sempre la medesima. Non muta nel suo dogma e nella sua forza: è inespugnabile, indistruttibile, invincibile. E' immobile, incancellabile nel suo documento di fondazione, sigillato col sangue del Figlio di Dio; eppur si muove, eppure prende nuove forme con l'età in cui s'inoltra, facendo progresso, non già mutamento della sua natura, perchè disse mirabilmente Vincenzo di Lerino, la religione delle anime ha da imitare il modo dei corpi, i quali, sebbene nello svolgersi e crescere aumentino il numero dei loro anni, rimangono tuttavia quei medesimi che erano [5]. Con alterezza potendo guardare impavida al suo passato e al gigantesco edificio quasi bimillenario di magistero e di disciplina, innalzata mercè il pieno schiudimento e chiarimento del deposito di verità ad essa affidato, non meno che per efficacia dell'irrobustimento e della perfezione della sua interna unità e dello sviluppo della sua liturgia, gravitante intorno al Sacrificio della Santa Messa, e ai Sacramenti, e, infine, per quel fermento dello spirito cristiano che più e più, conforme ai tempi, viene insinuandosi in tutte le forme e condizioni di vita: la Chiesa, pervenuta ormai alla matura sua missione di madre universale del popolo credente, davanti a bisogni e doveri più vasti, non consentirebbe, senza essere infedele a se stessa, di torcere i suoi passi verso le forme di vita e di azione dei primi tempi. Il Cenacolo è diventato un tempio maggiore di quel di Salomone; il piccolo gregge [6], moltiplicato, ha varcato i fiumi e i monti e va cercando tutti i pascoli della terra; il granello di senapa, come promise e volle il Signore, si è fatto un albero immenso, alla cui ombra posano i popoli. No; non vi può essere per la Chiesa, i cui passi Iddio dirige e accompagna nel corso dei secoli umani, non vi può essere per un'anima cristiana, che ponderi la storia nello spirito di Cristo, indietreggiamento

[5] *Commonit.* n. XXII; MIGNE, *PL*, t. L, col. 668.
[6] LUC. XII, 32.

verso il passato, ma solo ansia per avanzare verso l'avvenire e sollevarsi.

2) *Prontezza al sacrificio*

In un senso, tuttavia, il ritorno della Chiesa ai suoi inizi è ai nostri tempi una dura, ma nobile realtà. Come ai primordi e più che in non poche altre epoche, la divina fondazione di Cristo, benchè non timida degli avversari, in più di una regione è oggi in lotta per la sua esistenza. L'ateismo pugnace, l'anticristianesimo sistematico, il freddo indifferentismo le fanno guerra, valendosi di concezioni e pensamenti che in nulla convengono con le pacate consuetudini delle elevate controversie, ma più volte si convertono nelle bassezze della violenza. Di nuovo oggi come allora, in alcuni Paesi, autorità dimentiche dei legami morali e proclivi a mutare il diritto colla forza rinfacciano ai cristiani le stesse infrazioni di legge che i Cesari dei primi secoli pretesero di rinvenire in Pietro e in Paolo, in Sisto e in Lorenzo, in Cecilia, in Agnese, in Perpetua, e nella innumerabile schiera di quegli innocenti, i quali ora splendono dell'aureola dei martiri quaggiù agli occhi della Chiesa e in cielo innanzi all' Agnello. E il delitto, che si rimprovera ai cristiani qual altro è mai se non la loro incrollabile fedeltà al Re dei re e al Signore dei dominanti?

Nè per altra ragione anche oggi la viva fede nel Figlio di Dio, la sottomissione alla sua legge, l'unione spirituale con la sua Chiesa, l'adesione ai suoi rappresentanti terreni ha valso in alcuni luoghi una catena ininterrotta di sospetti e di contumelie, di rifiuti e di esclusione, di diminuzione di persona e di merito, di strettezze e di angustie, di povertà e di dolori, di miserie e di svantaggi e danni corporali e spirituali. In tali condizioni, timori e pericoli, che resta al tempo nostro, diletti figli, se non ogni ragione di rifarci all'età della prima Chiesa, e dai

magnifici esempi di quei cristiani, dalla loro fede ardente, dal loro animo imperterrito, dalla loro cosciente sicurezza di vittoria, attingere, come da fonte di coraggio e di salvezza, nuova forza, nuovo impulso, nuova costanza, pensando che tutto ciò che essi hanno creduto, sperato, amato, implorato, operato, sofferto e gloriosamente meritato, è pur vita e gloria nostra e tesoro immarcescibile della Chiesa? La visione dei trionfi riportati dalla Chiesa primitiva raffermi e innalzi la vostra speranza e vi dischiuda l'orizzonte di nuovi trionfi nel tempestoso presente. Presto o tardi la transitoria sequela di imperversanti turbamenti non farà che mettere in più fulgida luce la verità consolante della parola dell'Apostolo prediletto: *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra*[7].

Che il sigillo del sangue, che, nelle prove di secoli di sofferenze e di sacrifici, abbelliva la giovinezza della Chiesa, ci appare oggi come il rubino più lampeggiante del suo diadema di trionfo; anche per la Cristianità dell'età nostra la grandezza della futura vittoria, conquistata nel fuoco di tormentose tribolazioni, corrisponderà alla generosità del sacrificio. La robusta e deliberata volontà di quegli eroi, *qui nos praecesserunt cum signo fidei,* potè forse venire abbattuta dal furore di un Nerone o di un Diocleziano o dalle insidiose arti di un Giuliano l'Apostata? La serenità della loro prontezza, senza limiti davanti a ogni genere di supplizi e di martirii, non si turbavano nè vacillava in mezzo a oltraggi sopra oltraggi, a ferite sopra ferite, a violenze e astuzie degli avversari di Cristo. Una cristianità, al cui sguardo quell'eroismo dei primi secoli sia sempre presente, non è mai che non rimanga fedele allo spirito della parola, scritta da Pietro, mentre infieriva la persecuzione: *Si quid patimini propter iustitiam, beati*[8]. Essa si mostrerà degna del retaggio dei padri, e, consapevole dell'altezza della sua missione, conseguirà,

[7] *I Ioann.* V, 4.
[8] *I Petr.* III, 14.

nell'ora da Dio preparata, duramente, ma gloriosamente, una pace, che la trarrà ad esclamare insieme con l'Apopostolo delle Genti: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam* [9].

3) *Ardore eucaristico*

Ma donde mai coglieva vita e calore la coraggiosa fede dei primi cristiani? Dall'unione eucaristica con Cristo, fonte di condotta morale, pura e grata a Dio. Alla mensa del pane dei forti sentivano accendersi in cuore un ardore che diceva e diffondeva energia e pace; si sentivano fratelli e sorelle in Cristo, nutriti del medesimo pane e della medesima bevanda, uniti in fraterna società da un medesimo amore, da una medesima speranza che non fallisce, stretti da un interno e sublime vincolo che di mille cuori e mille anime fa un'immensa famiglia con un cuor solo e un'anima sola. Sull'altare, sotto il velo di cibo e di bevanda, si faceva presente il Dio delle anime loro e delle vittorie, che avrebbe innalzato i suoi labari al posto delle aquile romane per la conquista del mondo, di un mondo, di cui Roma sarebbe stata centro, non del potere, ma della fede.

E centro della fede è il pensiero eucaristico, come nei primi secoli, così ancora oggidì. Il suo incremento nella Chiesa e la sua irradiazione spirituale e vivificante sull'umanità tormentata da egoismo, da invidia, da contrasti, da contraddizioni, da secessioni dal dogma del Cenacolo, ha da farsi più vivo e potente a chiamare i cuori all'agape divina, a disghiacciarli, a infiammarli e preparare in essi il tepore per la primavera di un concerto di mente e di azione fraterna, che tutti aduni concordi e in pace intorno al Dio del tabernacolo. Nel santificante segno dell'Eucaristia la Chiesa di oggi porge gioiosa e

---

[9] *I Cor.* XV, 57.

commossa la mano alla Chiesa primitiva. La bontà e l'invito di Cristo, vivente in mezzo a noi, non vengono mai meno; e se Egli ha aperte le fonti del benefico e largo fiume eucaristico per mezzo dell'atto provvidenziale ispirato all'incomparabile Pio X, nella stessa misura in cui erano aperte nei primi secoli, pur ben considerava che il tempo, in cui noi viviamo, chiede da noi non minore fermezza di fede, non minore purezza di costume, non minore amore fraterno, non dissimile prontezza al sacrificio, onde fu grande e mirabile la prima età della Chiesa.

4) *Unità di spirito e di gerarchia*

Nè meno mirabile e grande fu allora l'anelito della giovane sposa di Cristo per la conservazione, l'ordine e il consolidamento di una inscindibile unità, che legasse fedeli e Gerarchi. Oggi, quando la separazione di tanti fratelli dalla Sede di Pietro è venuta a così tragiche conseguenze con danno di tutta la cristianità e con scemata efficacia della loro azione nel mondo, laddove l'unione vitale fra Pastore e gregge nel mondo cattolico estende e mostra sempre più evidenti i suoi benefici effetti, si eleva anche con maggior veemenza dal cuore dei fedeli di Cristo verso il cielo la preghiera *ut unum sint;* alla qual preghiera si associano molti altri, pur vivendo fuori della Chiesa visibile, con sincerità e bramosia, perchè in un mondo avverso a Cristo stimano in pericolo fin l'esistenza del Cristianesimo.

E donde questa invocazione di unità di tutti i credenti potrebbe con impeto di più intima carità innalzarsi verso Colui, che primo la porse al Padre e illumina le menti e muove i cuori, se non da questo sacro colle, verso cui gli animi e gli orecchi del mondo cattolico in quest'ora si volgono, diretti *ad Petri cathedram atque ad Ec-*

clesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est[10]; da quella rocca di verità e di salute, la cui alta e ampia mira nessuno comprese più profondamente e con più eloquenza descrisse di Leone Magno, Papa e Dottore della Chiesa, con le memorande parole: *Beatus Petrus, Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperii, ut lux veritatis, quae in omnium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet?*[11] Dove conviene che risuoni con maggior voce la preghiera *ut unum sint*, quando si ripensi alla primitiva Chiesa, unica e immacolata Madre di tutte le Chiese, se non in quella balza del Tevere, su cui, come seggio provvidenziale del primo Pietro e bastione spirituale del Cristianesimo, la grazia del cielo più apertamente e liberalmente si manifestò; su quella sponda, i cui fasti, in una delle pagine più luminose, possono segnare il glorioso martirio del Principe degli Apostoli e l'eccelso privilegio di aver offerto l'ultima dimora ai suoi resti mortali?

Recenti scavi nelle Grotte Vaticane

In questo dì, da questo sacro luogo, centro spirituale dell'orbe cristiano, proprio ai giorni nostri, mentre la Sposa di Cristo in varie parti ha da sostenere dure lotte e i suoi figli fedeli hanno da sopportare angustie molteplici per la loro aperta professione cristiana e per la loro devozione alla Chiesa, è per Noi, dilettissimi figli, un gaudio tutto particolare e nuovo il potervi annunziare e farvi udire il profondo grido, che, su dall'ombra avvolgente la tomba di Pietro, si sprigiona come appello della Cristianità passata alla Cristianità presente, e alla Nostra voce aggiunge, con provvido accordo, la rinata sua forza persuasiva.

---

[10] Cyprian. *Epist. LIX ad Cornelium Rom.*, XIV, 2.
[11] *Serm. LXXXII* c. 3; Migne, *PL*, t. LIV, col. 424.

Anche l'arena Vaticana, stiamo per dire, ha le sue catacombe. Gli scavi iniziati e proseguiti per Nostra disposizione, sebbene non ancora venuti a termine, nelle Grotte della Basilica Vaticana, di cui già, or è più di un anno, abbiamo fatto qualche cenno in occasione dello scoprimento del sepolcrale monumento del Nostro indimenticabile Predecessore, non ristanno dallo spargere nuova e larga luce appunto su quei primi tempi in cui il Vangelo della croce prendeva a risuonare per piantarne la radice della sua spirituale attrattiva nel suolo romano, e la giovane Chiesa si accingeva a salire l'aspro e cruento sentiero di quella lunga e secolare via dolorosa, che doveva condurla sotto Costantino al pacifico trionfo.

Importanti scoperte archeologiche

Già i lavori dell'anno testè decorso avevano rivelato, sotto la gran navata della Basilica, in linea diretta verso la Confessione, con accertamento non prima raggiunto, la esistenza di un grande cimitero pagano, i cui caratteristici monumenti fin dal primo secolo, erano sorti entro i termini di un'*area perpetuae sepulturae tradita,* già avanti in uso. Questa necropoli precristiana fornì chiarissima prova della esattezza della tradizione romana, la quale precisamente dentro la superficie di un tale cimitero pagano aveva cercato il sepolcro del Principe degli Apostoli.

Avanzando i lavori, ecco apparire le linee fondamentali della Basilica di Costantino in tutte le sue parti sostanziali con chiarezza sempre maggiore; e di grado in grado ecco manifestarsi le non comuni difficoltà, che l'architetto imperiale ebbe a superare, così dal lato tecnico, come dal lato psicologico, nel concepire e attuare la sua opera grandiosa. Chiunque discenda in questi scavi e si fissi ad esaminare e ponderare gli enormi ostacoli del terreno scabroso e irregolare del Vaticano, vinti per porre

le fondamenta, per livellare un'area sepolcrale, con i suoi monumenti numerosi e cari, veneranda anche alla Roma pagana e a molte famiglie, trova in quei superbi ruderi, che oggi si mostrano a noi, la prova più convincente che l'Imperatore non potè nè dovè seguire nella scelta del luogo per la sua Basilica ragioni di opportunità, ma che il sito gli fu imposto dalla precisa posizione del sepolcro dell'Apostolo.

Con la scorta di tali criteri e col sussidio di uno studio comparativo delle fonti corrispondenti, non è stato poi malagevole scoprire l'antica Confessione semicircolare, rimontante forse ai tempi di S. Gregorio Magno, sulle cui marmoree mure, fin dall'inizio del medio evo, innumerevoli pellegrini lasciarono inciso a ricordo il segno della santa croce.

Dal Settembre dello scorso anno fino ad oggi sono state ritrovate oltre mille e cinquecento monete, antiche e medievali, le quali dimostrano che quei pii pellegrini venivano non solo numerosi da Roma e dall'Italia, ma, si può dire, da ogni altra parte del mondo allora conosciuto: prima fra tutti la Francia, rappresentata dalle monete dei suoi Arcivescovi, Vescovi e Abati, dei suoi Re, dei suoi Duchi, Conti, Visconti, Signori; poi la Germania, i Paesi Bassi, la Svizzera, la Spagna, l'Inghilterra, la Boemia, la Livonia, l'Ungheria, la Slavonia, l'Oriente latino.

Ma nella sua parte centrale ove si elevano, uno sopra l'altro, tre altari di epoca diversa, lo zelo indefesso degli indagatori ha rinvenuto, semplice nella sua forma, un monumento, a cui però, molto prima dell'età costantiniana, la devozione dei fedeli aveva dato il carattere di venerando luogo di culto. Ciò testimoniano i graffiti, che si scorgono nell'interno del monumento su una parete, mostranti la stessa forma di quelli che presentano le tombe dei martiri nei cimiteri cristiani. Questi graffiti, che ci riconducono ai tempi delle persecuzioni, ci forniscono la certezza storica di qui possedere i resti di quel *tropaeum*,

del quale il presbitero Gaio parlava circa l'anno 200 d. C. con la sua espressione giubilante, tramandataci da Eusebio: *Ego autem Apostolorum tropaea possum ostendere* [12]: parole che ora ci fanno rivedere Gaio, ancora una volta, come presente nelle mistiche tenebre delle Grotte Vaticane. Al richiamo che Eusebio medesimo fa dei *Petri Paulique nomine insignita monumenta, quae in urbis Romae coemeteriis etiamnum visuntur* [13], aggiungete anche l'impetuosa domanda del Dottore della Chiesa Girolamo al presbitero Vigilanzio: *Male facit ergo Romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia et tumulos eorum Christi arbitratur altaria?* [14]; e voi vedrete quanto queste ed altre testimonianze ricevono di nuova luce e forza dalle scoperte e dagli accertamenti fin qui fatti. Tutte si compongono e si accordano in armonica unità insieme col linguaggio dei monumenti rinvenuti, in cui *saxa loquuntur.* E da questa armonia di tante voci non erompe forse potente il grido di certezza e sicurezza indefettibile della Chiesa primitiva, cresciuta nella sofferenza e nella lotta; grido che essa rivolge, quale ammonimento di fede e speranza di vittoria, a coloro che sono chiamati ai nostri giorni, torbidi, ma forieri di grandi e decisivi eventi, così per conservare o ridonare all'umanità errabonda e assetata di pace le benedizioni del Redentore, come per assicurare alla Croce di Cristo entro il vallo di questa umanità quell'ara che ad essa e solo ad essa compete?

La Chiesa e il conflitto mondiale

La divina missione della Chiesa, fondata immobile sulla rupe di Pietro, come non ha limiti di spazio sulla

---

[12] *Hist. Eccl.* l. II, c. 25; MIGNE, *PG*, t. XX col. 210.
[13] Ibid. loc. cit.
[14] *Contra Vigil.* cap. VIII; MIGNE, *PL*, t. XXIII col. 361-362.

terra, non ha nella sua azione limite che il tempo dell'umanità; ma al pari del volgere di ogni età, anche il momento presente offre e impone a lei nuovi e particolari propositi, doveri e cure. Le grida di soccorso, che ogni giorno a Noi vengono rivolte, Ci direbbero, se giá non lo sapessimo, che cosa domandi ed esiga dalla Chiesa quest'ora che incalza e preme: porre in azione la sua autorità, perchè il presente immane conflitto abbia fine, e fiume di lacrime e di sangue metta foce in una pace per tutti equa e duratura.

La Nostra coscienza Ci rende testimonianza che dal momento, in cui l'arcano disegno di Dio affidò alle Nostre deboli forze il peso, oggi tanto gravoso, del Sommo Pontificato, abbiamo, sia avanti lo scoppio della guerra, sia durante il suo corso, lavorato per la pace con tutto il Nostro animo e vigore e nell'ambito del Nostro ministero apostolico. Ma ora che i popoli vivono nell'ansia dolorosa di attese nuove operazioni imminenti, cogliamo l'opportunità offertaCi dall'odierna ricorrenza, per dire, ancora una volta, una parola di pace; e la diciamo, coscienti come siamo di assoluta imparzialità verso tutti i belligeranti e con pari affetto, senza alcuna eccezione, verso tutti i popoli.

Ben sappiamo come, nello stato delle cose d'oggi non avrebbe fondata probabilità di buon successo il formulare particolareggiati propositi per una pace giusta ed equa. Anzi ogni volta che si pronunzia una parola di pace, si rischia di offendere l'una o l'altra parte; infatti, mentre gli uni fanno fondamento sui risultati ottenuti, gli altri ripongono la loro speranza sui futuri combattimenti. Se però il raffronto presente delle forze, dei guadagni e delle perdite nel campo politico e militare non fa scorgere immediate possibilità pratiche di pace; le distruzioni prodotte dalla guerra fra i popoli nel campo materiale e spirituale vengono intanto accumulandosi a tal segno, da invocare, a fermarne il crescere, ogni sforzo che valga per

raggiungere una rapida fine del conflitto. Pur prescindendo da arbitrarie violenze e crudeltà, contro le quali in precedenti circostanze abbiamo levato la Nostra voce ammonitrice — e lo facciamo oggi con più viva insistenza scongiurante, anche di fronte a minacce di procedimenti ancor più micidiali —, la guerra, già per se stessa, con la perfetta tecnica delle armi, cagiona pene, stenti e sofferenze ai popoli. Il Nostro pensiero va ai valorosi combattenti, alle moltitudini che vivono nelle zone di operazioni, in territori occupati o entro il proprio paese. Pensiamo — e come non potremmo pensare? — ai caduti, ai milioni di prigionieri, alle madri, alle mogli, ai figli, pur nel vivo loro amor di patria in preda ad angoscia mortale; pensiamo alla separazione degli sposi, allo sfacelo della vita familiare, alla carestia e alla penuria economica. Ognuno di questi nomi di mali e di rovine non dice forse un numero senza numero di casi strazianti, nei quali si assomma e si condensa quanto di più lacrimevole, acerbo e tormentoso siasi giammai rovesciato sopra l'umanità, così da far paventare un prossimo avvenire di gravi e oscuri cimenti economici e sociali?

Se per decenni un gigantesco studio e sfoggio d'intelligenza e di buon volere si era consacrato a escogitare e attuare una soluzione della questione sociale; oggi i popoli devono osservare come le ricchezze nazionali, la cui saggia amministrazione a pubblico vantaggio costituiva uno dei fondamenti di quella soluzione, sono impiegate, a centinaia di miliardi, per distruggere beni e vite.

La guerra e la famiglia

Ma dalle angustie e dai travagli familiari, da Noi accennati, sorge, dietro al fronte di guerra, e si estende ormai per tutto il mondo, un altro vastissimo fronte, il fronte delle famiglie angosciate e ferite. Avanti il conflitto alcuni popoli, ora in armi, non valevano neppure ad equi-

parare le culle alle tombe; e, al presente, la guerra, lungi dal porvi rimedio, minaccia di sospingere a rovina i nuovi ceppi della famiglia fisicamente, economicamente e moralmente.

Ai Reggitori delle Nazioni vorremmo quindi dirigere una paterna voce di ammonimento: La famiglia è sacra; essa è la culla non solo dei figli, ma ancora della Nazione e della sua forza e della sua gloria. Non si stranii nè si devii la famiglia dall'alto scopo voluto da Dio! Che lo sposo e la sposa in fedele compimento dei loro doveri coniugali e familiari, trasmettano nel focolare domestico la fiaccola della vita corporea e, con essa, la vita spirituale e morale, la vita cristiana, alle novelle generazioni: questo vuole Iddio. Che nella famiglia, sotto la custodia dei genitori, crescano uomini di franco carattere e di retta capacità, futuri membri preziosi e senza macchia dell'umano consorzio, virili nei cimenti lieti e tristi, ubbidienti a chi comanda e a Dio: tale è la volontà del Creatore. Non si faccia del tetto familiare, e con esso anche della scuola, solo il vestibolo di un campo di lotta; non si stacchino, in maniera duratura, l'uno dall'altro, gli sposi; non si separino i figli dalla vigile custodia corporale e spirituale dei genitori; non si inaridiscano di frutto i proventi e le fortune della famiglia.

Unanime è il grido che dal fronte della famiglia giunge a Noi: rendetici alla nostra professione di pace! Se vi sta a cuore l'avvenire dell'umanità, se la vostra coscienza, davanti a Dio, dà qualche peso a ciò che valgono per l'uomo i nomi di *padre* e di *madre* e quel che fa la vera felicità dei vostri figli, restituite la famiglia alla sua opera di pace!

Esortazione alla pace

Come patrocinatore di questo fronte della famiglia, — dal quale voglia Iddio tener lontano ogni aperta via di

malaugurati e funesti turbamenti! — Noi rivolgiamo un caldo e paterno appello agli Uomini di Stato, perchè non si lascino sfuggire occasione alcuna, la quale possa schiudere ai popoli la strada ad una onesta pace di giustizia e di moderazione, ad una pace procedente da una intesa libera e feconda, anche se non dovesse corrispondere in tutti i punti alle loro aspettazioni. Il fronte universale della famiglia, che al fronte di guerra ha tanti cuori di padri, di sposi e di figli, i quali fra pericoli e travagli, tra speranze e brame, palpitano del doppio amore di patria e del tetto domestico, si rischiarerà e tranquillerà nella visione di un nuovo orizzonte. La riconoscenza dell'umanità e anche il consenso della propria Nazione non saranno per mancare a quei nobili e generosi Governanti, che, mossi non da debolezza, ma da senso di responsabilità sceglieranno la via e il terreno della moderazione e della saggezza, quando s'incontreranno con l'altra parte, dominata anch'essa dai medesimi sentimenti.

Con questa fiducia, non resta, diletti figli, che innalzare al Padre delle misericordie e dei lumi della sapienza, infocate preghiere, perchè affretti il sorgere dell'aurora di tanto bramato giorno. « Domandate e riceverete », ci inculcò il divin Redentore, Principe di Pace, che, mite e umile di cuore, a sè ci invita per porgerci ristoro nei nostri affanni e travagli. Rianimiamo in noi stessi lo spirito di amore. Teniamoci pronti con la nostra fede e col nostro braccio a cooperare, dopo il più esteso, desolato e cruento eccidio della storia, al formidabile e immenso lavoro di riedificazione e di risanamento, per ricostruire dal cumulo di rovine materiali e morali un mondo, cui unisca e pacifichi il legame fraterno, un mondo, in cui, con l'aiuto dell'Onnipotente, *nova sint omnia, corda, voces et opera*[15].

---

[15] Hymn. ad Matut. in Festo SS.mi corporis Christi.

Annotationes

I

Perlegenti attente allocutionem radiophonicam a S. Pontifice Pio XII habitam in postremis horis diei, in quo vigesimus quintus recurrebat annus ab eius consecratione episcopali, ilico apparet quam vehementi dolore inter tot tamque diversas nostrae aetatis calamitates cor eius paternum afficiatur. Id iam exinde patescit quod in commemorando eventu, natura sua permagna suavitate perfuso, tam amplus locus calamitatibus hodiernis describendis datus fuerit.

Atque in primis, utpote Caput supremum Ecclesiae et Pastor universalis christifidelium, mentem defigit in acerbis doloribus quos perferre debent non pauci, qui fidem dignitatemque christianam incolumen servare satagunt. Ac paucis sed pari tempore ponderosis verbis describit S. Pontifex graves insectationes quas sive Ecclesia, qua societas, sive singuli christifideles non una in regione sustinere debent praecise ob apertam professionem doctrinae a Christo Domino acceptae. Hac autem in re eo usque proceditur alicubi, ut merito dici possit in periculum adductam fuisse ibidem ipsam subsistentiam Ecclesiae.

Effrenata et methodica diffusio doctrinarum, quas sive athei sive antichristiani in deliciis habent, spiritus indifferentismi, qui non raro vita ipsa publica et sociali mirifice cooperante continuanter serpit, aliaque id genus adversantur summopere actioni salutari Ecclesiae. Quae oppositio minime continetur honestis limitibus serenae controversiae, sed plerumque usque ad usum exitialis violentiae procedere solet. Quod profecto fieri non posset, si auctoritas publica recte officio suo fungeretur.

Sed, ut ait S. Pontifex, etiam ipsa auctoritas publica, oblivioni tradens in nonnullis regionibus leges morales

quibus obstringitur, facilem se omnino praebet ad vim physicam, loco sacratissimi iuris, in regendis populis adhibendam. Primum vero accusantur christifideles eorum criminum, quae iam primaevae aetatis imperatores in apostolos et martyres congesserunt. Re autem vera factum, de quo accusantur, in illud tandem recidit, sc. quod inconcussam fidelitatem erga Regem regum et Dominum dominantium servent.

Iuvat hac in re ipsa verba S. Pontificis proferre. « Etiam hodie, ait ipse, non uno in loco viva fides in Filium Dei, humilis legis christianae receptio, spiritualis unio cum Ecclesia et obedientia obsequiosa erga eos qui auctoritate spirituali potiuntur, constituunt causam unicam cur christifideles quasi absque fine vexentur longa serie suspicionum et contumeliarum, contemptuum et etiam exclusionum, deminutionis iurium personalium et meritorum, anxietatum et paucitatis rerum, paupertatis et dolorum, afflictionum et incommodorum tam quoad corpus quam quoad animam ».

Dari nequit vividior descriptio acerbarum calamitatum, quibus hic et illic conficiuntur christifideles ob suam erga Christum fidelitatem. Quarum rerum exsistentia a nullo sanae mentis in dubium vocari poterit, cum affirmetur ab eo qui est veritatis amantissimus et plenam cognitionem rerum ecclesiasticarum possidet. Sane S. Pontifex nullum concretum locum designat ob adiuncta peculiaria in quibus versamur; sed fieri non poterit quin afflicti christifideles, ubicumque ii degant, his verbis Patris communis, plenis suavitate virilique fortitudine, efficaciter recreentur.

Acerbarum calamitatum, de quibus dictum est, mentio veluti sponte suscitat memoriam illarum afflictionum, quibus primaeva Ecclesia fuit oppressa; hinc est quod S. Pontifex continuo velit fontes patefacere praecipuos, e quibus vires supernaturales depromebant illius aetatis christifideles ad crucem Christi iugiter forti animo perferendam. Atque primo loco venit firmissima victoriae spes,

vivida innixa fide. Haec inconcussa victoriae certitudo, quam semel iterumque in sua allocutione exprimit S. Pontifex, stat in eo quod firmissime sperare possimus fore ut Dominus noster eo vigilantius proximiusque Ecclesiae suae adstet, quo maiore timore mediis in procellis afficiamur.

Via igitur a S. Pontifice nobis indicata impavide incedentes omni contentione eniti debebimus ut clamor angustiae, quem sponte profert vexata natura humana, adaequetur vel etiam superetur clamore valido spei fiduciaeque supernaturalis, nostros animos intime pervadentis ob actuosam praesentiam divini Redemptoris. Atque hac dispositione animi praehabita, non poterit non exsurgere in nobis promptitudo illa ad patienter toleranda mala, quae possint fortasse ingruere in nos ob diligentem custodiam fidei legisque christianae. Et quo generosiores simus in his malis perferendis, eo maior erit victoria quae post tribulationum tenebras affulget.

Sed hanc fiduciam animique fortitudinem, primae aetatis christifideles imitati, debemus e fonte eucharistico haurire ad quem accedebant illi ut amore divino, pacem et vigorem inspirante, flagrarent. Exinde etiam proveniet augmentum fraternae unionis, quae eodem amore atque spe suffulta efficiet unam societatem unamque familiam ex ingenti variaque hominum multitudine.

Atque non sine speciali providentia factum est ut in nostris diebus, in quibus perinde ac in primis saeculis firma fides, honestas morum, verus amor fraternus et promptitudo ad patiendum praesto esse debent christifidelibus, pateat etiam ut primitus accessus ad eucharistiam, perenne punctum centrale christianae religionis. Ecce fons unde manare debet spiritus arctae unionis inter membra, quae rursus sacrae hierarchiae perfecte subordinata unam efficient atque potentem societatem. Sublimis illa Christi Domini petitio « ut unum sint » repetitur nunc ubique terrarum ab omnibus catholicis, quibus etiam accedunt alii

sinceri Christi adoratores; haec autem petitio in colle Vaticano, arce spirituali Ecclesiae, modo resonat validiore.

Hanc nactus occasionem describit S. Pontifex quaedam memoranda monumenta in area subterranea basilicae Vaticanae, per indefessum laborem his annis sui regiminis peractum, denuo detecta. His accedunt aliqua in nonnullis monumentis incisa plurimaeque monetae, aetatis tum antiquae tum proxime subsequentis, hic a christifidelibus repositae, e quavis plaga mundi eo tempore noti in collem Vaticanum veluti ad sacrum locum confluentibus. Monumenta nunc reperta ea nobis suo modo manifestant, quae mirifice consonant cum Gaii, Eusebii et S. Hieronymi testimoniis historicis, ad sepulchrum S. Petri spectantibus. Atque in his spatiis subterraneis quasi tangitur certitudo illa et securitas indestructibilis primaevae Ecclesiae, quae mediis in tribulationibus et luctis accrescebat ubique. Cuius rei suavis memoria fiduciam et spem victoriae debet ingerere omnibus, qui indefesse adlaborant sive in retinenda inter probos sive in restituenda errantibus benedictione SS.mi Redemptoris, sive etiam in obtinendo pro vexillo Redemptionis intra familiam humanam illo sacro loco, qui uni cruci Christi competit.

II

His dictis transit S. Pontifex ad describenda nova officia quae hodiernae circumstantiae imponunt Ecclesiae. Nostris diebus, ait, id potissimum exspostulatur ab Ecclesia, sc. ut auctoritatem suam interponat ad finem huic terribili luctae imponendum, et sic flumina, e sanguine humano lacrimisque effusis efformata, in mare aequae et stabilis pacis tandem confluent. Rursus declarat sollemniter S. Pontifex se nihil unquam intentatum reliquisse tum ad arcendam collisionem armorum tum ad pacis redintegrationem accelerandam. Omnia tentamina hucusque peracta infelicem exitum habuerunt, nec spes affulget fore ut

ii, quorum interest, attentas aures praebeant nunc concretis pacis punctis, quae denuo in medium proferrentur. Immo, haud difficile fieri posset ut tali agendi modo hi vel alii molestia afficerentur.

Nihilominus tot tantaeque sunt strages in ordine tam materiali quam spirituali iam congestae, ut omnia sint tentanda ad cessationem conflictus bellici quam primum assequendam. Bellum, ait S. Pontifex, mirabili perfectione technica armorum recentium incredibiles dolores afflictionesque affert populis; exinde fit ut pluries centena milia hominum his calamitatibus, a sola voluntate hominum provenientibus, quam gravissime torqueantur. Ideo iterum rogat S. Pontifex rectores populorum ut ab arbitrario usu crudelitatis et violentiae abstinere velint.

Nec potest silentio praetermitti ruina oeconomica populorum, quae ab ingentissimis sumptibus, quos praesens bellum fert secum necessario, originem trahet. Qua insana patrimonii nationalis direptione fieri non poterit quin ordinatio rerum socialium, cui instituendae iam a pluribus annis plures docti homines incubuerunt, impossibilis omnino evadat; sapiens enim administratio bonorum nationalium erat unum ex praesuppositis essentialibus ad desideratam metam attingendam.

Exitiali ruina quae imminet familiis vehementer commovetur paternus animus S. Pontificis. Iam ante bellum, ait ipse, in nonnullis regionibus nunc bello vexatis numerosiores infantibus recenter natis erant qui vita cedebant. Quis vero non videt bello in completam detrudi ruinam sive physicam sive moralem sive oeconomicam eos, qui novis laribus condendis destinantur? Hisce in angustiis directe alloquitur S. Pontifex populorum moderatores qui, utpote bono communi tutando promovendoque praepositi, familiarum iura diligentissime custodire tenentur. Familia enim est veluti sacrarium sociale, unde profluere debent et fervidi filii Ecclesiae et honesti cives, potentiam atque gloriam propriae patriae reportaturi. Adiuvandae sunt igi-

tur familiae ut finem proprium, a Deo praestitutum, facilius assequi possint.

Deus autem vult in primis ut coniuges christiani sint novae vitae humanae principium eisque imponit consequenter ut in vita spirituali et morali, spiritu christiano informata, filiis ab eo acceptis transfundenda diligenter adlaborent. Deus insuper vult ut in sinu familiae et sub custodia parentum filii membra societatis apta atque utilia fiant, quae vicissitudinibus rerum sive laetis sive adversis valeant dominari. Ecce voluntas Dei quoad familias christianas.

Exinde autem plura sequuntur officia pro Civitatum rectoribus, quorum est illa sacrosancta iura et revereri et tueri. Atque in primis res nec in schola nec sub tecto familiari debent eo modo ordinari, ut veluti atria ad campum luctae conducentia evadant. Debet insuper devitari quidquid ferat secum longam separationem coniugum vel subtractionem filiorum a parentum vigili custodia, sub aspectu tam corporali quam spirituali constanter exercenda. Demum oeconomia nationalis ita est ordinanda ut fontes bonorum familiarum non arescant.

Ab hoc exercitu pacifico familiarum, cuius patronus legitimus est S. Pontifex, clamor pro aequa pace stabilienda extollitur validus; ideo S. Pontifex sibi temperare non potest quin vehementer adhortetur rectores populorum ut nullam occasionem negligant, aequae paci iustitia moderationeque informatae, viam patefacientem.

Pax autem ut sit fecunda, mutuo consensu libere dato fulciatur necesse est; id autem omnino curandum erit, etsi fortasse ab scopo primitus praestituto utrinque sit nonnihil recedendum. Omnes gentes, propriis concivibus non exceptis, admodum gratae erunt erga illos homines publicos, qui officii sui plene conscii, paratos se praebent ad moderationis et sapientiae consilia sequenda in tractandis adversariis, ex sua parte iisdem prorsus imbutis sensis.

Haud difficile venient in mentem perlegentibus has sapientissimas normas vitae familiaris quae iam S. Pontifex hac super re sollemniter expresserat tum in Litteris encyclicis « Summi Pontificatus » tum in allocutione radiophonica habita pro commemorandis Litteris Encyclicis « Rerum novarum ». Eadem sollicitudo apparet semper in ordine ad vindicandum societati domesticae, cuius honestas tantopere interest tum Ecclesiae tum Status, ius omnia sibi necessaria labore, modo humano peragendo, obtinendi; eadem fit semper sollemnis defensio iurium, quae parentibus competunt quoad educationem religiosam et moralem prolis a Deo acceptae. Ex quo fit ut parentes conscii evadant gravissimae obligationis, quae eis directe et exclusive hac in re incumbit.

Nec incassum id semel iterumque inculcatur. Occurrere enim possent tempora in quibus debitae educationi filiorum non nisi intra parietes sanctuarii domestici consuli possit, magnopere interest ergo Ecclesiae ut parentes christiani huic officio obeundo pares tempestive fiant. Ad hoc autem praevie curandum erit ut crudelis anxietas circa victum cotidianum obtinendum e domesticis laribus efficaciter depellatur. Quis vero non videt id eo difficilius obtentum iri quo diutius atrox saeviat bellum? Hinc obligatio gravissima, qua rectores populorum obstringuntur, ad nihil praetermittendum quod pacis auroram accelerare possit.

PH. AGUIRRE S. I.

18 - SS. D. N. Pius Pp. XII

LITTERAE APOSTOLICAE
MOTU PROPRIO
DATAE

(Cfr. *L'Osservatore Romano*, d. 13 maii 1942).

Summo solacio novimus iubilarem Episcopatus Nostri celebrationem filiorum Nostrorum animos ubique gentium ad mirandum prorsus precum concentum excitare, quibus iidem, in tam gravi, quo angimur, rerum discrimine, et communi Patri et Ecclesiae universae superna a Deo munera impetrare contendant. Perquam acceptum id profecto Nobis obvenit; quandoquidem nihil magis hodie necessarium putamus, quam caelestem opem divinumque auxilium; atque ita testatum cernimus christifidelium mentes voluntatesque in praesens, si umquam alias, mira quadam consensione incensaque caritate Nobiscum arctissime coniungi.

Cupimus autem amplissimim hanc amoris significationem quodammodo rependere, aliquid ex inexhaustis Ecclesiae thesauris impertientes, quod omnibus, ac sacerdotibus potissimum, existimamus fore maxime gratum. De Apostolicae igitur plenitudine potestatis, singulis sacerdotibus, rite probatis, personale privilegium concedimus, cuius vi indulgentiam plenariam possint, Eucharisticum Sacrificium celebrando, uni animae piaculari igne expiandae applicare. Idque a die vigeat XIII huius mensis ad diem usque XIII mensis Maii anni MDCCCCXXXXIII.

Quod quidem firmum ratumque esse jubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XII mensis Maii, anno MDCCCCXXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. XII

Annotationes

Pulcherrimum simul ac gratissimum donum, praesertim sacerdotibus, sed in eis piis quoque fidelibus qui ita magis ac securius animas suorum defunctorum iuvare poterunt, atque ipsis animabus vitae maculas igne purgatorii expiantibus, suavissima caritate voluit SS. D. Pius Pp. XII rependere ob precum concentum quibus filii ubique gentium in tam gravi, quo angitur, rerum discrimine communi Patri et Ecclesiae universae superna a Deo munera impetrare contendunt.

De Apostolicae igitur plenitudine potestatis singulis sacerdotibus rite probatis (iis scilicet qui nullo impedimento a Missae celebratione prohibentur), privilegium concedit, cuius vi indulgentiam plenariam possint, Eucharisticum Sacrificium celebrando, uni animae piaculari igne expiandae applicare, a die 13 Maii 1942 usque ad diem 13 Maii 1943.

Hoc privilegium simile est, non tamen eiusdem naturae, uti statim notabimus, illi qui vocari solet *altaris privilegiati*. De hoc ultimo mentio fit in can. 918, qui tamen id non definit, sed iam notum supponit. Eius autem nomine venit illud altare in quo sacerdos celebrans pro anima alicuius singularis defuncti, plenariam indulgentiam pro ea applicare valet. Potest vero esse vel *locale*, si determinato altari adnectitur, aut *personale*, si conceditur sacerdoti ubique celebranti.

Ex declarationibus S. C. Indulg. et S. Poenit. (Cfr. *AAS*. IX, 1917; p. 440), privilegium Altaris applicari non potest pluribus defunctis, sed necessarium est ut unus ex illis determinetur cui indulgentia prosit. Minus autem applicari poterat, si Missa ad intentionem vivorum tantum celebraretur.

In hac re tamen singularis facta est exceptio in favorem sacerdotum adscriptorum Piae Unioni a Transitu

S. Ioseph, quibus S. P. Benedictus XV in Litteris Apostolicis « Dum acerbae lacrimae », 15 Iunii 1917, concedit « facultatem Altaris privilegiati quoties Missam pro morientibus celebrabunt ». Quod privilegium, unicum forsitan usque ad illud tempus, ita ex declaratione subsequenti intelligendum est ut agonizantibus prosit « tamquam pro vivis ad modum absolutionis » quoties Missam applicabunt pro morientibus omnibus (vel pro moriente aliquo determinato), nisi sit Missa a Moderatore Primariae per orbem statuta.

Nunc ut ad novum privilegium redeamus, estne illud ita intelligendum ut indulgentia prosit illi soli animae pro qua Missa dicitur, vel applicari valet pro alia anima quacumque, licet diversa ab ea pro qua Missa offertur? Immo, si Missa dicatur pro pluribus animis, aut tantummodo ad intentionem viventium, an tandem etiam licet sacerdos applicet Missam pro populo aut ad intentionem dantis cuius mentem ipse ignoret in concreto?

Affirmative respondendum censemus, et ita quidem ut vix aut ne vix quidem sit locus ambigendi.

Sane, Pius XI in Constit. « Auspicantibus Nobis » 6 Ianuarii 1929, simile omnino Indultum his verbis concesserat: « Praeterea, ad fovendum toto hoc anno cleri in sacro litando pietatem, singulis sacerdotibus tribuimus, fruendum usque ad diem XXXI mensis Decembris huius anni, privilegium personale, cuius vi indulgentiam plenariam quotidie possint, Missae sacrificium celebrando, uni animae in Purgatorio detentae applicare.

Quibus verbis iam satis patere videbatur mens Summi Pontificis non ea fuisse ut stricte altare privilegiatum concederet eo sensu quo passim tale indultum intelligebatur, sed aliud ab eo diversum; eo enim in casu simplicius ac clarius fuisset dicere: concedimus indultum Altaris privilegiati. Cum tamen dubium exortum fuisset circa indulti interpretationem, atque S. Poenitentiariae propositum, S. Tribunal sequenti modo illud dissolvit, Summo Pontifice

responsum approbante, confirmante et publici iuris fieri mandante, 8 Martii 1929.

« Utrum *privilegium personale*, hoc anno iubilari in Constitutione Apostolica « Auspicantibus Nobis » sacerdotibus concessum, sit consuetum privilegium *altaris*, vi cuius sacerdotes, pro defuncto celebrantes, indulgentiam plenariam acquirere et applicare valeant animae pro qua Missam celebrant; vel potius ita intelligendum sit ut sacerdotes, Sacrum litantes, in quolibet Missae Sacrificio plenariam indulgentiam lucrari et applicare possint, indepen denter a Missae applicatione, uni animae, in Purgatorio detentae, ab ipsis ad libitum designatae ». Et S. Poenit. Ap., re mature perpensa, respondendum censuit: « *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam ». 8 Martii 1929 (*AAS*. XXI, 1929, p. 168).

Age iam: quis non videat omnimodam similitudinem inter verba quibus Pius XI indultum concesserat et ea qubus Pius XII utitur in Litteris « Summo solatio » 12 Martii 1942?

Pius XI: Singulis sacerdotibus tribuimus... privilegium personale, cuius vi indulgentiam plenariam quotidie possint, Missae sacrificium celebrando, uni animae in Purgatorio detentae applicare.

Pius XII: Singulis sacerdotibus... personale privilegium concedimus, cuius vi indulgentiam plenariam possint, Eucharisticum Sacrificium celebrando, uni animae piaculari igne expiandae applicare.

Sufficit haec duorum privilegiorum collatio ut evidenter appareat secundum nihil aliud esse quam prioris repetitionem. Huius igitur interpretatio, a S. Paenitentiaria authentice facta, ad secundum quoque extendendam esse facile patet.

I. M. Restrepo S. I.

P. S. Nunc vero, ex authentica S. Paenitentiariae declaratione diei 10 Iunii, constat indulgentiam plenariam ap-

plicari posse uni animae, independenter a Missae applicatione (Cfr. *L'Osservatore Romano*, 14 iunii 1942. Vide etiam infra p. 308).

19 - Suprema S. Congregatio S. Officii

Decretum

(*AAS* XXXIV [13 apr. 1942] p. 100)

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 18 Martii 1942

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

OTTO KARRER, *Gebet, Vorsehung, Wunder.*

Et sequenti Feria V, die 19 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 23 Martii 1942.

I. PEPE, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

20 - Suprema S. Congregatio S. Officii

Decretum 26 mart. 1942

(*AAS* XXXIV [1 maii 1942] p. 148)

Suprema S. Congregatio S. Officii, incommodis mature perpensis, quae in religionis veraeque pietatis detrimentum cedunt ex *Radiaesthesiae* consultationibus a clericis peractis circa personarum circumstantias et eventus divinandos, ac prae oculis habitis quae in can. 138 et

139 § 1 Codicis Iuris Canonici statuuntur ad clericos religiososque ab iis rebus arcendos quae ipsorum officium dignitatemque dedeceant aut eorum auctoritati nocere possint, haec quae sequuntur decernit, quin tamen quaestiones scientificas de Radiaesthesia hoc Decreto attingere velit:

Excellentissimis nempe locorum Ordinariis et Religiosorum Superioribus mandat, ut suis clericis et religiosis districta ratione prohibeant quominus ad illas Radiaesthesiae scrutationes unquam procedant, quae supradictas consultationes respiciant.

Eorumdem Ordinariorum vel Superiorum Religiosorum erit, si id necessarium vel opportunum duxerint, huiusmodi vetito poenalium sanctionum minas addere.

Quod si quis ex clericis et religiosis hoc vetitum transgrediens recidivus fiat, vel gravibus incommodis aut scandalo locum dederit, Ordinarii vel Superiores id deferant ad hoc S. Supremum Tribunal.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 26 Martii 1942.

IOANNES PEPE

Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.

Annotationes

I

DE FACTIS RADIOAESTHETICIS.

Cum ferendo iudicio de radioaesthesia sub respectu canonistico quaedam de ipsis factis radioaestheticis praemittenda sint, paucis et succincte quaerimus: quid radioaesthesia sit, ad quaenam *obiecta* percipienda, *quo modo*, a quibusnam *personis* exerceatur et aliquot *notas ad explicationem* factorum spectantes addimus.

Radioaesthesia in genere in eo est, quod: obiecta, quae ope normalis sensationis hic et nunc (propter loci

vel temporis circumstantias) cognosci non possunt, a quibusdam hominibus, facultate radioaesthetica peculiariter exculta praeditis, cognoscuntur mediantibus, ut dicunt, radiis ab obiectis emanantibus. In praxi et doctrina radioaesthetica supponitur, obiecta organica et anorganica quosdam « radios » in cosmum propagandos emittere, qui homines ad radiorum receptionem satis sensibiles peculiariter afficiunt.

I. SPECIES OBIECTORUM, quae ope radioaesthesiae cognosci dicuntur, sunt valde diversae. Cognosci dicuntur obiecta anorganica, organica et psychica, res et eventus, praesentia et futura, res vicinae et res in dissita regione absconditae. Distinguimus inter « radioaesthesiam communem » rerum in loco et tempore praesentium et « teleradioaesthesiam », quae in obiecta spatio vel tempore valde distantia ordinatur.

a. « *Radioaesthesia communis* » tendit in cognitionem obiectorum occultorum quidem, sed praesentium. Talia sunt primo obiecta anorganica, velut: aqua infra superficiem terrae pullulans et fluens, eius copia, distantia, cursus in hanc vel illam dimensionem, indoles sana vel nociva, metalla latentia, thesauri absconditi, eorum qualitas, quantitas, figura, situs, contentum epistolae clausae etc. Alia sunt obiecta organica, v. g.: vigor vitalis plantarum, animalium, hominum, aegritudo determinati organi, non medicorum methodis, sed citius et certo ope « radiorum » dignoscenda, utilitas medicamentorum pro aliquo aegroto, sexus infantuli adhuc in utero materno viventis, et ita porro. Denique psychica indoles mediantibus emanationibus corporis manifestari et inde ope radioaesthesiae cognosci posse censetur.

b. « *Teleradioaesthesia* » tendit in cognitionem rerum et eventuum loco aut tempore longe distantium. Apponimus aliqua exempla: ex motu penduli super chartam geographicam eruitur, ubinam in dissita regione cavernae terrae existant, in quonam archivo philologus manuscripta uti-

lia invenire possit, in qua parte latifundii alterius continentis fontes, iamdiu in vanum quaesitae, magnam copiam aquae praebeant. Ex motu penduli super imaginem photographicam inquiritur, num homo absens se bene aut male habeat, num adhuc vivat an mortuus sit. Occulti criminis locus, modus, tempus detegitur. Immo futuri eventus praevideri dicuntur, v. g. dies determinata, qua miles in bello captus ex captivitate reversurus sit.

Spectata tanta diversitate obiectorum radioaesthesiae facile patet non omnes modos radioaesthesiae eodem modo diiudicandos, sed — ut iudicium iustum ferri possit — singulos modos inspiciendos esse.

2. *Modus, quo* in praxi radioaesthetica procedunt, primo aspectu miram quandam et mysteriosam indolem prae se ferre videtur. Saepe adhibent nota instrumenta radioaesthetica, « virgam divinatoriam » (quae est ramus flexibilis biforcatus quarundam arborum, res innocens et non necessario superstitiosa) et « pendulum » (quod consistit ex levi pondere ligneo vel ex metallo facto et filo, cui pondus annectitur). Sic iamdiu noti sunt « inquisitores fontium », qui virgam divinatoriam quiete manibus tenentes per campum sibi ignotum incedunt et ex motu forti virgae (ab ipsis haud intento) ad exsistentiam fontium aquae sub solo concludunt. Aliis sufficit, quod manus suas prope v. g. aegrotum quendam extendere et movere possunt. Sic ad diagnosin sanitatis aut aegritudinis variorum organorum cito perveniunt. In exercitio teleradioaesthesiae saepe adhibent quaedam, ut dicunt, « testimonia » vel « testificantia » (témoin), id est res, quae pro casu ut simbola illius obiecti dissiti inserviunt, in quod inquisitio radioaesthetica instituitur. Talia « testimonia » sunt v. g. imago photographica hominis longe absentis, de cuius vita aut morte quaestio ponitur, (quae quidem photographia non necessario recentioris originis esse debet, potest repraesentare illum hominem ut puerum), vestimentum, quo ille homo olim usus est, vel res quaecumque, quae arbi-

trarie hic et nunc ut symbolum obiecti dissiti assumitur. Circa tale « testimonium » attentionem suam colligentes et ambitum conscientiae suae coarctantes teleradioaesthetici invenire nituntur id, quod quaerunt, velut sortem militis in bello degentis. Alii sine omni tali medio externo seipso in statum psychicum « receptioni radiorum adaptato » convertunt.

Ex diversitate mediorum, quibus in exercitio radioaesthesiae utuntur, iterum apparet non omnes modos radioaesthesiae eodem modo explicari et a priori diiudicari posse.

3. *Personae,* quae radioaesthesiam cum quadam facilitate et dexteritate exercent, non quidem propriis « sensoriis », sed proprio gradu sensibilitatis et peculiari facultate coarctandi ambitum suae conscientiae indigent. (Quae quidem coarctatio non simpliciter coarctationi conscientiae in « mediis spiritisticis » eorumque statui « trance » aequiparanda est neque illi statui mentali quasi-exstatico, quem interdum homines ingeniosi in momentis summi laboris mentalis productivi experiuntur). Insuper libri radioaestheticorum commendant indefessum exercitium in arte, ut et « facultas recipiendi radios » et dexteritas in recta interpretatione influxus recepti augeatur.

Iniustum autem esset indiscriminatim omnem usum et praxim radioaesthesiae ad fraudes aut ad stultitiam radioaestheticorum reducere. Etenim quaedam praxes radioaestheticae ab hominibus candidae indolis moralis et magni ingenii exercentur. (Etiam tales posse autosuggestionibus et erroribus succumbere non repugnat).

4. *Quoad explicationem* eorum, quae, ut facta radioaesthetica referuntur, haec adnotanda occurrunt:

a. *Usus instrumentorum* (virgae divinatoriae et penduli) et multo magis « *testimoniorum* » non proxime inservit « receptioni » quorumcumque « radiorum ». « *Testimoniorum* » usus inservit inducendo statui psychico summae cuiusdam (et non parum fatigantis) concentrationis

seu coarctationis conscientiae et attentionis. (Analogia quaedam apparet ad effectum instrumentorum, quibus medici ad inducendam hypnosin utuntur). *Motus virgae divinatoriae et penduli* secundum leges communes psychophysicas proxime ad motum (vix aut ne vix quidem conscium) organismi reduci videtur. Ex multiplici enim experientia scientifica (v. g. physiognomica, graphologica etc.) constat varios motus psychicos, parum aut omnino non conscios, primo quidem in motus minimos sed multiplices organismi redundare et deinde, hisce mediantibus, per motum rerum, quas quis manu tangit, clariori modo manifestari. Ex eo autem, quod instrumenta et « testimonia » modo applicantur, modo non, apparet ea non proxime ad hoc requiri, ut irritationes ab obiectis causatae « recipiantur ».

b. *Concordantia inter dicta radioaestheticorum et facta indicata,* quatenus de ea constat, explicationem exigit. Cum autem factis concordantiae certis etiam non pauca facta discordantiae opponi possint, oportet in primis ipsam realitatem factorum exacta methodo scientifica examinare, variarum specierum radioaesthesiae et variarum circumstantiarum singulorum factorum rationem habendo et abstinendo cum a *credulitate* nimia eorum, qui in omnia « occulta » credenda citius inclinantur, tum *a commoditate mentali* eorum, qui omnia facta a priori negare solent, quae nondum commode et nitide secundum theorias in quiete mentis possessas explicari possunt. Hypothesis radioaesthetica varia facta ad influxum radiorum ex obiectis emanantium reducit. Qui tamen radii interim sunt mere hypothetici. A doctis et peritis iure inculcatur: analogias ad undulationes scientifice examinatas (v. g. electricas) nondum sufficere ad fundandam theoriam certam novam et hypotheses « a priori » forte quoad plura non repugnantes indigere probationibus multis « a posteriori ». Ipsa factorum et hypothesium examinatio iudicio prudenti virorum in scientiis physicis necnon medicina peritorum reliquenda

est. Quatenus ad teleradioaesthesiam rerum et eventuum loco valde distantium ad facta telepathica (v. g. « clarae visionis ») revocatur, problema solvendum non proprie solvitur, sed ad problema aliud (et, data realitate « clarae visionis », obscurius) revolvitur. Quoad radioaesthesiam eventuum futurorum et a causa libera futura dependentium probatione non indiget, ex eventibus nondum realibus nullos « radios » in tempus praesens emanare et praevisionem propheticam fundare. Quare oportet haec facta cum debita scepsi scientifica examinare et inspicere, quousque facta probata concordantiae sive ex casu sive ex conspiratione plurium causarum naturalium explicari possint.

Quodsi revera, ut refertur, aliqui ope penduli vel « testimonii » sortem alterius vitae animarum defunctorum indicare audent, talis hominum deceptio utique neque scientificam neque theologicam explicationem neque « divinatoriam » virgam exigit, sed aliud quid.

c. *Experimenta scientifica,* quae serio modo sub directione peritorum in scientiis physicis et medicina instituuntur sane optimum fructum producent. Ad distinctionem factorum a non-factis, hypothesium probabilium a non probabilibus conducunt et abusibus ineptis et superstitiosis facilius finem imponere poterunt. Etenim si v. g. medicus, rationem principiorum suae scientiae habendo, seria experimenta etiam in re obscura instituit, non est idem, ac si « laicus » in tali scientia occulta et futura quaecumque, velut mortem mariti militis aut sexum masculinum prolis in utero materno imprudenti et saepe indecoro modo indicit et homines ad superstitiones trahit.

Ex dictis apparet in diiudicanda radioaesthesia distinguendum esse inter varia *obiecta,* ad quae cognoscenda radioaesthesia ordinatur, inter varias *personas,* quae eam exercent, inter *praxes* indifferentes et praxes ineptas atque partim superstitiosas. Cum homines in omnibus aetatibus procellis agitatis in occulta atque inaudita quaeque credenda et in futura fata develanda peculiariter inclinentur,

mirum non est, quod hodie multus sermo fiat non tantum de indifferentibus, sed imprimis de quibusdam magis miris usibus radioaestheticis. Sed dolendum et neque illis probis hominibus indifferentem praxim radioaestheticam exercentibus, neque scientiae progressui utile est, quod in praedicanda (et interdum etiam in vituperanda) radioaesthesia illae distinctiones opportunae saepius oblivioni dantur.

A. WILLWOLL.

II

DE DECRETO S. OFFICII

1. Non fugerunt S. Officium gravia incommoda quae e quodam radiaesthesiae usu a clericis vel religiosis sive religioni veraeque pietati sive dignitati et auctoritati ipsorum clericorum et religiosorum orta sunt vel oriri possunt. Quare praecipit locorum Ordinariis et religiosorum Superioribus ut suis subditis quasdam investigationes et consultationes radiaestheticas omnino prohibeant. In casu repetitae vel gravioris transgressionis talis prohibitionis reus ad S. Officium deferendus erit.

2. S. Officium *quaestiones scientificas* de Radiaesthesia hoc decreto attingere minime intendit. Motiva enim quae peritos alios ad neganda fere omnia facta radiaesthetica alios ad admittenda satis multa inducunt cum veritatibus religiosis nihil commune habent. Quare ad competentiam S. Officii minime spectant neque est cur ipsum in talem discussionem ingrediatur.

3. *Obiectum* ferendae prohibitionis sunt « scrutationes quae consultationes respiciunt circa personarum circumstantias et eventus divinandos ». - E praxi praesertim radiaesthesiae, hoc obiectum sic fere delineare possumus.

Consultatio circa *personarum circumstantia* est quae earum valetudinem, dotes intellectuales vel morales, vitam vel mortem, locum commorationis, etc. respicit.

Eventus dici possunt actiones agentis liberi et effectus transeuntes causae sive liberae sive determinatae. Eorum cognitio e perceptione sensibili vel testimonio acquiritur. *Divinari* dicuntur si cognoscuntur eorum existentia et natura mediis praeternaturalibus vel communem sensuum usum superantibus, ideoque obscuris et miris, vel meris coniecturis.

Si de futuris et non plene determinatis eventibus agitur, eorum manifestatio simpliciter divinari dicitur. Si de actualibus sed a perceptione valde remotis agitur, divinari dicentur ubi solis radiis a persona vel re emissis cognosci dicuntur.

Dubium moveri possit utrum verbum « eventus » ad verbum « personarum » referatur an ab illo seiunctim, tamquam alia consulationis forma, sumendum sit.

Primae solutioni plures graves rationes favent, sc. *a*) in hac materia quae libertatem satis restringit, praesertim si poena praecepto addatur, stricta interpretatio facienda est; *b*) ratio legis, quia incommoda timenda praesertim e consultationibus circa personas habentur; *c*) raritas casuum quibus ope radiaesthesiae eventus *rerum* divinabuntur; *d*) si non contemplantur eventus personarum, ad claritatem dicendum fuisset: rerumque eventus, ut habet lingua latina.

In favorem secundae interpretationis videmus tantum has rationes. Verbum « divinari » de personarum circumstantiis minus recte adhibetur. S. Officium enim quaestionem scientificam attingere noluit. Nonne illam attingeret si declararet vel supponeret « divinari » circumstantias personarum, v. g. morbum, quando ope radiaesthesiae cognoscitur. Id enim fautores radiaesthesiae nullo pacto admitterent. Praeterea genus grammaticale « divinandos » facilius ad solam vocem « eventus » refertur.

Motiva primae interpretationis numero et pondere illis secundae interpretationis praevalere nobis videntur.

4. In decreto non agitur de experimentis vel consul-

tationibus quae facta sine relatione immediata ad personam et eventibus opposita respiciunt. In tali loco iacere metalla, scaturire vel fluere aquam, in epistola clausa inveniri talem nuntium, etc, sunt facta, non eventus, neque per se personam determinatam pro obiecto habent.

Neque mens vel littera decreti ullo modo attingit scientificum radiaesthesiae studium. Ubi tamen de studio experimentali agitur, ratio habenda est de iis quae prohiberi iubet S. Officium.

Num opportunum sit vetare huic vel illi clerico vel religioso etiam factis investigandis studere, id ad Ordinarios et Superiores pertinet.

5. Investigationes radiaestheticae ad solvendas consultationes circa personarum circumstantias vel eventus divinandos, cum a clericis vel religiosis fiunt, *seriis incommodis* saepe non carent.

Primo saepe accidit ut tempus orationi, ministerio, studiis sacris debitum, lectioni et investigationibus ab officio clerici vel religiosi satis remotis impendatur. Dein quaedam experimenta eorum dignitatem omnino dedecent, ut quando pendulo super muliere suspenso sexus speratae prolis conicitur. In nonnullis regionibus populus haec experimenta a superstitiosis actionibus non satis distinguit et cum damno religionis vel verae pietatis in vana credulitate confirmatur. — Pro bene nota hominum propensione per media extraordinaria et mira investigandi quae sibi ordinariis mediis incognita manent, investigationes radiaestheticae apud parum cultos, ut morbus contagiosus, propagantur. Quod apud ipsos natum est nocere recursui ad orationem, submissioni et fiduciae erga Providentiam, pietati etc.

Docti vero saepe non sine contemptu vident clericos vel religiosos illis incertis experimentis vacare et ultra meritum credere, consultationibus quae medicum spectant respondere, forte lucrum ex illis quaerere, Tandem per inevitabiles errores fiducia qua clerici vel religiosi in suo

officio indigent facile labefactatur. Immo odium generari potest cum error gravia incommoda suscitavit, ut si, dolore falsi nuntii aegrotaverit vel mortua sit persona cui falso nuntiata est mors vel captivitas dilecti mariti, patris vel filii, etc.

Quid mirum si S. Officium, omisso casu paucorum qui radiaesthesiae serio et ex officio student, in memoriam aliorum revocet can. 138: « Clerici ab iis omnibus quae statum suum dedecent, prorsus abstineant... » et can. 139: « Ea etiam quae, licet non indecora, a clericali tamen statu aliena sunt, vitent ».

6. Praecepto generali Ordinarii et Superiores suos subditos vetare debent absolute solas scrutationes quae consultationes circa personarum circumstantias et eventus divinandos respiciunt. Non enim de omni causa abusus leges ferendae sunt. Quare si in casu particulari clericus vel religiosus in aliis scrutationibus tempus inutiliter terat vel se ridiculum reddat vel personas offendat, satis erit eum particulari monitione corripere et efficaciter ad suum officium reducere.

Si decretum generale ferretur quo vetentur clerici et religiosi sive serio sive ioco investigare num in aliquo loco inveniatur aqua, metallum, thesaurus, in aliqua epistola clausa id vel illud dicatur, etc., ultra fines prudentiae et aequitatis procederetur.

7. Ordinarius loci decreto suo religiosos non exemptos ligare potest, quo casu subiacent quoque poenis quibus tale decretum munitur. Superiores religionum clericalium exemptarum suo decreto poenas canonicas addere possunt, alii Superiores poenas tantum disciplinares.

Cum decretum Ordinarii loci sit lex particularis, peregrini clerici eo non tenebuntur. Si tamen aliter agendo scandalum dederint, Ordinarius contra ipsos poenis disciplinaribus, immo et canonicis procedere possit.

8. Accurate perpendenda sunt verba quibus S. Officium casus designat qui ad ipsum deferendi sunt, ne importunis

recursibus S. Tribunal in suis gravibus laboribus distrahatur. Ad Ordinarios et Superiores religiosorum primo spectat usu auctoritatis suae abusus tollere. Loquitur decretum de iis qui, vetitum transgrediendo « recidivi » fiant vel « gravibus incommodis aut scandalo locum dederint ». Primus casus aliquam forte requirit explicationem.

Recidivus sumi potest sensu morali vel iuridico. Moraliter sumptus recidivus est qui, sine serio emendationis conatu, in idem peccatum satis cito pluries relabitur. « Recidivus sensu iuris est qui post condemnationem rursus committit delictum eiusdem generis et in talibus rerum ac praesertim temporis adiunctis ut eiusdem pertinacia in mala voluntate prudenter conici possit » (can. 2208).

Condemnatio de qua in canone sententiam iudicialem non necessario requirit, sed potest etiam pracepto iurisdictionali ferri (can. 2225 collatus cum can. 1933, § 4). Tale decretum ferre non potest Superior religionis quae non sit clericalis simul et exempta. Iamvero decretum S. Officii non ad illos tantum religiosorum Superiores dirigitur. Ceterum utitur verbo « poenalium sactionum », non « poenarum canonicarum », ubi de modo sanciendi vetitum loquitur. Poenae autem disciplinares rite vocari possunt « poenales sanctiones ».

Quare dicemus verbum: « recidivus » hic non sensu iuris stricte sumi. Attamen ex analogia cum can. 2228 dicemus illum esse recidivum et ad S. Officium deferendum qui ob transgressionem vetiti iam graviter punitus, illud denuo violaverit et quidem in talibus adiunctis ut appareat eius pertinacia in mala voluntate. Hoc obtinebit specialiter, ut ipse canon dicit, si nova violatio paulo post gravem punitionem accidat. Contra si post tempus satis longum reinciderit in transgressionem, a proprio Ordinario vel Superiore denuo puniri posset et deberet antequam ad S.Officium deferatur.

Ios. Creusen S. I.

21 - Suprema S. Congregatio S. Officii

DECRETUM

(*AAS* XXXIV [1 maii 1942] p. 149)

DE PRAEVIA CENSURA LIBRORUM PIETATIS

Supremae huic Sacrae Congregationi Sancti Officii haud infrequenter parvi libri pietatis ac folia precum deferuntur quae, etsi ab erroribus sunt immunia, quaedam tamen continent genuinae pietati christianae parum congruentia, et insueta cultus seu devotionis genera inducunt non conformia cum Decreto S. Officii, diei 26 Maii 1937, « De novis cultus seu devotionis formis non introducendis ».

Ut igitur haec vitentur, Ordinarii ad praeviam librorum foliorumque pietatis censuram doctos et prudentes viros deputent, qui in suo obeundo munere nedum doctrinae puritati, sed et sacri cultus gravitati consulant; iidemque Ordinarii licentiam edendi huiusmodi scripta ne concedant nisi maxima adhibita cautela.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 17 Aprilis 1942.

IOANNES PEPE, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

Annotationes

1. *Obiectum*, quod respicit Decretum, constituunt « libri pietatis ac folia precum quae, etsi ab erroribus sunt immunia, quaedam tamen continent genuinae pietati parum congruentia et insueta cultus seu devotionis genera inducunt, non conformia cum Decreto S. Officii, diei 26 maii 1937 ».

a) *Parum congruentia* possunt huiusmodi libelli et

folia esse diversimode, e. gr.: quoad *rem*, quam efferunt, quoad *modum* quem suadent, quoad *exaggeratam elationem personae sanctae* quam exorandam dicunt, quoad devotionis precumque *efficaciam infallibilem*, non debite explicatam, etc. Accidit praeterea, ut hinc inde folia libellique non sint — prout in Decreto dicitur — « ab erroribus immunia», sed sententias non rectas vel saltem ambiguas contineant, vel consulant praxes quae a superstitione non longe distant. « Neminem latet — ita allegatum Decretum diei 26 maii 1937 — novas huiusmodi cultus et devotionis formas, nonnumquam ridiculas, plerumque aliarum similium iam legitime statutarum inutilem imitationem vel etiam contaminationem, his potissimum postremis temporibus, pluribus in locis, acatholicis maxime mirantibus acriterque obtrectantibus, in dies multiplicari atque inter fideles latius propagari » (*AAS*, 29 [1937] 304).

b) Alterum, quod in recenti Decreto circa certa pietatis scripta monetur, est, quod *insueta cultus seu devotionis genera inducant*, non conformia cum pristino Decreto anni 1937. Sacra liturgia vitaque christiana abundant probatis ac solidis pietatis exercitiis; ideo timendum non est, ne propter hoc Decretum « *De novis cultus seu devotionis formis non introducendis* » christifidelium iustis desideriis, etiamsi maxime variis, satisfieri nequat. Neque auctoritas ecclesiastica hoc Decreto omne cultus et genuinae pietatis verum incrementum ulterioremque evolutionem impedire intendit, sed inconvenientem vel etiam nocivam devotionum luxuriem arcere, nihilque permittere vult, nisi quod ipsa post praevium atque accuratum examen censuerit saluti animarum reapse profuturum.

2. *Personae, ad quas* Decretum novum immediate dirigitur, sunt *Ordinarii*, quorum est *censores librorum* constituere et *licentiam edendi* libros concedere; sunt *Ordinarii locorum* (can. 1385 § 2, can. 1393 § 1), sed idem officium incumbit etiam *Superioribus maioribus religionum*, quia religiosi, antequam librum edant, consequi debent

« licentiam sui Superioris maioris » (can. 1385 § 3), ideo hi quoque Superiores librorum censores designare solent, qui scripta edenda praevio examini subiciant.

3. *Res, quae* Decreto praescribitur, versatur circa constituendos censores, quibus praevia librorum foliorumque pietatis censura committitur, et circa ipsam libros edendi licentiam.

a) Quod ad *censores* attinet, monentur Ordinarii, ut « doctos et prudentes viros deputent ». His verbis non exceditur norma, statuta canone 1393 § 3 « Censores... eligantur aetate, eruditione, prudentia commendati, qui in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant ».

Sub quodam tamen respectu censoribus datur specialis norma quam sequantur, scilicet « *in suo obeundo munere nedum doctrinae puritati, sed et sacri cultus gravitati consulant.* In iure communi can. 1393 § 2 censoribus haec ponitur regula sequenda: « Examinatores in suo obeundo officio, omni personarum acceptione deposita, tantummodo prae oculis habeant *Ecclesiae dogmata* et *communem catholicorum doctrinam* quae Conciliorum generalium decretis aut Sedis Apostolicae constitutionibus seu praescriptionibus atque probatorum doctorum consensu continetur ». Quae communis regula, si accurate inspicitur, *censoribus* non aliud imponit officium neque aliud concedit ius atque examinandi *doctrinam,* quae explicite vel implicite in examinandis libris vel foliis profertur. Novum Decretum hanc normam communem verbis non ambiguis excedit. Nam iam in initio Decreti dicitur: attendi folia ac libros, « ab *erroribus* immunia »; dein censoribus imponitur, ut *ultra doctrinae puritatem* attendant *ad sacri cultus gravitatem,* contra quam respectiva scripta forte offendant, e. gr. proponendo puerilia, ridicula, inepta, etsi haec errorem doctrinalem non continent. Sequi ergo censores possunt et debent in « praevia librorum foliorumque pietatis censura » tum normam in hoc Decreto stabilitam, tum re-

gulas in allegato Decreto diei 26 maii 1937 datas, quae etiam attendendae explicite dicuntur.

Novo Decreto non primo introduci, sed tantum denuo urgeri praeviam censuram librorum ac libellorum precum, devotionis etc., patet ex canone 1385 § 1 n. 2.

b) Quod dein spectat ipsam *licentiam edendi* tales libros, Decreto statuitur: « Ordinarii licentiam edendi huiusmodi scripta ne concedant, nisi *maxima adhibita cautela* ». Haec quoque norma severioribus exprimitur verbis quam ea quae in iure communi habetur et sonat ita: « Quae [idest censoris sententia] si faverit, *Ordinarius potestatem edendi faciat* ». Sancto Officio ergo constare videtur ex « haud infrequenter parvis libris pietatis ac foliis precum Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii delatis »: citius et cum maiore qua par est benignitate licentiam edendi haud infrequenter fuisse concessam. Neque enim supponi potest: huiusmodi libellos et folia passim ab auctoribus contra iuris praescriptum edita fuisse *absque Ordinariorum licentia*.

F. Hürth S. J.

22 - S. Congregatio Concilii

Resolutio

(*AAS* xxxiv [13 apr. 1942] p. 101)

Tridentina - Iuris funerandi
Die 5 Iulii 1941

Species facti. — In civitate vulgo *Arco*, Tridentinae Archidioecesis, una exstat paroecia sub titulo S. Mariae quae est simul collegialis, in qua cura animarum ab archipresbytero parocho, adiuto a Capitulo collegiali et a duobus vicariis cooperatoribus non beneficiariis, praesertim in urbe exercetur. Paroecia autem praeter urbem con-

stat quoque decem suburbiis seu pagis, *frazioni* nuncupatis, quorum quinque, paroeciae proximiora, immediate archipresbyteri parochi iurisdictioni subsunt, cetera quinque, a paroecia remotiora, mediate tantum eidem subsunt.

In quinque suburbiis paroeciae proximioribus operam praestant cappellani qui appellantur *missarii*, sub archipresbyteri parochi immediata et directa auctoritate, quibusdam tantum facultatibus et per modum actus praediti, dum in quinque suburbiis a paroecia remotioribus curam animarum gerunt cappellani qui *curati* vocantur, archipresbyteri parochi iurisdictioni mediate et indirecte subiecti, quippe qui omnibus facultatibus paroecialibus sint praediti, ab eodem archipresbytero semel et pro semper in actu ipsorum nominationis concessis.

Praeterea in duobus ex his suburbiis remotioribus sunt duo conventus Fratrum Minorum et Minorum Capuccinorum.

Modo autem archipresbyterum una cum Capitulo collegiali inter et memoratos hos conventus quaestio orta est de interventu ad funera, quae persolvuntur sive in urbe sive in suburbiis praesertim remotioribus.

De quibus tamen funeribus hoc animadvertendum est quod sunt funera quae dicuntur *generalia*, de quibus nulla est quaestio, cum his interveniant clerici tum saeculares tum religiosi utriusque conventus ad normam quoque art. 1 Statuti capitularis statuentis: « Ai funerali generali ... in« tervengono tutti i sacerdoti della parrocchia nonchè il « clero regolare dei due conventi ».

At quaestio praecise vertitur circa funera quae dicuntur *partialia*, quibus sive in urbe sive in suburbiis, post archipresbyterum vel eius vices gerentem, Religiosi Franciscales et Capuccini ius sibi vindicant interveniendi prae ceteris sacerdotibus saecularibus, qui in paroecia operam praestant, si a familia vel heredibus defuncti invitentur. Contendunt enim non sustineri art. 7, cap. 13 Statuti capitularis praescribentis: « Per i funerali (nempe *partia-*

« *lia*) che hanno luogo nelle chiese *filiali* (in decem nem-« pe suburbiis), nel caso che, oltre ai sacerdoti della fra-« zione si invitassero altri sacerdoti, sarà da dare la pre-« ferenza nell'invito d'intervenire ai cappellani ed ai ca-« nonici, prima che ai sacerdoti del clero regolare ».

ANIMADVERSIONES. - Canon 1233 § 1 Codicis I. C. ad funera quod attinet, inter alia, haec statuit: « Clerici... ipsi « ecclesiae addicti prae aliis omnibus invitari debent ». Quaenam autem sit ecclesia de qua agitur in canone, nullum est dubium quod in primis sit ecclesia paroecialis in qua funus peragitur ad normam canonum 1216 et 1217 C. I. C. Quinam autem sint clerici ipsi ecclesiae addicti, eos in primis recensendos esse videtur, qui eidem ecclesiae paroeciali saltem inserviant, et in qua aliquod officium praestent, quod curae animarum intersit. Iamvero Religiosi Franciscales et Capuccini dici nequeunt ecclesiae paroeciali et collegiali urbis *Arco* addicti, cum eidem non inserviant; ecclesiae enim, sive in urbe sive in suburbiis ibi exstantes, omnes sunt ecclesiae saeculares et a clero saeculari reguntur.

Eo vel magis quia Pontificia Commissio ad canones Codicis I. C. authentice interpretandos in responso diei 8 Aprilis 1941 denegavit inter clericos ecclesiae addictos, de quibus in canone 1233 § 1, comprehendi capitulares, qua *tales*, seu reduplicative sumptos, ea praesertim ratione quod Capitulum per se, ad normam canonis 391 § 1 « ideo institutum est ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat ... ».

Ex quo responso erui posse videtur clericos ecclesiae addictos eos tantum spectari posse, qui curam animarum in eadem ecclesia exercent sub parochi auctoritate. Excludendi proinde Religiosi utriusque conventus, utpote nullam animarum curam tum in ecclesia paroeciali urbis *Arco* tum in eiusdem filalibus gerentes.

E contra constat curam animarum ibidem exercere, praeter archipresbyterum una cum duobus vicariis coo-

peratoribus non beneficiariis, capitulares quoque ecclesiae collegialis ex praescripto Statutorum capitularium in capite 11: « Obbligo dei canonici per la cura delle anime: 1) i canonici della collegiata sono sacerdoti ausiliari nella « cura delle anime, dati in aiuto all'arciprete investito « della parrocchiale giurisdizione; 2) sono perciò tenuti « ad ascoltare le confessioni, a visitare gli infermi, ad as- « sistere ai divini uffici, a catechizzare; in generale a tutti « i doveri inerenti alla cura d'anime ».

Quapropter iidem capitulares, non qua capitulares, sed qua vicarii cooperatores archipresbyteri, habendi sunt uti clerici ecclesiae paroeciali addicti, ac proinde prae Religiosis utriusque conventus invitandi ad funera. Idem dicendum de cappellanis, sive missariis sive curatis in suburbiis, cum omnes, immediate vel saltem mediate, tamquam vicarii cooperatores, curae animarum vacent sub archipresbyteri auctoritate in una eademque paroecia ad normam canonis 476 § 2: « Vicarii enim cooperatores « constitui possunt non solum in universa paroecia, sed « etiam pro determinata paroeciae parte ».

Nec relevat quod Statutum capitulare per se non constituat legem dioecesanam, quia, accedente Episcopi approbatione, ius saltem facit non solum pro Capitulo, sed pro omnibus qui cum Capitulo partes quoquo modo habent. Ceterum praescripta in Statutis capitularibus, de quibus agitur, congrua omnino videntur iuri communi, vi cuius saltem vim obligandi obtinent.

Denique immorandum non est in distinctione a memoratis Religiosis invecta inter clerum officiantem et clerum orantem, qua ipsi prae ceteris quoque clericis ad funera invitandi essent, cum haec distinctio absona omnino sit a iure et nullo rationabili fundamento suffulta.

Resolutio. - Proposito itaque in Comitiis Plenariis diei 5 Iulii 1941 dubio: *An sustineatur caput XIII Statuti ecclesiae collegialis loci* Arco *diei 14 Aprilis 1925, funera quod spectat;*

E.mi Patres huius Sacrae Congregationis responderunt *Affirmative.*

Quam resolutionem Ss.mus D. N. Pius Pp. XII in Audientia diei 13 Iulii 1941, referente subscripto Secretario, approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

23 - S. Congregatio Rituum.

(*AAS* xxxiv [13 apr. 1942] p. 105)

COMMUNE UNIUS AUT PLURIUM SUMMORUM PONTIFICUM

INSERENDUM
IN COMMUNI SANCTORUM
POST COMMUNE EVANGELISTARUM

Omnia de Communi unius aut plurimorum Martyrum vel Confessoris Pontificis, juxta qualitatem festi, præter sequentia:

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum N. ... (Mártyrem tuum atque) Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Si vero agenda sit commemoratio alterius Summi Pontificis, dicitur sequens

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam in apostólicæ petræ soliditate fundátam, ab infernárum eruis terróre portárum: præsta, quæsumus, ut intercedénte beáto N. ... (Mártyre tuo atque) Summo Pontífice, in tua veritáte persístens, contínua securitáte muniátur. Per Dóminum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio VII *Cap. 16, 13-19*

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homilía sancti Leónis Papæ

Sermo 2 in anniversario assumpt. suæ, ante medium

Cum, sicut evangélica lectióne reserátum est, interrogásset Dóminus discípulos, quem ipsum (multis divérsa opinántibus) créderent; respondissétque beátus Petrus, dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi; Dóminus ait: Beátus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sánguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam m̃eam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cælórum: et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis. Manet ergo dispositio veritátis, et beátus Petrus, in accépta fortitúdine petræ persevérans, suscépta Ecclésiæ gubernácula non relíquit.

Lectio VIII

In univérsa namque Ecclésia, Tu es Christus Fílius Dei vivi, quotídie Petrus dicit; et omnis lingua, quæ confitétur Dóminum, magistério hujus vocis imbúitur. Hæc fides diábolum vincit et captivórum ejus víncula dissólvit. Hæc érutos mundo, ínserit cælo, et portae ínferi advérsus eam prævalére non possunt. Tanta enim divínitus soliditáte muníta est, ut eam neque hærética umquam

corrúmpere právitas, nec pagána potúerit superáre perfídia. His ítaque modis, dilectíssimi, rationábili obséquio celebrétur hodiérna festívitas: ut in persóna humilitátis meæ ille intelligátur, ille honorétur, in quo et ómnium pastórum sollicitúdo, cum commendatárum sibi óvium custódia persevérat, et cujus etiam dignitas in indígno heréde non déficit.

Lectio IX

Cum ergo cohortatiónes nostras áuribus vestræ sanctitátis adhibémus, ipsum vobis, cujus vice fúngimur, loqui crédite: quia et illíus vos affectu monémus, et non áliud vobis, quam quod dócuit, praedicámus; obsecrántes, ut succíncti lumbos mentis vestræ, castam et sóbriam vitam in Dei timóre ducátis. Coróna mea, sicut Apóstolus ait, et gáudium vos estis, si fides vestra, quæ ab inítio Evangélii in univérso mundo praedicáta est, in dilectióne et sanctitáte permánserit. Nam licet omnem Ecclésiam, quæ in toto est orbe terrárum, cunctis opórteat florére virtútibus; vos tamen præcipue inter céteros pópulos decet méritis pietátis excéllere, quos in ipsa apostólicæ petræ arce fundátos, et Dóminus noster Jesus Christus cum ómnibus redémit, et beátus Apostolus Petrus præ ómnibus erudívit.

AD MISSAM

Introitus *Joann. 21, 15-17*

Si díligis me, Simon Petre, pasce agnos meos, pasce oves meas. *Ps. 29, 1.* Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Gloria Patri.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus intende: et per beátum N. ... (Mártyrem tuum atque) Summum Pontíficem, perpétua protectione custódi; quem totus Ecclésiae præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Si vero agenda sit commemoratio alterius Summi Pontificis, dicitur sequens

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam in apostólicæ petræ soliditáte fundátam, ab infernárum éruis terróre portárum: præsta, quæsumus, ut intercedénte beáto N. ... (Mártyre tuo atque) Summo Pontífice, in tua veritáte persístens; contínua securitáte muniátur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.

I Petr., 5, 1-4 et 10-11

Caríssimi: senióres, qui in vobis sunt, óbsecro consénior et testis Christi passiónum, qui et ejus, quæ in futúro revelánda est, glóriæ communicátor; páscite qui in vobis est gregem Dei, providéntes non coácte, sed spontánee secúndum Deum, neque turpis lucri grátia, sed voluntárie; neque ut dominántes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo. Et, cum apparúerit princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. Deus autem omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu, módicum passos ipse perfíciet, confirmábit solidabítque. Ipsi glória et impérium in sæcula sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 106, 32, 31. Exáltent eum in Ecclésia plebis: et in cáthedra seniórum laudent eum. ℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus; et mirabília ejus fíliis hóminum.

Allelúja, allelújá. *Matth. 16, 18.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja *et Versu sequenti, dicitur*

Tractus Ps. 39, 10-11. Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, ecce lábia mea non prohibébo: Dómine tu scisti. ℣. Justítiam tuam non abscóndi in corde meo: veritátem tuam et salutáre tuum dixi. ℣. Non abscóndi misericórdiam tuam, et veritátem tuam a concílio multo.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur.

Allelúja, allelúja. *Matth. 16, 18.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Allelúja. *Ps. 44, 17, 18.* Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 16, 13-19

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixérunt: Alii Joánnem Baptístam, alii autem Eliám, alii vero Jeremíam, aut unum ex prophétis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respóndens autem Jesus, dixit ei: Beátus es, Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ inferi non prævalebunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cælórum. Et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis.

Offertorium Jerem. 1, 9-10. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te super gentes et super regna, ut evéllas et déstruas, et ædífices et plantes.

Secreta

Oblátis munéribus, quæsumus Dómine, Ecclésiam tuam benígnus illúmina: ut, et gregis tui proficiat ubíque succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres. Per Dóminum.

Alia Secreta, ut supra:

Múnera, quæ tibi Dómine lætántes offérimus, súscipe benígnus, et præsta: ut intercedénte beáto N. ... Ecclésia tua et fídei integritáte lætétur, et témporum tranquillitáte semper exúltet. Per Dóminum.

Praefatio Apostolorum.

Communio Matth. 16, 18. Tu es Petrus, et super hanc, petram ædificábo Ecclésiam meam.

Postcommunio

Refectióne sancta enutrítam gubérna, quæsumus Dómine, tuam placátus Ecclésiam: ut poténti moderatióne dirécta, et increménta libertátis accípiat et in religiónis integritáte persístat. Per Dóminum.

Alia Postcommunio, ut supra:

Multíplica, quæsumus Dómine, in Ecclésia tua spíritum grátiæ, quem dedísti: ut beáti N. ... (Mártyris tui atque) Summi Pontíficis deprecatióne nec pastori obediéntia gregis nec gregi desit cura pastóris. Per Dóminum.

MUTATIONES

IN BREVIARIO ET MISSALI ROMANO FACIENDAE

Novo Communi unius aut plurimorum Pontificum, Martyrum vel Confessorum, approbato, necessario variationes quaedam in Missali et Breviario inserendae sunt. Ut autem facilius hoc eveniat, Sacra Rituum Congregatio sequentia statuit:

I — IN BREVIARIO

1. In festo alicuius Pontificis, in respectivo Communi, loco orationis de communi usque adhuc in usu, sumatur nova oratio: *Gregem tuum;* et Homilia in tertio Nocturno sit nova proposita in Evangelium: *Venit Jesus.*

2. Pro sequentibus festis haec observentur:

a) Die 16 Ianuarii: in festo S. Marcelli I Papae et Martyris: retineatur oratio propria.

b) Die 12 Martii: in festo S. Gregorii I Papae, Conf. et Eccl. Doct.: retineatur oratio propria.

c) Die 22 Aprilis: in festo Ss. Soteris et Caii Pont. et Mart.: oratio: *Gregem tuum,* adhibito numero plurali.

d) Die 26 Aprilis: in festo Ss. Cleti et Marcellini Pont. et Mart.: oratio: *Gregem tuum,* adhibito numero plurali.

e) Die 5 Maii: in festo S. Pii V Papae et Confessoris: retineatur oratio propria.

f) Die 19 Maii: in festo S. Petri Caelestini Papae et Confessoris: retineatur oratio propria.

g) Die 25 Maii: in festo S. Gregorii VII Papae et Confessoris: retineatur oratio propria.

h) Die 14 Octobris: in festo S. Callisti Papae et Martyris: retineatur oratio propria.

II — IN MISSALI

1. Si Missa sumenda sit de respectivo Communi: pro quocumque Pontifice sumatur nova Missa: *Si diligis me.*

2. Pro sequentibus vero festis haec adnotentur:

a) Die 16 Ianuarii: in festo S. Marcelli I Papae et Martyris: Missa: *Si diligis me,* praeter primam orationem propriam.

b) Die 12 Martii: in festo S. Gregorii I Papae, Conf. et Eccl. Doct.: Missa: *Si diligis me,* praeter omnes orationes proprias et dicitur *Credo.*

c) Die 11 Aprilis: in festo S. Leonis I Papae, Conf. et Eccl. Doct.: Missa: *Si díligis me* et dicitur *Credo.*

d) Die 17 Aprilis: in festo S. Aniceti Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me.*

e) Die 22 Aprilis: in festo Ss. Soteris et Caii Pont. et Mart.: Missa: *Si díligis me*, adhibito in orationibus numero plurali.

f) Die 26 Aprilis: in festo Ss. Cleti et Marcellini Pont. et Mart.: Missa: *Si díligis me*, adhibito in orationibus numero plurali.

g) Die 5 Maii: in festo S. Pii V Papae et Confessoris: Missa: *Si díligis me*, praeter primam orationem propriam.

h) Die 19 Maii: in festo S. Petri Caelestini Papae et Confessoris: Missa: *Si díligis me*, praeter primam orationem propriam.

i) Die 25 Maii: in festo S. Gregorii VII Papae et Confessoris: Missa: *Si díligis me*, praeter primam orationem propriam.

l) Die 20 Iunii: in festo S. Silverii Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me.*

m) Die 3 Iulii: in festo S. Leonis II Papae et Confessoris: Missa: *Si díligis me.*

n) Die 2 Augusti: in festo S. Stephani I Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me.*

o) Die 14 Octobris: in festo S. Callisti I Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me*, praeter omnes orationes proprias.

p) Die 12 Novembris: in festo S. Martini I Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me.*

q) Die 9 Novembris: in festo S. Pontiani Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me.*

r) Die 23 Novembris: in festo S. Clementis I Papae et Martyris: Missa de Communi unius Summi Pontificis praeter Introitum et Epistolam propriam.

s) Die 11 Decembris: in festo S. Damasi Papae et Confessoris: Missa: *Si díligis me.*

t) Die 31 Decembris: in festo S. Silvestri Papae et Confessoris: Missa: *Si díligis me.*

URBIS et ORBIS

Sancta Mater Ecclesia Summos Romanos Pontifices peculiari semper prosequuta est honore, qui, dum Apostolicae Cathedrae iura strenue defenderunt, atque evangelicam veritátem totum per orbem diffuderunt, vitae quoque sanctitudine ac pretiosa morte fidelibus commissi sibi gregis facti sunt exemplar. Quod si inferorum portae omni tempore apostolicae petrae soliditatem vanis quidem, sed diuturnis, saevis ac saepe cruentis tentaminibus aggressae sunt; hodiernis temporibus, negata quavis supernaturalium rerum oeconomia, Ecclesiae hostes directe et ipsos Supremos Pastores livore suo impetere, pravisque dicteriis maculare impie conantur. Ut itaque his lacrimabilibus obvietur excessibus, atque Summorum Pontificum dignitas, eis divinitus collata, magis magisque honestetur, simulque ii inter ipsos, qui sanctitate fulserunt maiori veneratione colantur, Sanctissimus Dominus Noster, Dominus Pius Papa XII novum Commune in festo Sanctorum Summorum Pontificum conficiendum esse decrevit. Cum autem infrascriptus Cardinalis Carolus Salotti, Episcopus Praenestinus, S. R. C. Praefectus, in audientia diei 9 Ianuarii, confectum schema una cum lectionibus tertii nocturni, legendis in festo Summorum Pontificum, et additionibus et variationibus sive in missali sive in breviario romano ex hac nova concessione occurrentibus, Sanctissimo Domino obtulerit, Sanctitas Sua benigne illud approbavit et adhibendum mandavit in festo sive unius sive plurium Summorum Pontificum tam martyrum quam confessorum, qui propria missa in missali romano non gaudent. Con-

trariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, die 9 Ianuarii 1942.

† C. Card. Salotti, Ep. Praenestinus, *Praefectus.*
L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

24 - S. Congregatio Rituum.

AAS xxxiv [13 apr. 1942] p. 112)

URBIS et ORBIS

DECRETUM

DE LAMPADE SS.MI SACRAMENTI ET DE LUMINIBUS IN SACRIS FUNCTIONIBUS ADHIBENDIS.

Sacra Rituum Congregatio, quoties ei contigit cavere de lampade quae ante Ss.mum Sacramentum indesinenter lucere debet, semper abstinuit a concedendo per generale indultum usu lucis electricae, iugiter insistens traditionali legi de usu cerae apum et olei olivarum et, non exclusis, in casu necessitatis, aliis oleis (Decret. N. 4334): idque ut nostrae fidei et caritatis symbolica significatio servetur et iuxta indolem cultus, visibilis materiae destructio. Porro haec S. Rituum Congregatio summam decretorum circa usum lucis electricae praebuit Decreto N. 4322 diei 24 Iunii 1914. At biennio post, id belli europaei conditionibus exquirentibus, et instantiis plurimorum Ordinariorum morem gerens, per Decretum N. 4334 diei 23 Februarii 1916 iudultum temporaneum concessit quo, pro lampade Ss.mi Sacramenti, ultimo loco adhiberi posset etiam lux electrica.

Iamvero nunc, praesenti bello perdurante atque redeuntibus iisdem adiunctis, haec S. Congregatio, auctoritate Summi Pontificis, derogans praescripto canonis 1271

C. I. C. et *Ritualis Romani*, tit. IV, c. I, n. 6, necnon huius S. Congregationis Decretis, inhaerens vero Decreto N. 4334 diei 23 Februarii 1916, rursus remittit Ordinariorum prudentiae ut, peculiaribus huius belli circumstantiis sive ordinariis sive extraordinariis perdurantibus, ubicumque oleum olivarum vel cera apum vel penitus deficiant vel sine gravi incommodo et dispendio haberi nequeant, ibi lampas Ss.mi Sacramenti aliis oleis, quantum fieri potest vegetabilibus, nutriri possit, ultimo autem loco etiam lux eletrica adhibeatur.

Item Ordinariorum prudentiae remittit, ut, praesentis belli supradictis adiunctis perdurantibus, in defectu cerae apum, reducatur numerus candelarum pro singulis sacris functionibus rite praescriptus, et huic deficientiae cereorum sufficiantur usque ad numerum requisitum candelarum alia lumina, etiam electrica. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dic 13 Martii 1942.

† C. Card. Salotti, Ep. Praenestinus, *Praefectus.*
L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

25 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

Officium de indulgentiis

(Cfr. *L'Osservatore Romano*, d. 14 iunii 1942)

DE PRIVILEGIO SACERDOTIBUS CONCESSO IN MOTU PROPRIO « SUMMO SOLACIO ».

Sacrae Paenitentiarie Apostolicae dubium, quod sequitur, pro opportuna solutione exhibitum fuit:

« Utrum privilegium personale, in Motu Proprio « Summo solacio » d.d. 12 mensis maii vertentis anni Sacerdo-

tibus concessum, intelligendum sit ad tramitem Declarationis S. Paenitentiariae Apostolicae d.d. 8 martii 1929 (Acta Apost. Sedis, vol. XXI, pag. 168), ita ut Sacerdotes, Sacrum litantes, in quolibet Missae Sacrificio plenariam Indulgentiam lucrari et applicare possint, independenter a Missae applicatione, uni animae, in Purgatorio detentae, ab ipsis ad libitum designatae ».

Et Sacra Paenitentiaria Apostolica proposito dubio respondendum censuit:

Affirmative.

Facta autem de praemissis relatione SS.mo D. N. Pio div. Prov. Pp. XII ab infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiore, in Audientia diei 8 mensis currentis, idem SS.mus Dominus responsum Sacrae Paenitentiariae benigne adprobavit, confirmavit et publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, e Sacra Paenitentiaria Ap., die 10 Iunii 1942.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

26 - Dataria Apostolica

Instructio

(*AAS* XXXIV [13 apr. 1942] p. 113)

DE OBSERVANDIS A REV.MIS ORDINARIIS QUUM AB APOSTOLICA DATARIA COLLATIONEM PETANT BENEFICIORUM NON CONSISTORIALIUM, QUAE AD NORMAM IURIS APOSTOLICAE SEDI SINT RESERVATA VEL DEVOLUTA.

Diuturnus rerum usus vitandarumque quarundam consuetudinum necessitas, quas sensim irrepsisse atque adeo

postremis annis invaluisse compertum est, Datariam Apostolicam edocuerunt opus omnino esse ut Rev.mis Curiis revocentur quibus apte atque ad rem accommodate testimonialia documenta ipsae Curiae instruant, quum locorum Ordinarii in necessitate, e Codicis praescripto, se constitutos videant, recursum ad Summum Pontificem habendi, ut Beneficiorum non Consistorialium, quae Sanctae Sedi reservata sint aut devoluta, collationem consequantur.

Etenim qui in illud pro officii munere incumbunt ut nominationes ad reservata aut ad devoluta Beneficia, Pontificis Summi iussu ac nomine, curent, id passim dolendum reperiunt, non modo supplices libellos ad Datariam Apostolicam missos, destitutos frequenter esse tum noscendis ad Beneficiorum intelligendam naturam, tum documentis quae candidatorum examina exequenda vel revisenda spectent, tum iis demum universis, quae Bullis Apostolicis rite edendis opus sint, ex quibus Bullis nonnulla interdum particularia iura gigni compertum est; verum etiam maioris quoque momenti, et quae ad ipsum Pontificis Maximi ius pertineant, quaedam crebro propagari et diffundi.

Nam inter dioecesanas Curias non raro fit ut oblivioni data Pontificiae reservationis essentia ac natura, quae in eo est, ut uni Summo Pontifici ius quaedam Beneficia libere conferendi competat, faciliore quadam ratione Romanum ipsae Pontificem adeant, Illius libertatem ad unius certi candidati nominationem circumscribentes; immo eo etiam aliquando deveniant ut Datariam Apostolicam de hoc tantum commoneant, nominationem iam esse factam, ideoque in nominati favorem Apostolicas Bullas mitti petant, perinde ac si de Beneficio ab Ordinario conferendo, et per Sanctae Sedis ministerium solummodo expediendo res sit.

His incommodis ut congruum afferatur remedium, has quae sequuntur normas et instructiones Apostolica Dataria edendas existimavit; easque, habita prius sententia Patrum Datariae Apostolicae Theologorum, aliorumque praeterea in re canonica apprime peritorum, Summi Pontificis appro-

bationi submisit. Cum autem Beatissimus Pater, illas non tantum ut opportunas laudaverit, sed ut utiles probaverit, Suprema Auctoritate Sua mandavit ut, typis editae, ad singulas Curias mittantur easque unaquaeque religiose servet; quod illud importat ut, quotiescumque cum Dataria Apostolica, quae eiusdem Sanctae Sedis proprium et peculiare Dicasterium est iis in omnibus quae ad beneficiorum non consistorialium collationem Summo Pontifici reservatorum aut devolutorum spectant, Curiae agant, normis ipsis semper ac fideliter inhaereant.

NORMAE

Quaedam in primis opportune praemittenda censetur:

1. - Reservationes Apostolicae, etsi a Codice I. C. ad tenuiorem numerum redactae sunt, tamen post promulgatum eundem Codicem *Legem Universalem* constituunt; id est, quae non certis tantum et definitis regionibus, uti antea, circumscriptae sint, totam omnino Ecclesiam amplectantur, salvo legitimo iure particulari.

2. - Apostolicae reservationi, liberae scilicet Summi Pontificis collationi, omnia et singula beneficia subiiciuntur de quibus in canonibus 396, § 1 [1] et 1435 [2] Codicis Iuris Canonici.

---

[1] *Can. 396, § 1*: « Collatio dignitatum tum in Capitulis Cathedralibus tum in Collegialibus Sedi Apostolicae reservatur ».

[2] *Can. 1435, § 1*: « (praeter omnia beneficia consistorialia et omnes dignitates Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum ad normam can. 396, § 1) sunt reservata Sedi Apostolicae quamquam vacanti, sola beneficia quae infra memorantur:

1° omnia beneficia, etiam curata, quae vacaverint per obitum, promotionem, renuntiationem vel translationem S. R. E. Cardinalium, Legatorum Romani Pontificis, Officialium Maiorum SS. Congregationum, Tribunalium et Officiorum Romanae Curiae et Familiarium, etiam honoris tantum, Summi Pontificis tempore vacationis beneficii;

2° quae fundata extra Romanam Curiam, vacaverint per beneficiarii obitum in ipsa Urbe;

3° quae invalide ob simoniae vitium collata fuerint;

3. - Ad Sanctam devolvuntur, ideoque a solo Pontifice Maximo conferri possunt, ea omnia beneficia quorum collatio spectat quidem ad Ordinarios, sed tempore utili, nempe « intra semestre ab habita certa vacationis notitia », ad normam can. 1432, § 3, effecta non sit, nisi peculiaria locorum atque personarum adiuncta, prudenti Ordinarii iudicio, si quando de beneficio paroeciali agatur, collationem differendam suadeant ad normam can. 458. De devolutione vero beneficiorum sine cura animarum cfr. interpretationem can. 1432, § 3 apud *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XII, a. 1920, p. 577.

4. - Beneficia Sedi Apostolicae quomodocumque reservata ab inferioribus *invalide conferuntur* (can. 1434).

4º denique beneficia quibus Romanus Pontifex, per se vel per suum delegatum, manus apposuerit his qui sequuntur modis: si electionem ad beneficium irritam declaraverit, vel vetuerit electores ad electionem procedere; si renuntiationem admiserit; si beneficiarium promoverit, transtulerit, beneficio privaverit; si beneficium in commendam dederit ».

Can. 1435 § 2: « at nunquam sunt reservata, nisi id expresse dicatur, beneficia manualia, aut iurispatronatus laicalis vel mixti ».

Ex hoc § 2 consequitur:

beneficia *iurispatronatus ecclesiastici* esse omnibus reservationibus obnoxia;

beneficia manualia aut *iurispatronatus laicalis vel mixti*, etiam quae ad normam can. 1452 conferuntur per *electiones ac praesentationes populares*, licet paroecialia sint, per se non subiacere reservationibus Apostolicis;

et dicta beneficia (manualia, iurispatronatus laicalis vel mixti, et etiam ea quae per electiones populares conferantur) *tunc tantum esse reservata* cum expresse id statuatur, nimirum si ex. gr. fundator beneficii de consensu Ordinarii Loci declaraverit in limine fundationis beneficium subesse Apostolicis reservationibus; itemque si Romanus Pontifex in casu particulari, suprema qua pollet potestate, decreverit beneficium aliquod esse reservatum, derogans *in totum vel in partem* iuri patronatus, et illa sibi expresse reservaverit; derogans *in totum* si Romanus Pontifex collationem beneficii sibi modo explicito reservaverit, *sine ulla praesentatione vel electione ex parte patroni;* in *partem*, si Romanus Pontifex institutionem canonicam tantum sibi reservaverit, *praevia praesentatione vel electione* ab iis facienda, vel facta, ad quos pertinet, ut communiter accidit quando ex. gr. Romanus Pontifex ad aliud beneficium incompatibile promovet vel transfert beneficiarium qui beneficium possideat iurispatronatus laicalis vel mixti vel electionis popularis.

His praemissis, Rev.mi locorum Ordinarii suas monere Curias rogantur ut quoties a Summo Pontifice impetrare collationem beneficiorum Sanctae Sedi reservatorum aut devolutorum velint, ad Antistitem Maximum expressam petitionem mittant per litteras testimoniales *latine conscriptas et a Rev.mis Ordinariis subsignatas*: quae litterae, ut secure ad Pontificem Summum perveniant et sine mora expediantur, ad E.mum Cardinalem S. R. E. Datarium (Palazzo della Dataria, Roma, via della Dataria, 94) mittendae erunt.

In huiusmodi litteris haec quae sequuntur contineri et patefieri debent:

1. — *a*) nomen et natura beneficii vacantis;

b) an illud sit *dignitas* (primi ordinis, an secundi vel tertii, etc.);

c) an sit simplex Canonicatus aut aliud beneficium chorale vel etiam non chorale, et quo nomine appelletur;

d) an curam animarum adnexam habeat; quonam sub titulo aut quonam Sancto Patrono vocetur; et utrum erectum existat in Urbe an alio in loco;

e) utrum beneficium sit liberae an necessariae collationis, idest an conferri debeat electione aut praesentatione praevia, et a quo peragenda;

f) an subiiciatur iuri patronatus; et an hoc sit ecclesiasticum, laicale vel mixtum.

2. — Quonam ex tempore beneficium vacet, scilicet quo die, quo mense, quo anno beneficium vacans factum sit.

3. — Modus vacationis quis sit:

a) an per mortem; et utrum per mortem in ipsa Urbe (cfr. can. 1435, § 1, n. 2), an extra Urbem;

b) num per renuntiationem, eamque factam in manus Ordinarii an Papae;

c) utrum per promotionem an per translationem, et utrum promotio vel translatio peracta fuerit ab Ordinario an a Romano Pontifice;

d) utrum per privationem factam ab Ordinario, an a Papa.

4. — Quinam sit annuus beneficii reditus, et utrum certus an incertus: idest: una cum distributionibus si agatur de beneficio chorali, vel una cum incertis si agatur de beneficio cui animarum cura adnexa sit.

5. — *a*) nomen et cognomen candidati vel candidatorum eorumque parentum;

b) locus et dies nativitatis;

c) curriculum vitae, studia peracta, tituli academici, mores, animi indoles, officia exercita et servitia praestita.

6. — An candidatus possideat aliud beneficium et cuiusnam naturae.

7. — An candidatus pertinuerit ad aliquem Ordinem Religiosum, Congregationem aut Institutum; an rite dimissus fuerit vel *saecularizationis* indultum obtinuerit et quando; an alicui Dioecesi sit incardinatus. Hac de re accurate significandum erit quis sit Ordo, quae Congregatio, quod Institutum cui candidatus adscriptus fuerit, an in iis vota perpetua nuncuparit, et quis horum exitus; ac praeterea declarandum, an in iis vota saltem temporaria, aut iusiurandum perseverantiae aut alias promissiones ad normam Constitutionum illius Ordinis, Congregationis vel Instituti emiserit, et an ab iisdem legitime dispensatus sit, si per sex integros annos eisdem ligatus fuerit (can. 642, § 2; Pont. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos, 24 Novembris 1920; *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XII, p. 575).

8. — Quum agatur de beneficio legi concursus obnoxio ad normam can. 399, § 2 et can. 459, § 3, n. 4 significetur an concursus fuerit rite indictus ac legitime habitus. Deinde ad Apostolicam Datariam diligenter remittantur vota seu suffragia quae singuli candidati consecuti sint, in iis quae spectant ad scientiam et ad idoneitatem sive absolutam sive relativam, tam coniunctim quam distincte, una cum curriculo vitae, ut supra. Acta vero concursus asservari

debent apud Curiam ut quandocumque Dataria Apostolica petat, mitti possint.

Ad concursum quod attinet, haec ulterius sedulo sunt attendenda:

1° Si agatur de beneficio cum cura animarum, concursus habendus est ad normam Constitutionis Pontificiae Benedicti XIV *Cum illud*, 14 Decembris 1742 (in calce Codicis I. C. allegatae), inspectis praesertim numeris: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, § 7ᵃᵉ, et numeris 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, § 16ᵃᵉ eiusdem Constitutionis.

2° Si autem agatur de Praebenda Theologali vel Poenitentiaria, concursus habendus est non solum ad normam Constitutionis *Cum illud*, sed etiam ad normam Constitutionis *Pastoralis Officii* Benedicti XIII, 19 Maii 1725; circa quam advertendum est, eam praescribere *non tres sed quatuor examinatores*, ac propterea in concursu *quatuor quaestiones* esse ad solvendum proponendas; et si agatur de Canonicatu Theologali, quaestiones praesertim de Theologia Dogmatica et de Sacra Scriptura esse debere.

9. — Ut a Sancta Sede dispensatio a lege concursus detur, graves rationes quae Summo Pontifici exponendae sunt requiruntur.

10. — Quod spectat ad Canonicatum Theologalem aut ad aliud beneficium *cui onus incumbat Sacrae Scripturae populo explicandae*, commemorare praestat, *vigore Rescripti ex audientia Ss.mi diei 8 Aprilis 1940* (*Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXXII, p. 163), Lauream vel Licentiam in Re Biblica iam non requiri; sed coeteris paribus, eum, etiam Doctori in S. Theologia (de quo in can. 399, § 1) esse praeferendum qui Laurea vel Licentia in Re Biblica insignitus sit.

11. — Ut Summus Pontifex, quum agitur de beneficiis legi concursus non subiectis, libere eos eligere possit quos in Domino magis idoneos et digniores existimet, Rev.mae locorum Curiae tenentur *nomina suppeditare omnium Sacerdotum* qui, vacatione beneficii rite nunciata, supplicem

libellum miserint ut sibi conferatur; vel, si nemo beneficium optaverit, significare debent *saltem tria nomina*, quatenus fieri possit, inter digniores, ad normam epistolae circularis Datariae Apostolicae diei 11 Novembris 1930, quae legitur in *Actis Apostolicae Sedis*, vol. XXII, p. 525; quae epistola expresse hac occasione confirmatur atque uti religiose servanda edicitur.

12. — Attamen de quocumque beneficio agatur, et praesertim si res sit de beneficio cum cura animarum, semper necesse est ut Rev.mi Ordinarii manifestent quem candidatum coram Deo digniorem ac magis idoneum iudicent: cuius sententiae Romanus Pontifex, pro sua sapientia et prout in Domino expedire iudicet, benigne solet opportunam rationem habere.

13. — Tandem Rev.mis Curiis in memoriam revocatur, taxas pro Bullarum Apostolicarum concessione *ad obolum Sancti Petri unice atque integre destinari*, easque ad hoc solummodo exigi, ut consulatur gravissimis necessitatibus in quibus ipsa Sancta Sedes magis magisque in dies versari compertum est. Quapropter Rev.mi Ordinarii rogantur ut, in Ecclesiae Sanctaeque Sedis bonum, a postulationibus mittendis vel commendandis, eo directis ut huiusmodi taxae aut condonentur aut reducantur, reverenter abstineant, peculiaribus circumstantiis exceptis, quas, si adsint, pro sua conscientia accurate exponant opus est.

Datum ex Aedibus Datariae Apostolicae, die 1 Ianuarii a. 1942.

F. Card. Tedeschini, *S. R. E. Datarius.*

I. Guerri, *Subdatarius.*

Annotationes

Ut diversis inconvenientibus occurratur quae in conferendis beneficiis Sanctae Sedi reservatis irrepserant, sive ex oblivione naturae et essentiae ipsius reservationis, sive ob introductas quasdam consuetudines, quae aegre aut nullo modo cum ipsa Pontificia collatione componi possunt, peropportunum duxit Dataria Apostolica omnia fere in unum colligere quae ad Apostolicas reservationes sese referunt, quo facilius Curiae Episcopales, ad quas res pertinet, normam plenam, claram ac iuridicam prae oculis haberent in praesentandis candidatis quibus S. Sedes, pro suo iure et officio, beneficia libere et cum plena causae cognitione conferre possit.

Imprimis, ad totam rem illustrandam, operae pretium duco can. 261 transcribere in quo activitas nostri Dicasterii describitur: « *Datariae Apostolicae, quam moderatur Cardinalis Datarius Sanctae Romanae Ecclesiae, commissum est cognoscere de idoneitate promovendorum ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata; conficere et expedire apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis, quoties eius collatio ad Ordinarium non pertinet; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis beneficiis conferendis imposuerit* ».

Reservationes pontificias valde convenientes esse facile patebit consideranti quantum intersit ut clerici centro unitatis arcte devinciantur, et ut praesentia ipsa quasi personalis Summi Pontificis ex hoc interventu in omnibus mundi partibus vim suam exerat; ut Romanus Pontifex specialibus honoribus et muneribus eos clericos afficere valeat quos iis dignos ubique gentium invenerit; ut viros doctos et peritos aliqua suae benevolentiae significatione afficiat; ut tandem negligentiae, saepe etiam involuntariae, inferiorum collatorum occurrat. (Cfr. Wernz-Vidal, II, n. 226).

Iam, libertati et debitae erga Romanum Pontificem reverentiae maxime opponitur abusus, in nostra Instructione commemoratus, circumscribendi nominationem pontificiam ad unum solum candidatum; multoque magis si solummodo Datariam Apostolicam de nominatione iam facta moneant, Apostolicas Bullas petentes in illius nominati favorem.

Peropportune praemittitur in Instructione reservationes in Codice I. C. contentas cc. 396, § 1, 1435, § 1 et 2 legem universalem constituere, non certis et definitis regionibus circumscriptam, salvo utique legittimo iure particulari; atque beneficia Sedi Apostolicae reservata ab inferioribus invalide conferri (can. 1434).

Quibus praemissis, ponuntur normae a Curiis dioecesanis sequendae ad impetrandam collationem beneficiorum S. Sedi reservatorum. Eae autem adeo clarae sunt ut in iis immorari necesse non sit. Paucis solummodo eas recolimus.

Atque imprimis (n. 1) patefieri debet nomen et natura beneficii vacantis, uti declaratur in litt. *a*) ad *f*); dein (n. 2), a quo die, mense et anno beneficium vacet; (n. 3) modus vacationis, (n. 4) reditus beneficii; (n. 5) nomen, aetas, curriculum vitae candidati aut candidatorum, (n. 6) an aliud possideat beneficium et cuiusnam naturae; (n. 7) si candidatus pertinuerit ad aliquam religionem, accurate significanda sunt ea omnia quae ad eius statum personalem actu habitum pertinent.

(N. 8). Si agatur de beneficio legi concursus obnoxio, (a quo concursu ut dispensatio obtineatur graves rationes Summo Pontifici exponendae requiruntur, ut advertitur n. 9), ea omnia significanda sunt quae a Const. Benedicti XIV « Cum illud » praescribuntur (Docum. IV in fine Codicis), si sermo sit de beneficio cum cura animarum obtinendo.

Recte autem notatur in Instructione, in concursu ad praebendam theologalem aut poenitentiariam, rationem habendam esse non solum citatae Constit. « Cum illud », sed etiam Constit. « Pastoralis officii » Benedicti XIII, 19 Maii

1725, in qua non tres, sed quatuor examinatores requiruntur et quatuor quaestiones solvendae, quae, si agitur de praebenda theologali, praeprimis de theologia dogmatica et de Sacra Scriptura esse debent.

Et consulto hac in re in memoriam revocat Instructio Constitutionem Bened. XIII, quae non raro oblivioni dabatur, eo quod ad concursum paroecialem solummodo tres examinatores requiruntur in Constit. « Cum Illud », quae in § 7 ait: ... « postquam concurrentes ab Episcopo vel eius Vicario generali atque ab Examinatoribus *saltem tribus*, examinati et approbati essent... »; atque in § 16, V: « Absoluto concursu ab Episcopo vel, eo impedito, a Vicario generali una cum Examinatoribus Synodalibus *non paucioribus quam tribus*... »

Meminit quoque Instructio ad Canonicatum theologalem non amplius requiri ut candidatus lauream aut licentiam in S. Scriptura obtinuerit, de qua Constitutio « Bibliorum scientiam, » 27 Aprilis 1924 (*AAS*, 1924, p. 181) haec edixerat « II: Beneficium, in quo canonice insit onus Sacrae Scripturae populo explanandae, ulli ne conferatur, nisi, praeter alia, sit is licentia aut laurea in re biblica potitus ». Quae verba ita sunt interpretanda (ex audientia SS.mi 8 Aprilis 1940) ut, ceteris paribus, ille, etiam Doctori in Sacra Theologia (de quo in can. 399, § 1), praeferatur qui Laurea aut Licentia in re biblica insignitus sit. (*AAS*, 1940, p. 163). Cuius benignae interpretationis ratio in promptu est; nam, nisi fallimur, duo sunt in toto mundo Entia quibus potestas sit licentiam aut lauream in re biblica conferendi, sc. Commissio Pont. pro Studiis Biblicis et Pont. Institutum Biblicum de Urbe, unde paucissimi licentiati aut doctores renuntiari singulis annis possunt. Iam vero in sola Italia plus quam 300 Capitula inveniuntur et totidem canonici theologi: quomodo ergo tot laureati inveniri possunt quibus ea praebenda conferatur? Valet sine dubio Summus Pontifex ab ea condicione di-

spensare; sed minime decebat ut fere semper ad dispensationem recurrendum esset.

N. 12 monet Instructio mittenda esse ad Datariam Apostolicam nomina omnium sacerdotum ad beneficium vacans adspirantium; vel, si nemo beneficium optat, saltem trium inter digniores, iuxta litteras Datariae Ap. diei 11 Nov. 1930 (*AAS*, 1930, p. 525), addito iudicio Episcopi (n. 12) de candidato quem coram Deo digniorem et magis idoneum putet, maxime si de cura animarum agatur. De quo iudicio Summus Pontifex « benigne solet opportunam rationem habere ».

Tandem in memoriam revocat Dataria Ap. taxas pro Bullarum Apostolicarum concessione ad obolum Sancti Petri unice atque integre destinari; unde rogantur Rev.mi Ordinarii ne earum reductionem petant, peculiaribus circumstantiis exceptis, in conscientia accurate exponendis. Quod quidem iustissimum est; nam S. Sedes pro innumeris expensis occurrentibus et pro congrua et digna sustentatione eorum omnium, qui in diversis eius Dicasteriis laborant, plus quam duplum impendere debet quam pro taxis bullarium, rescriptorum, etc. colligit; unde omnino congruit ut qui gratias ab eadem S. Sede accipiunt, ea occasione, ad eius pondera sublevanda aliquantulum saltem concurrant.

I. M. Restrepo S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA *

I

27 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Constitutio apostolica *Dioecesium circumscriptionum*, 28 iun. 1941, qua Satmariensis et Magnovaradinensis dioeceses, hucusque aeque principaliter unitae, seiunguntur; aliaque ad ecclesiasticam circumscriptionem in regione illa spectantia decernuntur (*AAS* XXXIV [24 febr. 1942] p. 28 s.).

B — Litterae apostolicae *Romanis Pontificibus*, 21 iul. 21 iul. 1941, quibus templum — sanctuarium Sacratissimo Cordi in civitate Zagabriensi dicatum privilegiis ac dignitate basilicae minoris ornatur (*AAS* XXXIV [24 febr. 1942] p. 29 ss.).

C — Litterae apostolicae *Reipublicae Argentinae*, 15 aug. 1941, quibus titulus et privilegia basilicae minoris tribuuntur templo sub titulo Nostrae Dominae a Sacratissimo Rosario, in civitate Tucumanensi Fratribus ex Ordine Praedicatorum concredito (*AAS* XXXIV [24 febr. 1942] p. 31 s.).

D — Litterae apostolicae *Bononiensi in urbe*, 28 aug. 1941, quibus basilicae minoris honoribus decoratur templum in honorem S. Martini ep. Deo dicatum seu Sanctuarium Deiparae a Monte Carmelo, in urbe Bononiensi Ordini Fratrum Carmelitarum concreditum (*AAS* XXXIV [24 febr. 1942] p. 32 s.).

E — Epistula *Magnopere gratulamur tibi*, 2 sept. 1941, ad Em.mum P. D. Dominicum Diaconum S. Apollinaris, S. R. E. Cardinalem Iorio, S. Congregationis de Disciplina Sacramentorum praefectum, quinquagesimum ab inito sacerdotio annum feliciter explentem (*AAS* XXXIV [24 febr. 1942] p. 34 s.).

F — Constitutio apostolica *In sublimi Petri cathedra*, 8 nov. 1941, qua ab archidioecesi Nominis Iesu seu Caebuna, ter-

---

* Sub n. I continentur acta in praecedenti fasciculo omissa; sub n. II habentur quae ad novum fasciculum pertinent.

ritorii pars distrahitur, ex qua nova erigitur dioecesis « Tagbilarana » nuncupanda, eidem archidioecesi Caebunae suffraganea (*AAS* XXXIV [24 febr. 1942] p. 25 ss.).

G — Sermo quem SS.mus D. N. Pius Pp. XII habuit die 24 decembris anni 1941, in pervigilio Nativitatis D. N. Iesu Christi, adstantibus Em.mis PP. DD. Cardinalibus et Exc.mis DD. Episcopis ac Romanae Curiae praelatis (*AAS* XXXIV [20 ian. 1942] p. 6 ss.).

H — Nuntius radiophonicus a Summo Pontifice die 24 decembris anni 1941, in pervigilio Nativitatis D. N. Iesu Christi universo orbi datus (*AAS* XXXIV [20 ian. 1942] p. 10 ss.).

I — Epistula *Peculiari animi delectatione*, 19 ian. 1942, ad Rev.mum D. Fidelem de Stotzingen, abbatem primatem Ordinis Sancti Benedicti, dena lustra ab emissis votis religiosis peracturum (*AAS* XXXIV [24 febr. 1942] p. 35 s.).

28 - Sacra Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonizationis

Andegaven. Decretum 16 nov. 1941. Super dubio: An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Ioannae Delanoue, fundatricis Congregationis S. Annae a Providentia (*AAS* XXXIV [24 febr. 1942] p. 39 ss.).

Portugallen. Decretum 28 nov. 1941. Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae a Divino Corde, in saeculo Mariae Droste zu Vischering, Congregationis Sororum Nostrae Dominae a Caritate Boni Pastoris (*AAS* XXXIV [24 febr. 1942] p. 41 ss.).

Lucionen. Decretum 11 ian. 1942. Super dubio: An et de quibus miraculis post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem constet in casu et ad effectum de quo agitur, canonizationis Beati Ludovici M. Grignion de Montfort conf., fundatoris Presbyterorum Missionariorum Societatis Mariae et Puellarum Sapientiae (*AAS* XXXIV [24 febr. 1942] p. 44 ss.).

Andegaven. Decretum 11 ian. 1942. Super dubio: An, stante approbatione virtutum et trium miraculorum, *Tuto* procedi possit ad sollemnem Venerabilis Ioannae Delanoue beatificationem, beatificationis et canonizationis Venerabilis Servae Dei Ioannae Delanoue, fundatricis Congregationis S. Annae a Providentia (*AAS* xxxiv [24 febr. 1942] p. 46s.).

29 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:

6 dec. 1941, R. D. Petrus Bartholome, parochus in dioecesi Winonensi, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Francisci Busch, episcopi S. Clodoaldi.

26 dec. 1941, R. D. Emmanuel Arteaga, vicarius capitularis eiusdem archidioecesis, metropolitanae ecclesiae S. Christophori de Habana.

26 dec. 1941, R. D. Evelius Diaz y Cia, rector seminarii archiepiscopalis S. Christophori de Habana, cathedrali ecclesiae Pinetensi ad Flumen.

27 dec. 1941, R. D. Gulielmus O' Connor, parochus in civitate « Milwaukee », cathedrali ecclesiae Superiorensi.

3 ian. 1942, Exc. P. D. Rodulphus De Oliveira Penna, hactenus episcopus Barensis, cathedrali ecclesiae Valentinae in Brasilia.

10 ian. 1941, R. D. Antoninus Catarella, vicarius generalis dioecesis Agrigentinae, cathedrali ecclesiae Platiensi.

31 ian. 1941, R. D. Antonius Zattera, parochus paroeciae *Bento Gonçalves*, cathedrali ecclesiae Pelotensi.

31 ian. 1941, Exc. P. D. Ieremias Kinane, hactenus episcopus Vaterfordiensis et Lismoriensis, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Ioannis Harty, archiepiscopi Casheliensis.

7 febr. 1941, R. D. Antonius Iosephus Jaramillo Tobòn, iam vicarius generalis eiusdem dioecesis, cathedrali ecclesiae Iericoensis.

30 - Necrologium

15 ian. 1942, D. Stephanus Hanauer, episcopus Vaciensis.

24 ian. 1942, D. Emidius Trenta, archiepiscopus Viterbensis et Tuscanensis et abbas Sancti Martini in Monte Cimino.

31 ian. 1942, D. Patricius Chiasson, episcopus Bathurstensis in Canada.

7 febr. 1941, D. Patricius MacKenna, episcopus Cloghe-rensis.

26 febr. 1942, Em.mus D. Card. Thomas Pius Boggiani, episcopus suburbicarius Portuensis et Sanctae Rufinae, cancellarius S. R. E.

4 Mart. 1942, D. Tiberius Salazar Herrera, archiepiscopus Medellensis.

Ex periodicis

ARCHIVIO DI DIRITTO ECCLESIASTICO, III (1941), n. 4 (nov.-dic.) — Vincenzo Politi, *Sul carattere autoritativo della potestà di magistero della Chiesa*, pag. 472-480 — IV (1942), n. 1 (genn.-marzo) — Pio Fedele, *Principi e direttive in materia matrimoniale in un discorso di S. S. Pio XII*, p. 26-35 — Pio Ciprotti, *Il fine della Chiesa e il Diritto*, p. 36-40.

BOGOSLOVOSKA SMOTRA, XXX (1942), fasc. 1 (ian.-mart.) — V. Keilbach, *Moral bez religije*, p. 43-57.

COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS, XXIII (1942), fasc. 1 (ian.-febr.) — A. Gutierrez, C. M. F., *De gradibus libertatis et subiectionis religiosorum respectu Ordinarii loci*, pag. 30-41.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO, LII (1941), n. 12 (dic.) — Luigi De Luca, *Sulla natura giuridica dell'azione di rescissione per lesione nel « Codex iuris canonici »*, pag. 429-437.

IL MONITORE ECCLESIASTICO, LXVII (1942), fasc. 2 (febbr.) — *A proposito di periodici per il Clero*, pag. 27-28.

PASTOR BONUS (Romae), VI (1942), fasc. 1 (ian.) — Ph. Oppenheim, *Regulae generales pro administratione sacramen-*

torum seu de iis, quae in sacramentorum administratione generaliter servanda sunt, pag. 23-32; fasc. 3 (mart.), p. 124-136; VI (1942), fasc. 2 (febr.) — I. Moneti, *SS. RR. Pontificum de doctrina sociali et praxi praecipua placita cum commentariis* (continuatio), pag. 65-69.

RAZON Y FE, CXXV (1942), fasc. 2 (febr.) — J. Azpiazu, *El justo precio y el beneficio justo*. Ensayo sobre su determinación, pag. 129-144 — fasc. 3 (mart.) — E. Guerrero, *Moral nacional y moral religiosa*, pag. 245-268.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO E DEI RAPPORTI DI FAMIGLIA, IX (1942), n. 1-2 (genn.-febr.) — Plinio Citi, *Impotenza congiuntiva e impotenza generativa*, pag. 3-13.

II

31 - SS. D. N. Pius Pp, XII

A — Allocutio habita die 25 febr. a. 1941, ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis quadragesimalis, de exponendis symboli apostolici veritatibus (*AAS* XXXIV [1 *mai* 1942] p. 128-137.

B — Epistula *Quinque propediem lustra* 21 nov. 1941, ad Em.mum P. D. Adolfum tit. S. Agnetis extra moenia S. R. E. Presb. Cardinalem Bertram, archiepiscopum Wratislaviensem, abhinc XXV annis ad supremum Ecclesiae senatum cooptatum (*AAS* XXXIV [13 apr. 1942] p. 93-93).

C — Litterae apostolicae, *Ad Deum per rerum naturam*, 16 dec. 1941, quibus sanctus Albertus Magnus, Episcopus, confessor atque Ecclesiae doctor, cultorum scientiarum naturalium caelestis patronus declaratur (*AAS* XXXIV [13 apr. 1942] p. 89-91).

D — Constitutio apostolica 20 decembris 1941, qua ab archidioecesi Bellohorizontana territorii pars dismembratur et nova erigitur dioecesis « Oliveirensis », ipsi metropolitanae ecclesiae Bellohorizontanae suffraganea (*AAS* XXXIV [1 mai 1942] p. 121-123).

E — Litterae apostolicae *Dioecesis Sinaloensis*, 25 ian. 1942, quibus templum paroeciale expiatorium de Mazatlan, intra fines Sinaloensis dioecesis, Immaculatae Virgini dicatum,

dis symboli apostolici veritatibus (*AAS* XXXIV [1 maii 1942] p. 91-92).

F — Allocutio habita die 7 febr. 1942, ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis quadragesimalis, de exponendis symboli apostolici veritatibus *AAS* XXXIV [1 maii 1942] p. 137-147).

G — Epistula *Saeculo revoluto tertio*, 28 febr. 1942, ad Rev.mum D. PETRUM BOISARD, Societatis Presbyterorum a S. Sulpitio vicaria potestate Moderatorem generalem, tertio exeunte saeculo ab eadem societate condita (*AAS* XXXIV [13 apr. 1942] p. 94-96).

H — Epistula *Quandoquidem qui sacris humanisque disciplinis*, 7 mart. 1942, ad Rev.mum P. MARTINUM STANISLAUM GILLET, Ordinis Fratrum Praedicatorum Magistrum generalem, de S. Thoma Aquinate catholicarum omnium scholarum patrono, deque S. Alberto Magno physicarum disciplinarum cultorum praestite nuper dato (*AAS* XXXIV [13 apr. 1942] p. 96-99).

I — Epistula *Impensa*, 29 martii 1942, ad R. D. ANTONIUM TORRES, Pontificii Hispanici in Urbe collegii moderatorem, quinquagesimo vertente anno ab eodem collegio condito (*AAS* XXXIV [1 mai 1942] p. 124-125).

K — Epistula *Dum saeculum armorum*, 15 april. 1942, ad Em.mum P. D. ALOISIUM S. R. E. Presb. Card. MAGLIONE, a Publicis Ecclesiae negotiis, qua publicae indicuntur supplicationes ad populorum pacem conciliandam (*AAS* XXXIV [1 mai 1942] p. 125-127).

L — Sermo infra missam in Basilica Vaticana super tropaeum Beati Petri Principis apostolorum habitus, die 14 mai a. 1942, in festo Ascensionis D. N. Iesu Christi, coram Urbis populo annum XXV ab inito episcopatu Beatissimi Patris devote celebrante (*AAS* XXXIV [1 iun. 1942] p. 167-171).

32 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis

1 — *Romana seu Sabinen.* Decretum 13 febr. 1942, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in ca-

su et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servi Dei Bernardi Mariae a Iesu, Praepositi generalis Congregationis Clericorum excalceatorum Ss. Crucis et Passionis D.N.I.C. (*AAS* xxxiv [1 iun. 1942] p. 172-174).

2 — *Mediolanen.* Decretum 15 martii 1942, Super dubio: An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis ven. Servi Dei Contardi Ferrini, viri laici, professoris Athenaei Papiensis et aliorum (*AAS* xxxiv [1 iun. 1942] p. 174-176).

33 - Provisiones ecclesiarum

A. *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt*:

15 martii 1942, Exc. P. D. Iosephus Ignatius López, hactenus episcopus Garzonensis, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Petri Brioschi, archiepiscopi Carthaginensis in Columbia.

7 april. 1942, R. D. Ioannes D'Alton, antistes urbanus, canonicus Capituli metropolitani Dublinensis, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Thomae Mulvany, episcopi Midensis.

11 april. 1942, R. D. Florentinus Vieira, parochus paroeciae « Penha » in archidioecesi S. Salvatoris in Brasilia, cathedrali ecclesiae Amargonensi, noviter erectae.

14 april. 1942, Exc. P. D. Adelchin Albanesi, hactenus episcopus Balneoregiensis, cathedralibus ecclesiis, aeque principalite unitis, Viterbiensi, cum coniuncta abbatia nullius S. Martini ad Montem Ciminum, et Tuscanensi.

14 april. 1942, R. D. Thomas Leonetti, delegatus episcopalis dioecesis Faliscodunensis, cathedrali ecclesiae Ferentinae.

B. *Decretis S. C. de Propaganda Fide nominati sunt*:

16 oct. 1941, R. P. Iacobus Hubertus Goumans, Ordinis Sanctae Crucis seu Crucigerorum, vicarius apostolicus Bandungensis seu de Bandoeng.

16 oct. 1941, R. P. Michael Verhoeks, Congregationis Missionis sodalis, vicarius apostolicus Surabaiensis seu de Soerabaja.

25 nov. 1941, R. D. Paulus Yoshigoro Taguchi, e clero saeculari Iaponensi, cathedrali ecclesiae Osakaensi.

25 nov. 1941, R. D. Michael Wasaburo Urakawa, e clero saeculari Iaponensi, cathedrali ecclesiae Sedaiensi.

23 dec. 1941, Exc. P. D. Iacobus O' Collins, hactenus episcopus Geraldtonensis, cathedrali ecclesiae Ballaratensi.

23 dec. 1941, R. P. Iosephus Baud, e Congregatione Missionariorum S. Francisci Salesii ab Annecio, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Petri Rossillon, episcopi Vizagapatamensis.

23 dec. 1941, R. P. Ioannes Livinus Iosephus Sion, Societatis Parisiensis Missionaum ad exteras gentes presbyter, vicarius apostolicus de Kontum.

34 - Nominatio

Decretum S. C. de Propaganda Fide renuntiatus est:

31 nov. 1942, R. P. Paulus Tijou, e clero Iaponensi, praefectus apostolicus Zenshuensis seu Choninensis.

35 - Designationes pro appellatione

Iuxta can. 1594 § 3 *Codicis Iuris Canonici*, Administrator Apostolicus Dioecesius Satmariensis et Magnovaradinensis Latinorum ad appellationem in secunda instantia designavit:

Tribunal archidioecesis Agriensis pro dioecesi Satmariensi;

Tribunal archidioecesis Colocensis pro dioecesi Magnovaradinensi Latinorum.

Quas designationes Sacra Congregatio Consistorialis die 24 Februarii 1942 adprobavit.

36 - S. Romana Rota

Tabulae synopticae causarum S. R. Rotae

Anno 1941

I

Causae iudicatae

A - De matrimonio

CAUSAE	Iudic.	Affirm.	Negat.
Nullitatis:			
Ob impedimentum aetatis et ob vim et metum .	1	1	
Ob amentiam	2	2	
Ob impedimentum ligaminis (casus exceptus). .	1	1	
Ob clandestinitatem	3		3
Ob condicionem appositam	4		4
» » » et ob simulatum consensum	1		1
Ob defectum consensus	4	3	1
» » » et ob adiectam condicionem sine qua non	1		1
» » » et ob exclusam indissolubilitatem . . .	1	1	
» » » et ob vim et metum .	1		1
Ob defectum formae	2	1	1
Ob errorem circa qualitatem personae	1	1	
Ob exclusam indissolubilitatem	1		1
» » » et generationem prolis.	1		1
Ob exclusum bonum prolis	5	2	3
(Dispensatio super rato)		(1)	
Ob exclusum bonum prolis et fidei et ob adiectam condicionem de futuro licitam	1		1
Ob exclusam prolem et ob vim et metum . . .	1		1
Ob exclusam unitatem et indissolubilitatem et ob exclusum bonum prolis	1		1
(Dispensatio super rato)			(1)
Ob impotentiam mulieris	5	3	2
(Dispensatio super rato)		(1)	(1)

	Iudic.	Affirm.	Negat.
Ob impotentiam viri	9	3	5
(Dispensatio super rato)		(2)	(3)
Incidentis	1		1
Ob metum et ob defectum consensus	2		2
Ob simulatum consensum	4	1	3
» » » et ob exclusam indissolubilitatem . . .	1		1
Ob vim et metum	29	10	19
» » » » vel simulatum consensum . .	1		1
» » » » et » » . .	1		1
» » » » ob simulatum consensum, ob exclusam prolem et indissolubilitatem . .	1		1
	86	30	56

B - De variis argumentis

Ceterae causae fuerunt: ter de iuribus, semel de credito et restitutione in integrum, semel de pensione.

II

Causae quae eodem anno 1941 transactae fuerunt, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis finem habuerunt; quibus adduntur decreta quoad recursus contra libellorum reiectionem.

A - De matrimonio

CAUSAE	
Nullitatis:	
Casus exceptus	2
Ob conditionem appositam	1
Ob consanguinitatem et ob defectum consensus . . .	1
Ob defectum consensus	2
Ob condicionem contra indissolubilitatem	2
Ob condicionem appositam et ob exclusum bonum prolis	1

Ob defectum consensus	2
» » » et ob vim et metum	1
Ob exclusam indissolubilitatem	2
Ob exclusum bonum prolis	3
Ob impotentiam viri	3
Incidentis	1
Nullitatis sententiae	1
Super reiectione libelli	4
Ob simulatum consensum	1
Ob vim et metum	19
» » » » et ob condicionem appositam. . .	1
» » » » et ob condicionem appositam, ob defectum consensus	1
Separationis	1
	49

B - De variis argumentis

Ceterae causae fuerunt: semel de alimentis et super reiectione libelli, semel de credito, semel de credito et damnis, bis de damnis, semel de diffamatione, semel de iniuriis, ter de iuribus, semel de iuribus et super reiectione libelli, semel de privatione beneficii, semel de solutione.

N. B. — Ex 91 causis sub I allgatis, 41 causae peractae sunt cum gratuito patrocinio.

37 - Necrologium

18 mart. 1941, D. Paulus Augustinus Lecoeur, episcopus Sancti-Flori.

26 mart. 1942, D. Aloisius Stephanus Misié, episcopus Mandetriensis et Dumnensis.

29 mart. 1942, D. Antonius Augustus de Castro Meireles, episcopus Portugallensis.

17 april. 1942, D. Ioannes Baptista Girardi, episcopus Papiensis.

21 april. 1942, D. Ioannes Baptista Gonon, episcopus Molinensis.

19 maii 1942, Em. D. Card. Henricus Maria Alfridus Baudrillart, tit. S. Bernardi ad Thermas.

20 maii 1942, D. Iulius Zichy, archiepiscopus Colocensis

NOTAE BIBLIOGRAFICAE

I - Ex libris

Michel Móra, *Die Grundfragen der Kirchensteuer und der Kirchengemeinde nach kirchlichem und staatlichem Recht* (magiarice) (Abhandlungen aus dem kirchenrechtlichen Seminar der Pázmány Péter Universität zu Budapest, N. 1), Budapest, (A Szent István-Társulat Föbizománya), 1941, 16,5×23 cm., 260 p.

Der Begriff der Kirchensteuer und die Grundlagen des kirchlichen Steuerrechtes. Die Pfarrei und die Kirchengemeinde.

Michael Móra, *De iure accusandi matrimonium in causis nullitatis secundum ius canonicum* (magiarice) (Studia instituti Iuris ecclesiastici in Universitate Regia Hungarica de Cardinali Petro Pázmány nuncupata, n. 2; Acta Instituti Iuris processualis in Universitate Regia Hungarica de Cardinali Pázmány nuncupata, N. 3), Budapest (A Szent István-Társulat Föbizománya), 1941, 16,5×23 cm., X-260 p.

De origine et evolutione iuris accusandi matrimonium in iure canonico. De iure accusandi matrimonium in processu nullitatis secundum ius vigens.

Liber ad honorandum Antonium Notter continens dissertationes ex iure canonico necnon et disciplinis affinibus a collegis, amicis et discipulis magno Magistro iuris ecclesiastici annum septuagesimum agenti oblatas (magiarice), Budapest (A Szent István-Társulat Föbizomanya), 1941, 16,5×23 cm., XI-1167 p.

Hae dissertationes spectant: Historiam iuris utriusque, Ius romanum, Ius canonicum hodiernum, Ius ecclesiasticum particulare in Hungaria, Ius ecclesiasticum Protestantium in Hungaria, Ius ecclesiasticum Orientalium-Orthodoxorum in Hungaria, Ius gentium in relatione ad ius ecclesiasticum, Philosophiam iuris, Ius civile, Ius commerciale, Ius poenale, Varias alias res, Singulae dissertationes compendio latino complentur. Plures aliis linguis quam magiarica scriptae sunt.

Joannes Baptista de Toth, *De auctoritate theologica catechismi Romani,* Budapest, 1941, 14,5×21,5, 100 p.

Origo, auctores, scopus cathechismi Romani. Quid dicant Romani Pontifices de catechismo nostro. Documenta conciliorum particularium. Mens concilii Vaticani. Opiniones atque iudicia theologorum. Conclusio et index bibliographicus.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

De mutua inter Theologiam Moralem et Ius Canonicum habitudine

Profecto non levis est quaestio, quae hodie inter nonnullos auctores disputatur, num scl. intima unio, qua nostris temporibus in scholis et in libris scholasticis doctrina Theologiae moralis simul cum elementis Iuris Canonici permixta proponi solet, sit approbanda an reprobanda. Alii opinantur huiusmodi unionem non tantum esse utilem, sed etiam practice necessariam atque intimae rerum naturae correspondentem; alii econtra eam inutilem atque adeo perniciosam habent, cum obiecta formalia unius alteriusque disciplinae inter se toto caelo distent et pura theologiae moralis ac pastoralis natura elementis iuridicis non possit non obscurari. Proin isti accuratam anhelant separationem utriusque disciplinae, ut « purgata a quovis elemento mere iuridico » doctrina ethica a Christo Domino in « sermone montis » nobis proposita iterum nitida effulgeat. Porro addunt, etiam ex historia scientiae sacrae elucere, « infiltrationem » iuridicam solummodo tardius theologiae morali accessisse, et quidem magno semper cum damno pro hac disciplina sane efformanda et consequenter pro animis in cura pastorali iuvandis.

Cum inter praecipuos scopos, quibus nostra « Periodica » inservire connantur, ille certe non minimus sit, quo unitas utriusque disciplinae, sacrae scl. theologiae moralis et sacrorum canonum, earumque harmonia interna at-

que organica intensius colenda suscipitur, non abs re duximus, de hoc problemate quaedam disserere. At in quaestiones speculativas hodie discussas directe intrare nullo modo intendimus, sed fruiti occasione felici ex historia scientiae sacrae aliquid, quod ad rem facere poterit, contribuere velimus indeque conclusiones utiles deducere.

Annis enim 1940 et 1941 nuper elapsis, duo recurrerunt anniversaria commemoranda, quae silentio tegere scientiae theologiae moralis et ss. canonum cultorem minime decet. Memoria enim agebatur virorum illustrium, qui de utraque scientia perficienda optime sunt meriti, Magistri scl. Joannis Gratiani et Gregorii IX. Romani Pontificis. Et prior quidem anno 1140 — sicuti non immerito auctores fere omnes hodie admittunt — opus suum saeculare absolvit atque publicavit, quod ipse titulo insignivit « Concordia discordantium canonum », posteri vero simpliciter « Decretum » nominabant. Anno autem 1941, die 22 augusti, septem elapsa sunt saecula, ex quo Gregorius IX, auctor Compilationis ss. Canonum amplissimae, quae « Collectio Decretalium Extravagantium » appellari solet, beato fine quievit. Cum dicente poëta inter arma sileant musae, mirum non est, quod huiusmodi anniversaria inter scientificos nostri temporis non illam adepta sint attentionem quam meruerunt, sed rumore bellico potius oblivione sint obruta.

Nobis vero haec anniversaria ansam saltem praebeant illustrandi problema supradictum ex historia canonistica illius temporis. Neminem enim fugit, illa inter Gratianum et Gregorium IX aetate, quae merito « aurea » nominari solet, mutuam utriusque disciplinae, theologiae scl. moralis et iuris canonici, unionem maxime floruisse. Et profecto, magistri ss. canonum simul etiam erant theologi, libri in scholis canonistarum adhibiti quaestiones non solum canonicas, sed pari pondere etiam morales et dogmaticas tractabant. Theologi aeque ac canonistae mutuo consilio ad quaestiones communes scientifice dilucidandas

concurrebant, nec facile hodie discerni quit, quae disciplina maius incrementum alteri praebuerit. Nec leves erant huiusmodi quaestiones neve periphericae, sed vere fundamentales, cum scientia ecclesiastica illo tempore systemate scientifico accurate elaborato et diligenter definito adhuc careret. Ideo iure merito dictum est, principia fundamentalia theologiae moralis praecise ope canonistarum prima vice esse scientifice elaborata. Iuvabit ergo, speciminis gratia, ex scriptis Decretistarum ac Decretalistarum aetatis aureae obiectum seligere, hodie undequaque quidem absolutum, illo tempore vero maxime discussum, ex cuius tractatione mutua utriusque disciplinae cooperatio eluceat, problema dicimus de *imputabilitate actuum humanorum*.

I

Ex revelatione quidem Christi Domini et ex doctrina ss. Patrum, praecipue s. Joannis Chrysostomi et s. Augustini, medii aevi magistri, clare constabat, actionem malam homini agenti in peccatum imputari non posse, nisi posita sit deliberata ac libera voluntate. Porro, effectus malos alicuius actionis humanae sub responsabilitate agentis solum cadere, si et quatenus ab eius intentione et libera voluntate dependent.

Supposito hoc principio generali , quod auctores appellare solent « systema voluntaristicum » seu « systema consensus », quaestiones singulares e. g. de momento ignorantiae, inadvertentiae, necessitatis, coactionis, iustae defensionis etc., per se facile solvi potuissent. Cum vero theologia moralis primo millennio vix aut ne vix quidem systematice coleretur, huiusmodi quaestiones insolutae manserunt. Et fortasse haec rerum conditio longius perdurasset, nisi ex collectionibus canonicis seria esset nata difficultas contra supradictam thesim voluntaristicam a traditione antiqua propositam.

In compilationibus enim iuris canonici, ante Gratianum confectis, et maxime in ipso Gratiani Decreto, amplissima collecta erat copia textuum antiquorum, qui ex diversissimis fontibus erant deprompti, ex scriptis scl. ss. Patrum, ex Conciliis oecumenicis et particularibus, ex decretalibus RR. Pontificum, ex libris Poenitentialibus Hibernorum, denique ex iure romano, germanico et celtico. Qui textus seu « auctoritates » methodo scientifica illius temporis, theologiae dogmaticae aeque ac moralis et iuris canonici, primas habuit partes auctoritas, non ratio critica; nec praesto erat systema methodologico-criticum, quo valor singularum auctoritatum mensura iusta et conveniente ponderetur. Iam vero, inter illos textus, utpote ex ca. novem saeculis et ex diversis adiunctis culturae congestos, non poterant deesse qui doctrinam exprimerent a traditione genuina ecclesiastica alienam. Et de facto, quod nostrum problema attinet, non pauci erant textus, praecipue ex libris poenitentialibus deprompti vel sub influxu iuris populorum germanicorum et celticorum confecti, qui principium supponerent oppositum systemati voluntaristico. In iure enim poenali illarum gentium effectus malus alicuius actionis imputabatur agenti, etiam citra eius voluntatem deliberatam et liberam; valebat thesis, quae inter auctores dici solet « responsabilitatis ex effectu » (Erfolgshaftung), in oppositione ad systema purum « responsabilitatis ex voluntatis consensu » (Willenshaftung). Negari nequit huiusmodi principio textibus immixto non leves exortas esse obscuritates in casibus practicis solvendis. At eorum solutionis occasione, a canonistis principia clarius concepta, accuratius circumscripta, systema vere scientificum ac ordinatum exaratum est. Quod nunc exemplo videamus[1].

---

[1] Cf. M. Müller, Ethik und Recht in der Lehre von der Verantwortlichkeit. Regensburg 1932. — St. Kuttner, Kanonistische Schuldlehre von Gratian bis auf die Dekretalen Gregors IX. Città del Vaticano 1935, quem cl.m auctorem sequimur.

II

Famosus erat casus, qui in collectionibus iterum atque iterum citabatur: « Saepe contingit, dum quis operi necessario insistens arborem inciderit, ut aliquis subtus ipsam veniens deprimatur. Et idcirco, si voluntate vel negligentia incidentis arborem factum est, ut homicida poenitentiae debet omnino submitti. Quod si non voto, non incuria illius, non hoc eum sententia contingit; si enim, dum ille operi necessario fortassis incumberet, iste insperatus occurrens sub arbore improvisus devenit et sub ipsa oppressus est, incisor arboris non tenetur pro homicida » [2]. Vel idem casus alia forma: « Si duo fratres in sylva arbores succiderint, et appropinquante casura ipsius arboris, frater dixerit fratri: Cave! et ille fugiens in pressuram arboris inciderit, et mortuus fuerit, vivens frater innocens de sanguine germani diiudicetur » [3].

Qui casus, primo aspectu valde simplex, ansam dedit evolvendi principia imputabilitatis. Et primo quidem notandum est, utramque decisionem conciliarem sine dubio originem debere persuasionibus in populo et fortasse etiam in clero grassantibus de « responsabilitate ex effectu ». Secus enim Concilia vix aut ne vix quidem huiusmodi canonem edidissent. Et profecto, utraque synodus particularis celebrata est in ecclesia Franconiae, prope Moguntiam ad Rhenum, et quidem saeculo 9, ubi ex duplici ratione illa thesis erronea erat diffusa, primo propter opiniones iuridicas populi germanici [4], quibus illa gens vixdum ex infidelitate ad fidem catholicam conversa adhuc adhaerebat, secundo ex libris poenitentialibus Hibernorum, principio responsabilitatis ex effectu maxime imbutis, qui in clero ecclesiae Francorum aetatis Carolingicae magna cum veneratione erant recepti. In diversis vero libris poe-

---

[2] Conc. Wormat. (a. 868 cel.) c. 36=c. 50, D. 50.
[3] Conc. Tribur. (a. 895 cel.) c. 36 = c. 51, D. 50.
[4] Cf. e. g. Leg. Saxon. c. 11; Lib. Papiens. Rothar. 138.

nitentialibus casus noster supradictus multo rigorosius erat solutus, scl. caedens arborem, sive ex voluntate, sive ex sola negligentia, sive etiam sine ulla culpa egerit, propter occisionem alterius puniendus dicebatur, etsi maiore vel mitiore cum poena[5]. Contra hanc thesim exaggerate propositam et in praxi applicatam, Episcopi in synodo convenientes insurrexisse videntur, declarantes innocentem illum, qui sine ulla voluntatis culpa actionem posuit, ex qua effectus malus et damnosus est secutus.

Qua declaratione prima distinctio, hac in quaestione adhibenda, erat exarata et quidem ex spiritu doctrinae ecclesiasticae antiquioris, i. e. ex systemate voluntaristico: effectus malus agenti non imputatur, si tantum casu et absque ulla voluntate agentis sequitur; in omni alio casu e contra imputatur.

Attamen thesis responsabilitatis ex effectu inde nondum erat devicta. Aliae enim « auctoritates » in Decreto Gratiani et in Decretalibus reperiebantur, quibus maiore adhuc claritate responsabilitas ex effectu affirmari videbatur. Sic e. g. Alexander III in Decretali ad archiepiscopum Cusentinensem dicit: « Continebatur in literis tuis, quod cum diaconus et quidam alii clerici a vineis ecclesiae opere consummato redirent, leviandi laboris gratia quendam ludum imitati sunt viatorum, proicientes baculos suos in longum; studebant enim iacere in directum, et alter alterius fustem ferire. Cuius ludi, sicut asserunt, solet esse conditio, ut qui alterius baculum percuteret, quasi victor pro equo alio, cuius baculus percussus est, uteretur; sed praefati clerici, equitandi licentiae non utentes, sola erant iactione contenti, ut dum alacrius ad baculos suos concurrerent, laborem itineris non sentirent. Quidam autem laicus, sicut praedictus diaconus asserit, dum baculum eiusdem diaconi percussisset, incautus in eum equitaturus in-

[5] H. Wasserschleben, Die Bussordnungen der abendländischen Kirche. Halle 1851, - H. J. Schmitz, Die Bussbücher und die Bussdisziplin der Kirche, Mainz 1883.

siliit, et sic a falce illius diaconi, qua erat accinctus, mortale vulnus accepit, de quo post dies octo exspiravit. Ideoque mandamus, quatenus eundem diaconum sine licentia Romani Pontificis ad superiorem gradum non ascendere, vel in diaconatus officio nullo umquam tempore ministrare permittas, sed eum dispensative ministrare in subdiaconatus officio patiaris »[6].

Quo in casu diaconus, qui ne posuerit quidem, sed potius passus sit actionem, ex qua mors alterius partis accidit, nihilominus ad instar homicidae quoad sacros ordines recipiendos vel exercendos tractatur; videtur ergo clare supponi responsabilitas ex effectu.

In alia autem Decretali idem Alexander III secundum aliud principium et quidem mitius rem decidebat: « Lator praesentium, P. clericus, nobis viva voce proposuit, quod cum quadam die casu cum quodam clerico luderet, contigit, quod ille proiecit istum ad terram, cuius cultellus, quem ad latus suum habebat, in alterum incidit et fortuito casu occubuit vulneratus. Ideoque mandamus, quatenus rei veritate comperta, si ita res se habuit, et alia iusta causa non impedit, praedictum P. libere permittas ad sacros ordines promoveri. »[7] Nonne, in isto secundo casu culpa clerici — si de culpa in uno alterove casu sermo esse posset — sine dubio maior et clarior erat ac in casu antecedente? Et tamen decisio Pontificis mitior! Haec apparens utriusque Decretalis contradictio auctores multo praeoccupabat: purum systema responsabilitatis ex effectu admittere nolebant, ex altera vero parte difficile erat, veram culpam invenire.

Idem dicas de casu tonsoris, qui in via publica artem exercet et barbam radit; a pueris pila ludentibus fortuito casu proiicitur pila, quae tangens brachium radentis deviat cultellum, ita ut radendus mortaliter feriatur; tonsori mors

---

[6] c. 8, X, V 12 de homicidio.
[7] c. 9, X, V 12 de homicidio.

alterius imputatur [8]. Summas vero difficultates theologis et decretistis casus creabat, a Gratiano relatus: « Quantum dicit iste Placidus, anno praeterito dictum est de uxore ipsius, quia subito inter caballos invénta et dum traherentur caballi, collisa est illa et abortum fecit. Quod si ita est, forte si caballos alienos duxerit, inde est culpabilis. Nam de muliere, quae casu inter caballos confracta est, ubi voluntas illius non agnoscitur perniciosa fuisse, non potest nec debet addici per leges » [9].

Quantum ex glossis decretistarum constat, praecise occasione huius canonis et supra citati canonis 50 (de arborem caedente) principaliores distinctiones sunt elaboratae. Fuerunt canonistae qui simpliciter dicerent — et non sine ratione — homicidium mere casuale, de quo in casibus, coram lege Dei seu « poli » nullatenus esse peccatum nec ideo agenti imputari posse; ipsam posse quidem puniri, sed nonnisi a lege terrestri seu « fori » [10]. Secundum ergo doctrinam istorum auctorum, qui ceteroquin recte differentiam inter forum conscientiae et forum externum intelligebant, existere potest discrepantia legem fori inter et legem poli. Attamen plurimi auctores huiusmodi explicationem tueri noluerunt: tale enim assertum ipsis durum atque adeo periculosum videbatur. Qua de causa asserebant, id quod in foro externo ecclesiae imputatur, in foro quoque poli, i. e. in conscientia coram Deo esse imputandum [11]. Et huius dicti internam rationem quoque investigabant eamque invenisse putabant in ipsis canonis 50. verbis: « dum ille operi necessario fortassis incumberet, ... non tenetur pro homicida ». Unde concludebant, a responsabilitate circa effectum malum casualem illum liberari posse, qui actionem posuerit necessariam

---

[8] Dig. 9, 2, 11.

[9] c. 48, D. 50.

[10] Stephanus Tornacensis ad c. 46, D. 50; Joannes Faventin. ad eundem locum; Huguccio ad c. 39, D. 50: « quoad Deum non iudicabitur, licet quoad ecclesiam, quae de voluntate nescit ».

[11] Ioannes Teutonicus ad c. 20, C. 2, q. 5: « tenetur etiam quantum ad Deum ».

et proin licitam. Obvia tunc profecto erat alia conclusio, effectum scl. malum ex actione non necessaria, superflua seu illicita provenientem imputandum esse agenti, etiamsi effectum noluerit, immo si ne negligentiam quidem commiserit. Sic inventa est illa famosa distinctio, quae postea in scriptis theologiae moralis et iuris canonici continuo repetitur: versari in re (actione) licita seu illicita.

Qua distinctione ad canonem 49. D. 50 applicata, in ipsis canonis verbis solutio innui videbatur. Canon enim dixit, sat obscure: si forte caballos *alienos* duxit, inde est culpabilis. Cur Placidus culpabilis declaratur, si equos alienos duxit? Bazianus [12] aliique ipsum sequentes hoc modo rem explicare conati sunt: si Placidus equos furto ablatos duxit, eo ipso versatur in re seu actione illicita, proin omnes suae actionis sequelae ipsi sunt imputandae, etiam abortus mulieris ceteroquin omnino casualis. Aliis verbis: imputatio effectus mali etsi nullo modo voliti, est veluti poenae instar pro actione illicita. Quid autem, si equi a Placido ducti, non erant furto ablati? — et de furto ne verbum quidem in canone erat. Ad solvendam hanc obiectionem et simul ad salvandam canonis decisionem alii auctores subtilius procedentes asserebant, Placidum esse culpabilem, dummodo equos alienos duxerit, etsi non furto ablatos, sed e. g. commodatos; alienorum enim equorum naturam ac mores, dicunt, uxor eius scire nequibat, proin ipse non debuisset permittere absque monito uxorem equis appropinquare; ideo culpabilis est propter defectum diligentiae in agendo.

In omnibus his explicationibus tentamina observari possunt, repellendi thesim responsabilitatis ex effectu, in fontibus manifeste contentam, eique substituendi responsabilitatem ex voluntate. Unde prima ac principalis distinctio statuta est: « versari in re (actione) licita respective in re illicita ». Perpetranti actionem illicitam, missis ambagibus, omnes effectus ex hac actione resultantes sem-

---

[12] Cf. textus apposite citatos apud Kuttner, o. c. pag. 236 ss.

per imputantur, etiam effectus tantummodo casualis; si vero actionem licitam posuerit, exactius distingui poterat, utrum scl. debitam diligentiam adhibuerit necne. In priore casu culpa vacat, in posteriore autem culpabilis est et effectus malus, etsi per se non fuerit volitus, ipsi ob culposam negligentiam imputatur.

Quas distinctiones si accuratius inspexerimus, inveniemus auctores habuisse intentionem statuendi elementum voluntatis culposae, ut inde imputatio effectus mali iustificetur. Sed successu diverso idem intendunt: dum enim culpa propter negligentiam, relate ad effectum habitum, rectum elementum voluntatis culposae constituit vel saltem constituere potest, prima distinctio, scl. « versari in re licita seu illicita », apparentem tantum culpam relate ad effectum habitum statuit. Nam supponamus casum clericorum ludentium, qui ergo in re inutili, non necessaria versari dicuntur, supponamus insuper hos clericos nullam ludendo negligentiam conscie commisisse et tamen infortunium accidisse, sententia, qua factum ludi superflui iam ratio culpabilis vulnerationis subsequentis affirmatur, minime videtur esse recta. Talis opinio apparentem tantum culpam creat, et ultimatim non est aliud nisi velatum systema responsabilitatis ex effectu — quod praecise evitandum et reprobandum erat.

Quod idem inter canonistas unus animadverterat Huguccio, qui etiam aliis in quaestionibus ingenii sagacitate eminebat. Cum vero Huguccio aliam viam qua evaderet, non inveniret vel ingredi nollet, simpliciter declarabat et « negligentiam » et « versari in re illicita » constituere delictum speciale, quod ob damnum inde sequendum gravius punitur, immo « versari in re illicita » tale delictum speciale dicendum esse, cuius natura praecise in eo sit, ut quis responsabilis fiat non tantum propter actionem per se illicitam (e.g. furtum, ludus superfluus), sed propter omnes quoque effectus ex ea casualiter sequentes. Posteriori aetati reservatum est, inconsequentias huiusmodi systematis expolire at-

III

que systema morale perspicuum de imputabilitate effectus mali perstruere, quod in hodierna theologia morali ultimam suam perfectionem obtinuit praecipue in illo famoso et subtili principio de actione cum duplici effectu.

Resumendo quae usque modo diximus, quasdam conclusiones deducere intendimus, quoad problema de quo initio locuti sumus, de relatione scl. inter theologiam moralem et ius canonicum.

Primo vidimus principia iuris de facto momentum non parvum in principiis theologiae moralis adstruendis obtinuisse. Si quaeris, quomodo tale quid fieri potuerit, responsio obvia est inspicienti historiam et fontes. Casus enim in collectionibus et compilationibus propositi fere omnes originem duxerunt sive ex iure ordinationis sive ex disciplina poenitentiali. Ex iure ordinationis: plures enim casus a nobis supra citati aguntur, num laicus vel clericus, qui delictum aut verum aut apparens commiserit, ordinationem adhuc accipere vel ordinem susceptum exercere possit. Quae nihil aliud est nisi quaestio irregularitatis. In irregularitatibus autem non adeo respicitur imputabilitas moralis in conscientia coram Deo, immo neque poena ob delictum perpetratum imponenda, sed omnis quaestio est de sanctitate et dignitate ordinis clericalis servanda, de scandalo fidelium evitando: respectus igitur pure externus, iuridicus, paedagogicus, practico-pastoralis.

Similiter res se habet quoad disciplinam poenitentialem: in hac re enim notare debes, disciplinam poenitentialem ecclesiae illius temporis, i. e. usque ad saeculum ca. 12, fuisse multo magis publicam ac hodie, ordinatam ad reconciliandum peccatorem cum ecclesia, ad scandalum in populo reparandum. His prae oculis habitis, facilius intelligitur in poenitentiae administratione poenas imponi potuisse, ex meris rationibus paedagogicis (e. g. ad praeveniendam disciplinae publicae enervationem), quae ex

sola culpabilitate conscientiae non iustificarentur. Talis respectus autem iterum erat fori externi, quin inde quaestio de remissione peccatorum coram Deo negaretur vel tangeretur.

Fieri tamen non potuisset, principia iuridica et principia erronea ex iure civili et ex persuasionibus publicis populorum enata, tantum valuisse in theologia morali, nisi

Secundo theologia moralis defecisset. Ipsa enim ut scientia nondum existebat et idcirco carebat solida structura doctrinali, qua omnes ideae novae vel insolitae statim corrigerentur, omnes opiniones erroneae a limine repellerentur, sicuti hodie id observamus.

Tertio labor fundamentalis ad perscrutanda necnon elaboranda singillatim principia theologiae moralis, praestitus est illis praecise temporibus inter Gratianum et Gregorium IX, quae pro dolor saepius dicta sunt aetas obscura, aetas ante-scholastica nec animadversione digna putabantur. Et tamen, nisi opera illorum magistrorum ignotorum antecessisset, ne S. Thomas quidem doctrinam suam classicam ethicae christianae componere potuisset. Illi vero scriptores aetatis « obscurae » non erant moralistae plerumque, nec theologi dogmatici, sed erant nullo fere excepto canonistae.

Licet hodie quidam sint qui dolentes hac de re id vitio vertunt, quasi canonistae theologiam moralem ad iuris placita pervertissent, minimum tamen et hi concedere debent, sine canonistarum opera, sine fermento scientiae canonicae, theologiam moralem hodiernam ut scientiam sane non posse existere et canonistas inculpandos non esse, quod theologia moralis proventu non satis secundo contra influxum sic dictum nocivum seu perniciosum iuris se defenderit.

Quarto illa praecise singularis quaestio de imputabilitate nobis ostendit, theologiam moralem reiectis principiis iuridicis florere non posse. Nam applicatio practica doctrinae Jesu Christi ad vitam christianorum, praesertim autem

in tribunali confessionis, sine limpida conceptum iuridicorum securitate stare nequit, ne id quod Christus Dominus tamquam beneficium perfectionis christianae docuit, animis fiat pondus intolerabile. Minus enim malum ducimus, quod theologia moralis moderna canonibus Codicis « onerata » sit, quam quod distinctionibus iuridicis spretis, obligationes conscientiae ibi asserantur, ubi ex mente Divini legislatoris esse nequeunt. Nec teste historia tolerandum esse putamus, adstruere oppositionem inter theologiam moralem et ius canonicum, quippe cum utraque lex eidem legi aeternae innitatur, eandem habeat matrem « caritatis legislatricem », eidem scopo inserviat sancto oporteat, animarum scl. bono supernaturali.

I. A. Zeiger, S. I.

Ven. Ludovicus de Ponte S. I. et co-oblatio fidelium in Sacrificio Missae.

Libenter in re tam nobili [1] lectori propono testimonium magni huius doctoris.

P. Ludovicus de Ponte enim unus ex paucis istis a Deo praedilectis est, qui unctionem pietatis coniungit cum ubertate scientiae theologicae, et pulchritudinem linguae cum diligentia accuratissimae dictionis [2].

In puncto quinto autem meditationis 28 libri VI Meditationum haec profert:

« Quartum, quod in die festo est praestandum, est *offerre Deo sacrificia.* ad exhibendum cultum ei debitum eo nomine quod sit noster creator et sanctificator, et in

---

1 Cf. *Periodica* XXX, 1941, p. 265-273.

2 Mirae pulchritudinis sunt orationes, quae passim in Meditationibus P. de Ponte inveniuntur; lingua hispana qua scripsit est classica. Textus noster est ex versione Patris Melchioris Trevinii, Col. Agripp. 1612.

gratiarum actionem ob tot in nos collata beneficia, et ad impetranda alia recentia, quibus magis adhuc illi placeamus.

Ad hos tres fines offertur sacrificium Missae [3], cui interesse debent Christiani omnes diebus omnibus Dominicis et Festis [4], et offerre illud simul cum ipsis Sacerdotibus et per ipsorum manus, reddentes quoque *sacrificium spiritus contribulati et cordis contriti et humiliati*, et *sacrificium iustitiae* [5], exercentes varia opera pietatis et charitatis. Neque enim ab operibus servilibus abstinemus, ut de cetero otiosi simus; sed ut opera exerceamus, quae tunc magis Creatori placent, per quae quies obtinetur et spiritus solatium ».

Clarum est ex textu citato:

1° Venerabilem agere de populo fidelium;

2° Item de oblatione praecisive sumpta [6], qua Deo porrigitur victima incruenta N. T. in laudem et placationem, in gratiarum actionem, in novorum beneficiorum impetrationem.

3° Secundum eum fideles offerre una cum sacerdote et per sacerdotem.

4° Eum perlucide distinguere oblationem ipsius victimae realis N. T. ab oblatione victimae metaphorice dictae: cordis contriti et humiliati etc.

At dixerit quis: Facile conceditur, in Missae Sacrificio fideles aliquo vero et proprio sensu Deo Patri offerre Christum tamquam victimam incruentam novi foederis. Id enim in sacrae liturgiae documentis saepius exprimitur, immo in ipso Canone. Sed agiturne de oblatione sensu stri-

---

[3] Ipse de Ponte citat. *Meditat.* IV, med. 15, p. 2.

[4] Cf. *C.I.C.* can. 1248-1249 cum notis.

[5] Cf. *Psalm.* 50, 19 et 4, 6.

[6] Cf. *Periodica* l. c. p. 268, ubi non solum diximus consecratione rem sacram et effici, et simul (tempore scil., natura autem posterius) in altari poni tamquam hostiam laudis et expiationis; sed etiam oblationem praecisive sumptam, consecratione inchoatam, perdurare usque ad finem sacrificii, i. e. sumptionem eucharisticam. Sacrificium enim Missae ex voluntate Christi finem facit, sumptis speciebus.

cto, id est: sacrificali? Nonne sacerdos et fidelis alio et alio modo offert? Nonne oblatio de simplice fideli analogice tantum praedicatur? Nonne fideles sic dicti co-offerentes actum religionis mere privatum perficiunt, qualem etiam facere possunt in solemnitate XL horarum coram Sanctissimo solemniter exposito? paucis: actum qui nullo modo intret in essentiam Sacrificii? Tandem, si Ecclesia fidelium stricte offert, nonne dicendum principalius offerre Ecclesiam fidelium quam Sacerdotem, quippe quia totum principalius agit quam totius organa?

* * *

Videamus. Et primum quidem, valde mirum esset, si Venerabilis, dicens Christianum offerre cum Sacerdote et per Sacerdotem, vocem offerendi eodem momento stricte et late simul adhibuisset! Sed nolo urgere admirationis argumentum: consideremus potius, cur certe hoc non fecisse censendus sit.

Offerens principalis in Missae Sacrificio est ipse Christus: sed Christus prout est Caput Ecclesiae: non solum sese Patri offerens *pro* membris suis, sed etiam *nomine* membrorum. Illam autem oblationem visibilem non reddit nisi per sacerdotem humanum, qui itidem sua vice non tantum offerre debet *pro* fidelibus, sed haud minus *nomine fidelium*[7]. Iure merito igitur dicere possumus terminologia Bellarminiana[8]: « Christus offert per sacerdotem tamquam per inferiorem, plebs fidelium offert per sacerdotem tamquam per superiorem », et nulla est ratio, cur vox *offerendi* sensu stricto in priore parte sententiae, sensu lato in posteriore adhibita dicatur. Si enim fideles non stricte offerunt per sacerdotem, nec sacerdos stricte offert fidelium nomine, nec Christus stricte offert per sacerdotem. Sic omnes Christiani per Christi ministros una cum Christo constituunt unum sanctum sacerdotium[9], unum cor-

[7] Cf. *Periodica* l. c. p. 270 et 271.
[8] *Ibidem* p. 271.
[9] 1 *Petr.* 2, 5 et 9 coll. *Apoc.* 1, 6; 5, 10; 20, 6.

pus Summi Sacerdotis[10], quod non desinit singulis horis ubique terrarum per incruentae victimae oblationem dare Deo omnipotenti omnem honorem et gloriam. Clarum est hanc quasi continuam oblationem, ut ex parte singulorum fidelium stricta vocari possit, supponere in iis quandam tacitam ac non retractam intentionem honorandi Deum in omnibus Ecclesiae Sacrificiis[11].

Quodsi iam in omni Sacrificio fideles stricte offerre dicantur oportet, scilicet per sacerdotem: multo magis in istis Sacrificiis, ubi sacerdotem litantem circumstant, ipsi adstantes. Cuius rei triplex est ratio:

Et prima ratio satis aperta est. Verum quidem est sacerdotem omnem in quovis Missae Sacrificio personam gerere omnium fidelium: attamen singulari modo repraesentat circumstantes altare in quo litat. Quod necessario secum fert circumstantes singulari ratione offerre per ministrum litantem: de correlativis videlicet agitur.

Secunda ratio desumitur ex actu oblationis. Etenim actus oblationis in S. Missae est actus externus, manifestans internam oblationem, seu ordine inverso interna oblatio visibiliter manifestata[12]. In illo actu igitur interna oblatio potest considerari quasi ut elementum materiale; ritualis manifestatio verum ut forma. In Missae Sacrificio tam sacerdos quam fidelis interne offert; uterque actu personali proprio. Quod non necessario fit verbis internis, sed eo ipso quod ille vult debito modo litare, hic debito modo circumstare. Sed quia sacerdos non tantum in propria, sed etiam in fidelium persona litat, non solum suo nomine suam oblationem internam manifestam reddit, sed etiam nomine ipsorum oblationem internam adstantium. Seu vice versa: fidelis assistens una cum sacerdote facit oblationem internam, quam per sacerdotem tamquam suam personam gerentem manifestam reddit.

---

[10] Beda, *De tabern.* 3, 6: *ML* 91, 477.

[11] *Periodica* l. c. p. 271 cum not. 15.

[12] Actus ille externus non debet necessario verbis exprimi. Cf. *ibid.* p. 268.

Tertia ratio in eo est, quod fideles qui Sacro assistunt, eo ipso quod altare circumstant, visibiliter approbant, quod sacerdos ipsorum quoque nomine immaculatam hostiam offerat Patri. Illam autem approbationem Ecclesia verbis manifestam voluit, ubi in Canone fideles verbis solemnibus *per Ipsum et cum Ipso et in Ipso* etc. respondere facit: *Amen*. Approbare autem actionem, ab alio meo quoque nomine positam me volente ac conscio, speciali modo efficit, ut alterius actio ut mea habeatur.

In expositione Patris de Ponte fideles dicuntur offerre *per manus sacerdotum*, sed insuper quoque *offerre cum ipsis sacerdotibus*. Consideranti quae ad rationem secundam disseruimus de oblatione interna, sat clarum erit quo iure sic locutus sit. Sane res ipsa haud obscure indicatur in oratione *Orate fratres* et in ipso *Canone*, ubi sacerdos offerens cum circumstantibus offerentibus quasi in una linea ponitur. Sed rationem intimam praebet oblatio interna. Nam etsi ultimatim oblatio interna sacerdotis et oblatio interna circumstantium una actione sacerdotis ad extra manifestantur: tamen ut internae sunt coordinatae.

Bene tamen notandum est ipsam oblationem internam esse quidem veri nominis oblationem, sed nondum stricte ipsam oblationem sacrificalem, nisi materialiter tantum. Formaliter fit actio sacrificalis, quando a sacerdote ritu sacrificali ad extra manifestatur. Sed quia sacerdos oblationem internam fidelium ad extra non manifestat, nisi prout et in quantum personam fidelium gerit, ipsa manifestatio ad extra, licet physice procedat ab uno sacerdote, tamen non solum quoad elementum suum materiale, sed etiam quoad elementum suum formale attribui debet, et quidem proprie, tam populo fideli quam sacerdoti. Ex quo simul apparet, quomodo oblatio fidelium in toto suo esse sacrificali ab oblatione externa sacerdotis dependeat.

Quod autem populus fidelis ita Sacro interesse possit, ut eius oblatio interna in oblatione sacerdotali prae-

sentetur; ut externam actionem sacerdotis tanquam suam comprobet; et per manus sacerdotum ipse victimam incruentam offerat Patri: ex eo est quod fideles, fonte baptismali lustrati, fiunt membra Christi Sacerdotis; et charactere baptismali, quo Christi sacerdotium participant, ad hanc divini cultus participationem deputantur divinitus.

* * *

Iam ad interrogationes in initio propositas.

Prima et secunda paucis absolvi possunt. Profecto: aliter offert sacerdos, aliter fidelis. Sed etiam: aliter offert Christus, aliter minister Christi. Num valet deductio: ministrum Christi non stricte offerre? — Verum quoque est oblationem sacrificalem analogice praedicari de sacerdote et de fideli, et fidelis oblationem in toto suo esse ab oblatione sacerdotis dependere. Minime autem *analogice* et *improprie* idem sonant. Ens praedicatur de Deo et de creatura: utique de creatura analogice praedicatur, minime vero improprie.

In tertia interrogatione comparatio instituitur inter oblationem Missae Sacrificio assistentium, et oblationem quam quis in solemnitate XL horarum facit coram Sanctissimo, Patri offerens Filium Unigenitum pro mundi salute; et in fine rogatur: Intratne oblatio fidelium altare circumstantium in essentiam Sacrificii Missae? — Utique intrat! et ex eo apparet comparationem vehementer claudicare. Sacrificio Missae essentiale est, quod sacerdos offerens personam gerit altare circumstantium; consequenter ei essentiale est, quod circumstantes offerunt per sacerdotem; tandem ei essentiale est quod oblatio interna fidelium elementum materiale fit ipsius oblationis externae sacrificalis. Quae omnia desiderantur in exemplo comparativo.

Tandem ultima interrogatio: Nonne concludendum est ex sic dicta fidelium co-oblatione, populum fidelem principalius offerre quam sacerdotem? Potentia enim agendi principalius est in toto quam in organo totius. —

Respondeo hanc rationem valere de corpore naturali, ubi omnis virtus procedit ab essentia, non vero de Corpore Mystico, ubi omnis virtus ultimatim procedit ex donatione Christi. Quando homo agit per manum suam, agit per organon se inferius; quando autem fidelis agit per sacerdotem, agit per organon ex Christi virtute se superius et altius. Quae omnia pulchre explicat Bellarminus *De Conciliis* II cap. 19.

Haec de textu Patris de Ponte, qui haud aliter ac editor eius germanus [13], non dubitavit docere fideles altare circumstantes simul cum sacerdote et per sacerdotem offerre, idque in tempore, quo errores circa sacerdotium universale erant vere periculosi. Et nulla est ratio eius verba exinaniendi et ad umbram reducendi.

S. Tromp S. I.

[13] Kinckius, Col. Agripp., sub Monocerote.

MONUMENTA

38 - SS. D. N. Pius Pp, XII

Allocutio S. Pontificis ad S. R. Rotam

(Cfr. L'Osservatore *Romano* 2 octobr. 1942)

Il vedervi intorno a Noi, diletti figli, convenuti per l'inaugurazione del nuovo anno giuridico della S. R. Rota, è per l'animo Nostro un augurio e un conforto, non solo per quel che l'accurata e saggia parola del degnissimo vostro Decano Ci ha manifestato sopra i vostri lavori e le molteplici cause trattate, ma più ancora perchè a questa adunanza di omaggio filiale è preceduta la devota rituale invocazione dei carismi dello Spirito Santo, Spirito mandato dal Padre (Io. 14, 26) e da Cristo (Io. 16, 7) a rinnovare la faccia della terra (Ps. 103, 30). Oh se la faccia della terra, sotto il moto di questo vivifico Spirito, che si librava sulle originarie tenebre dell'abisso, anche oggi si rinnovasse! Oh se il mondo dell'umanità, turbato dai disastrosi urti dei popoli e delle nazioni, si rinnovasse in una primavera di giustizia e di pace! Ma certo lo Spirito di Dio, che rinnova a Noi la letizia di parlare a voi, rinnova in voi la vita e il vigore delle forze per le fatiche sapienti che vi aspettano a tutela del diritto e delle giustizia in mezzo al popolo cristiano; laddove la Nostra parola rafferma, come se le rinnovasse, la dignità e l'autorità che al Tribunale della S. R. Rota i Nostri Predecessori vollero assegnate e affidate.

Lo Spirito di Cristo, Redentore del genere umano, che col suo Vangelo elevò a più alta perfezione la fede e il culto del vero Dio, rinnovò anche il costume morale dell'uomo e del coniugio umano, restaurando il matrimonio nella unità e indissolubilità, che sono, come parlano i fatti, la più estesa materia delle vostre sentenze giudiziarie.

Delle condizioni del matrimonio per la sua validità, degl'impedimenti e degli effetti del vincolo coniugale (salvo la competenza dello Stato riguardo agli effetti meramente civili) è custode e difenditrice la Chiesa con la sua autorità, ricevuta dal divin Fondatore e supremamente impersonata nel Romano Pontefice.

1. Nelle cause concernenti la incapacità psichica o somatica di contrarre le nozze, non meno che in quelle riguardanti la dichiarazione di nullità del matrimonio o lo scioglimento, in taluni determinati casi, del vincolo validamente contratto, Noi, nel discorso pronunziato dinanzi a voi l'anno passato, avemmo ad osservare come occorra la *certezza morale*. L'importanza dell'argomento Ci fa stimar utile di esaminare più accuratamente questo concetto; poichè, a norma del can. 1869 § 1, si richiede la certezza morale circa lo stato di fatto della causa da giudicare acciocchè il giudice possa procedere a pronunziare la sua sentenza. Ora tale certezza, la quale si appoggia sulla costanza delle leggi e degli usi che governano la vita umana. ammette vari gradi.

Vi è una certezza assoluta, nella quale ogni possibile dubbio circa la verità del fatto e la insussistenza del contrario è totalmente escluso. Tale assoluta certezza però non è necessaria per proferire la sentenza. In molti casi raggiungerla non è possibile agli uomini; l'esigerla equivarrebbe al richiedere cosa irragionevole dal giudice e dalle parti: importerebbe il gravare l'amministrazione della giustizia al di là di una tollerabile misura, anzi ne incepperebbe in vasta proporzione la via.

In opposizione a questo supremo grado di certezza il linguaggio comune chiama non di rado certa una cognizione che, strettamente parlando, non merita un tale appellativo, ma deve qualificarsi come una maggiore o minore probabilità, perchè non esclude ogni ragionevole dubbio e lascia sussistere un fondato timore di errare. Questa probabilità o quasi certezza non offre una base sufficiente per

una sentenza giudiziaria intorno alla obbiettiva verità del fatto.

In tal caso, quando cioè la mancanza di certezza circa il fatto da giudicare impedisce di pronunziare un giudizio positivo sul merito della causa, la legge, ed in particolare l'ordinamento dei processi, danno al giudice regole obbligatorie sopra il modo di procedere, nelle quali le *praesumptiones iuris* e i *favores iuris* hanno una importanza decisiva. Di queste regole di diritto e di procedura il giudice non può non tener conto. Sarebbe però da riguardarsi come una esagerata o erronea applicazione di tali norme e come una falsa interpretazione della volontà del legislatore, se il giudice volesse a quelle ricorrere, quando si ha non solo una quasi-sicurezza, ma una certezza nel proprio e vero senso. Contro la verità e la sua sicura conoscenza non si danno nè presunzioni nè favori di diritto.

Tra la certezza assoluta e la quasi-certezza o probabilità sta, come tra due estremi, quella *certezza morale*, della quale d'ordinario si tratta nelle questioni sottoposte al vostro foro, ed a cui Noi qui intendiamo principalmente di riferirCi. Essa, nel lato positivo, è caratterizzata da ciò, che esclude ogni fondato o ragionevole dubbio e, così considerata, si distingue essenzialmente dalla menzionata quasi-certezza; dal lato poi negativo, lascia sussistere la possibilità assoluta del contrario, e con ciò si differenzia dall'assoluta certezza. La certezza, di cui ora parliamo, è necessaria e sufficiente per pronunziare una sentenza, anche se nel caso particolare sarebbe possibile di conseguire per via diretta o indiretta una certezza assoluta. Solo così può aversi una regolare e ordinata amministrazione della giustizia, che proceda senza inutili ritardi e senza eccessivo gravame del tribunale non meno che delle parti.

2. Talvolta la certezza morale non risulta se non da una quantità di indizi e di prove, che, presi singolarmente, non valgono a fondare una vera certezza, e soltanto nel loro insieme non lasciano più sorgere per un uomo di sano

giudizio alcun ragionevole dubbio. Per tal modo non si compie in nessuna guisa un passaggio dalla certezza con una semplice somma di probabilità; il che importerebbe una illegittima transizione da una specie ad un'altra essenzialmente diversa: εἰς ἄλλο γένος μετάβασις· *Aristotel. De coelo I,* 1); ma si tratta del riconoscimento che la simultanea presenza di tutti questi singoli indizi e prove può avere un sufficiente fondamento soltanto nell'esistenza di una comune sorgente o base, dalla quale derivano: cioè nella obbiettiva verità e realtà. La certezza promana quindi in questo caso dalla saggia applicazione di un principio di assoluta sicurezza e di universale valore, vale a dire del principio della ragione sufficiente. Se dunque nella motivazione della sua sentenza il giudice afferma che le prove addotte, considerate separatamente, non possono dirsi sufficienti, ma, prese unitamente e come abbracciate con un solo sguardo, offrono gli elementi necessari per addivenire ad un sicuro giudizio definitivo, si deve riconoscere che tale argomentazione in massima è giusta e legittima.

3. Ad ogni modo, questa certezza va intesa come certezza obbiettiva, cioè basata su motivi oggettivi; non come una certezza puramente soggettiva, che si fonda sul sentimento o sulla opinione meramente soggettiva di questo o di quello, forse anche su personale credulità, sconsideratezza, inesperienza. Una tale certezza morale oggettivamente fondata non si ha, se vi sono per la realtà del contrario motivi, che un sano, serio e competente giudizio dichiara come, almeno in qualche modo, degni di attenzione, e i quali per conseguenza fanno sì che il contrario debba qualificarsi come non soltanto assolutamente possibile, ma altresì, in qualche maniera, probabile.

Per rendere sicura la oggettività di questa certezza, il diritto processuale stabilisce ben definite regole d'inchieste e di prove. Si richiedono determinate prove o corroboramenti di prove; altre sono invece indicate per insufficienti (cfr. *C. I. C.* l. IV p. 1 tit. X *De probationibus* can.

1747-1836, come anche varie disposizioni particolari del diritto criminale e matrimoniale); si costituiscono speciali uffici e persone, incaricati durante il procedimento di tenere innanzi agli occhi, affermare e difendere determinati diritti o fatti (cfr. can. 11585-1590). Che cosa è questo se non un giusto formalismo giuridico, che riguarda talvolta più il lato materiale, tal altra più il lato formale del processo o del caso giuridico?

La coscienziosa osservanza di tali norme è un dovere del giudice; ma, d'altra parte, nella loro applicazione egli ha da tener presente che non sono fine a se stesse, bensì mezzi al fine, vale a dire per procurare e assicurare una certezza morale oggettivamente fondata circa la realtà del fatto. Non deve avvenire che ciò che secondo la volontà del legislatore ha da essere un aiuto e una garanzia per la scoperta della verità, ne divenga invece un impedimento. Qualora l'osservanza del diritto formale si tramutasse in una ingiustizia o in una mancanza di equità, è sempre possibile il ricorso al legislatore.

4. Di qui voi vedete perchè nella moderna procedura giudiziaria, anche ecclesiastica, non sia posto in prima linea il principio del formalismo giuridico, ma la massima del libero apprezzamento delle prove. Il giudice deve — senza pregiudizio delle menzionate prescrizioni processuali - decidere secondo la sua propria scienza e coscienza se le prove addotte e la inchiesta ordinata sono o no sufficienti (cfr. can. 1869 § 3), bastevoli cioè alla necessaria certezza morale circa la verità e la realtà del caso da giudicare.

Senza dubbio possono talvolta sorgere conflitti tra il « formalismo giuridico » e il « libero apprezzamento delle prove », ma essi sono nella maggior parte dei casi soltanto apparenti e quindi d'ordinario non difficilmente solubili. Giacchè, come una è la verità obbiettiva, così anche la certezza morale obbiettivamente determinata non può essere che una sola. Non è dunque ammissibile che un giudice

dichiari di avere personalmente, in base agli atti giudiziari, la morale certezza circa la verità del fatto da giudicare, e al tempo stesso deneghi, in quanto giudice, sotto l'aspetto del diritto processuale, la medesima obbiettiva certezza. Tali contrasti dovrebbero piuttosto indurlo a un ulteriore e più accurato esame della causa. Essi derivano non di rado dal fatto che alcuni lati della questione, i quali acquistano il loro pieno rilievo e valore soltanto considerati nell'insieme, non sono stati rettamente valutati, ovvero che le norme giuridico-formali sono state interpretate inesattamente o applicate contro il senso e la intenzione del legislatore. Ad ogni modo, la fiducia, che i tribunali debbono godere nel popolo, esige che vengano evitati e risolti, sempre che sia in qualche maniera possibile, simili conflitti tra l'opinione ufficiale dei giudici e i sentimenti ragionevoli del pubblico specialmente colto.

5. Ma, perchè la certezza morale ammette, come abbiamo detto, vari gradi, quale grado il giudice può o deve esigere per essere in stato di procedere ad emanar la sentenza? Primieramente deve in tutti i casi accertarsi, se si abbia in realtà una certezza morale oggettiva, se cioè sia escluso ogni ragionevole dubbio circa la verità. Una volta ciò assicurato, egli, di regola, non deve chiedere un più alto grado di certezza, se non quando la legge, massime a cagione della importanza del caso, lo prescriva (cfr. can. 1869 § 3 e can. 1791 § 2). Potrà bensì talora la prudenza consigliare che il giudice, quantunque non si abbia una espressa disposizione di legge, in cause di più grave momento non si appaghi di un grado infimo di certezza. Se però, dopo seria considerazione ed esame, si avrà una sicurezza corrispondente alle prescrizioni legali e all'importanza del caso, non si dovrà insistere, con notevole aggravio delle parti, perchè si adducano nuove prove per raggiungere un grado ancor più elevato. L'esigere la più grande possibile sicurezza, nonostante la corrispondente

certezza che già esiste, non ha giusta ragione ed è da respingersi.

Con questa esposizione del Nostro pensiero sopra un punto così delicato dell'ufficio del giudice, intendiamo di salutare, encomiare e ringraziare in voi i sagaci membri di cotesto insigne Collegio e Tribunale della cristiana giurisprudenza, in voi i quali non solo non ignorate, ma praticate la sentenza dell'Angelico Dottore che *unusquisque debet niti ad hoc quod de rebus iudicet, secundum quod sunt* (*S. Th.* 2ª 2ae p. q. 60 a. 4 ad 2). Perchè la verità val quanto l'entità e la realtà: onde il nostro intelletto, che prende la scienza dalle cose, ne prende ancora la regola e la misura secondo che le cose sono o non sono; di modo che la verità è la legge della giustizia (cfr. *S. Th.* 1 p. q. 21 a. 2). Il mondo ha bisogno della verità che è giustizia, e di quella giustizia che è verità; perchè la giustizia è, disse già il grande Filosofo di Stagira, *et in bello et in pace utilis*: καὶ ἐν πολὲμῳ καὶ ἐν εἰρήνῃ χρήσιμος (*Aristotel. Rhetoric.* I, 9). L'eterno Sole di giustizia illumini la terra e i suoi reggitori; e in voi, a gloria di Dio e della Chiesa e del popolo cristiano, scorga ogni passo nella ricerca della realtà di quel vero, che tranquilla nella morale certezza il volto della giustizia.

Mentre pertanto, con questo sacro auspicio, invochiamo sopra tutti e ciascuno di voi i più luminosi favori della divina Sapienza, con effusione di paterno affetto v'impartiamo la Nostra Apostolica Benedizione.

Synopsis et Annotationes

A. *Introductio*

1. Allocutio exordium sumit a memoranda Liturgia sacra, idest a praevia invocatione Sancti Spiritus, quo detur intellectus illustratio atque animi confortatio ad graves muneris iudicialis labores rite atque fructuose peragendos;

transit dein ad materiam praecipuam, quam S. R. Rota tractare debet, idest ad causas matrimoniales. De his causis etiam anno elapso Summus Pontifex ad S. R. Rotam verba fecerat, exponendo normas quasdam de praerequisita ad matrimonium capacitate psychica et somatica; de nullitatis declaratione; de vinculi solutione (v. Periodica, XXX, pg. 303-317); monuerat: in omnibus his causis, ut iudex ad ferendam sententiam tuto procedere valeret, requiri et sufficere « *certitudinem moralem* ». Cum accurata huius certitudinis cognitio summi momenti sit, de eius *notione* clare circumscripta, de diversis *gradibus*, de eius in iudicio *usu et ponderatione* Summus Pontifex in praesenti Allocutione magis in particulari agere statuit.

B. *Corpus sermonis*

2. Primo datur quaedam certitudinis moralis descriptio generalis; dicitur enim « *inniti constantia legum usuumque, quibus vita humana regitur* ». Ex quibus verbis elucet: certitudinem, de qua erit sermo, non simpliciter coincidere cum « certitudine morali presse dicta », quam philosophi, disputantes in Critica de triplici certitudine, idest metaphysica, physica, morali, definiunt: certitudinem, quae ita nititur in constantibus rationalibus naturae moribus, inclinationibus, ut contradictorium, licet physicas hominis vires non excedat, tamen propter oppositionem vel incongruentiam cum natura rationali non fiat. Allocutio huius quoque certitudinis campum et materiam comprehendit, sed intra eius limites non coarctatur; attendit etiam ad modum iudicandi et loquendi, *quem homines sani iudicii in actione et vita servant*, qui latius patet eo, quem philosophi in suis inquisitionibus scientificis adhibere solent atque ab eo paulum differt. Ita e. gr. in vita practica, qui in Alpibus ad rupes, vel in urbibus ad domos transit, hinc inde dicitur habere « certitudinem moralem », quod non subito lapis desuper casurus eumque occisurus sit; potest enim de hoc infortunio non eventuro iudicium mentis ha-

bere, quod *omne prudens dubium* excludat. *Huiusmodi* vero certitudo moralis non fundatur in *constantibus rationalis naturae moribus, inclinationibus* etc.; nam lapis decidens non activitate humana, sed causis naturalibus solvitur et dimittitur. Neque haec sic dicta « certitudo moralis vitae practicae » sufficienter explicatur per constantiam legum physicarum, a quibus non habeatur exceptio nisi per miraculum; solvitur enim et dimittitur lapis non *contra*, sed praecise *secundum* leges physicas, quarum tamen applicatio actualis in casu hominem latebat. Non est huius loci in accuratam huius *certitudinis practicae* analysim scientificam intrare; sufficit monuisse in vita practica *rem* et *terminum* talis certitudinis occurrere, et in Allocutione non adhiberi semper terminologiam philosophicam, sed aliquando aliam latiore hoc sensu sumptam. Quod ita esse, magis patebit ex iis quae in decursu sermonis de certitudinis moralis natura et usu dicuntur.

3. Quod *ad gradus* certitudinis attinet, tres gradus assignantur: summus, infimus, medius; seu certitudo: absoluta, improprie dicta, simpliciter dicta.

Certitudo absoluta significatur ea « *in qua omne possibile dubium circa veritatem facti* [de quo agitur] *et circa non-existentiam contrarii* [idest non-facti, de quo agitur] *est totaliter exclusum* ». Haec habetur, si motivum quo innititur, est et cognoscitur simpliciter insociabile cum *existentia* contradictorii. Tale motivum semper habetur in certitudine metaphysica, quae immediate nititur *intrinseca impossibilitate* contradictorii; haberi etiam potest circa facta contingentia, quae, si in se et absolute considerantur, possunt quidem etiam non-exsistere, quorum tamen non-exsistentia absolute componi nequit cum motivis, quibus actualis exsistentia (contingens) probatur. In commercio humano ad significandam hanc certitudinem, etiamsi si versatur circa actus humanos, saepe adhibetur terminus *certitudinis absolutae*, non addito verbo « moralis ».

Dicitur: certitudinem absolutam non requiri ad sen-

tentiam iudicialem ferendam. Quod facile intellegitur; tum quia saepe hominibus est impossibilis, tum quia, si exigeretur, iudici et partibus intolerabile imponeretur onus; imo, exercitium muneris iudicialis magna ex parte praecluderetur.

4. Secundus certitudinis gradus in rigore nomen « certitudinis » non meretur; attamen in conversatione hominum haud raro ita appellatur. Obiective est quaedam fortis et firma *probabilitas*, cuius proprium est, quod *non omne prudens dubium contrarii*, ideoque *neque omnem prudentem formidinem errandi excludat*. Homines autem ei fidunt; hinc procedunt, neglegendo illud dubium et subeundo periculum errandi, cum censeant non esse notabile.

Haec quasi-certitudo non praebet sufficiens fundamentum, quo innitatur sententia iudicialis *de obiectiva facti veritate*; ideoque iudex per se abstinere debet a *tali* sententia ferenda. Attamen aliquoties, non obstante hac rerum condicione, iudex causam dirimere debet (e. gr. attribuendo rem litigiosam uni parti, negando alteri). Quo in casu non pro lubito agere potest, sed ius processuale certas regulas procedendi statuit, in quibus « *praesumptiones iuris* » et « *favores iuris* » multum valent. De his regulis Summus Pontifex duo monet: 1) ut iudex eas religiose servet; 2) ne ad eas recurrat in casu certitudinis *verae;* ergo extra casum allegatae quasi-certitudinis. Ponit axioma: « *Contra veritatem ac contra certam eius notitiam non dantur neque praesumptiones neque favores iuris* ».

5. Intra certitudinem absolutam, tamquam summum, et quasi-certitudinem, tamquam infimum certitudinis gradum, ponitur « *certitudo moralis sine addito* » seu « *simpliciter dicta* », qua ordinarie judices in munere gerendo utuntur, (de qua *sola* Summus Pontifex anno elapso egit et) ad quam praesens Allocutio *imprimis* attendit. Eius indoles describitur ita: « *Haec secundum partem positivam est characterizata eo, quod excludat omne fundatum seu prudens dubium (et ita essentialiter differt ab allegata quasi-certitu-*

dine); *secundum partem negativam, subsistere sinit absolutam possibilitatem contrarii* (*et per hoc differt a certitudine absoluta*»). Quid ex parte rei requiratur, ut omne prudens dubium sit exclusum, seu in quo haec exclusio prudentis dubii fundetur, non discutitur; neque enim Allocutionis Pontificiae est facere discursum Logicae criticae.

De hac certitudine morali simpliciter dicta, statuitur, quod sit *necessaria et sufficiens ad pronuntiandam sententiam iudicialem, etiamsi in casu particulari possibile sit* (*via sive directa sive indirecta*) *consequi certitudinem absolutam*. Cuius ratio assignatur: quia hoc solo modo ordinata et regularis administratio iustitiae haberi possit.

6. De *via perveniendi* ad hanc certitudinem monetur: accidere posse, ut haec obtineri nequeat nisi multitudine rationum et indiciorum, quae, singillatim sumpta, tantummodo probabilitatem creare valent. Quo in casu perveniri ad certitudinem non per meram probabilitatum additionem, sed, via inirecta, *ex convenientia et consonantia* multarum illarum rationum, mediante principio rationis sufficientis. Huius *consonantiae* enim ratio sufficiens cognoscitur non posse esse nisi obiectiva rei veritas. — Patet hac via non solum a mera probabilitate perveniri posse ad certitudinem moralem proprie dictam, sed etiam ab hac ad *certitudinem absolutam*. — Fit huius considerationis applicatio ad iudicem: «*Si quando iudex in «motivatione» sententiae affirmat rationes allatas singillatim sumptas non posse dici sufficientes; sed, simul sumptas et per modum unius consideratas, praesentare necessaria elementa quibus ad iudicium certum definitivum perveniatur: huiusmodi argumentatio, quod ad principium attinet, agnosci debet iusta et legitima*».

7. Plura dein statuuntur *de qualitate* et *de applicatione* huius certitudinis moralis:

a) Haec esse debet certitudo *obiectiva*, idest innitens *motivis obiectivis*; non autem mere subiectiva, quae careat solidis rationibus. Talis obiectiva certitudo non adesse di-

citur, quotiescumque pro veritate contrarii stent motiva, quae homo sani, serii et competentis iudicii dixerit quadam saltem attentione digna. Probari enim huiusmodi motivis: contrarium non esse tantummodo *possibile,* sed aliquo saltem modo *probabile.*

b) Ut « obiectivitas » certitudinis in tuto collocetur, in iure determinatae *normae et regulae processuales* habentur, e. gr. de modo, quo in veritatem sit inquirendum, de probationibus quae sint exigendae vel admittendae vel reiciendae, et de aliis pluribus huiusmodi veritatis assecurationibus. Constituunt hae regulae quendam « *formalismum iuridicum* », sed iustum omnino, qui modo partem potius materialem, modo potius formalem sive procedurae iuridicae sive casus spectat, de quo agitur.

c) De his normis et regulis processualibus duo stabiliuntur:

(1) quod eas sancte et religiose observare, sit iudicis vera quaedam obligatio;

(2) quod ex altera parte iudex in iis utendis prae oculis habere debeat, quod « *non sint sibi ipsis finis, sed media ad finem, idest ad procurandam et assecurandam certitudinem moralem, obiective fundatam, de realitate facti* », (de quo sententia ferenda est). Quapropter iudicem praecavere debere, ne, quod ex voluntate legislatoris debet esse veritatis detegendae iuvamen et assecuratio, evadat eiusdem obstaculum. Si quando accidat, ut non sit alia via, qua evitetur iniustitia vel aequitatis defectus, proveniens ex huius formalismi iuridici observatione, patere semper recursum ad ipsum legislatorem, quo talis effectus malus praecludatur.

8. His hac de re dictis, Allocutio transit ad aliud ordinis processualis principium, quod est « *libera probationum appretiatio* » (cf. can. 1869 § 3) et quod in moderna procedura iudiciali praevaleat prae principio « formalismi iuridici ». *Libera probationum appretiatio* consistit in eo, quod *iudex* (salvis praeceptis ordinis processualis) *secundum suam*

scientiam et conscientiam diudicare possit et debeat, num allatae probationes factaeque inquisitiones sufficientes sint ad fundandam necessariam certitudinem moralem de casus diudicandi veritate et realitate. — Vix est cur explicite moneatur hanc « *liberam probationum appretiationem* », quae in Allocutione iudici vindicatur et conceditur, esse omnino diversam a « *libera iuris inventione* », quae inibi iudici non tribuitur, et quae saltem summum « lubitus iuridici » periculum continet.

9. Tangitur dein quaestio *conflictus inter « formalismum iuridicum »* et *« liberam probationum appretiationem »*. Praevie notatur: tales conflictus regulariter esse solummodo apparentes ideoque sine difficultate solvi posse. Ratio autem, cur serius conflictus obiectivus regulariter negari debeat, assignatur, quod, sicuti veritas obiectiva non sit nisi una, ita etiam certitudo moralis, obiective fundata et determinata, non possit esse nisi una. Ideo regulariter admitti non posse, quod iudex declaret: se personaliter quidem ex Actis de veritate facti, de quo sententia ferenda sit, habere certitudinem moralem [= principium « liberae probationum appretiationis »], at, iuxta normas formalis iuris processualis [= principium « formalismi iuridici »] se eandem hanc certitudinem moralem negare. (NB! Prae oculis habendum est: agi sub utroque respectu de iudicis *notitia officiali* seu ex Actis hausta; non vero opponi *notitiam privatam*, aliunde haustam, *notitiae iudiciali* idest ex Actis quaesitae) — Monet Allocutio: in huiusmodi conflictu apparenti expedire iudicem denuo causam ulteriori et accuratiori examini subicere; simul assignat fontem, ex quo talis conflictus oriri possit. Accidere hinc inde, quod determinati quidam causae respectus et indicia, quorum plenus valor nequeat recte mensurari nisi omnia simul sumantur et considerentur, non ita (collective) ponderata sint, aut quod normae iuridico-formales non accurate sint intellectae, aut applicatae contra sensum et intentionem legislatoris. *Concluditur*: ut servetur fiducia, qua

forum iudiciale apud populum gaudere debeat, pro posse omnino evitandos esse conflictus inter mentem sententiamque officialem iudicum et sensum ac iudicium sanum et rationabile hominum, praesertim cultorum.

10. Redit tandem Allocutio iterum ad *gradus* certitudinis, sed nunc non nisi certitudinis *moralis simpliciter dictae*. Cum constet ipsam quoque habere posse *varios gradus accidentales*, oritur quaestio: quem gradum iudex exigere possit vel debeat(antequam ad sententiam ferendam procedat). Respondetur: iudicem primo inquirere debere, num certitudo, quam habeat, sit revera *certitudo moralis obiectiva*, quippe quae omne prudens dubium circa veritatem facti diudicandi excludat. — Quo in tuto posito, iudici per se fas non esse exigere altiorem gradum certitudinis, nisi lex talem gradum (ob gravitatem causae) praescribat. Aliquoties tamen prudentiae esse posse, quod iudex (quamvis desideretur expressum legis praescriptum) ob causas gravissimi momenti non sit contentus *infimo* verae certitudinis gradu.

In genere autem servandam esse normam: si post seriam considerationem et examen obtenta fuerit securitas, quae correspondeat tum praescripto legis, tum ponderi causae, non esse insistendum cum notabili gravamine partium, ut nova argumenta afferantur, ad obtinendum gradum certitudinis adhuc maiorem. Concluditur: « *exigere certitudinem maximam, quae* (in casu) *possibilis est, non obstante certitudine correspondente, quae iam praesto est, iusta ratione caret et est reiciendum* ».

C. *Conclusio totius sermonis.*

11. Iudicis est *servire veritati et iustitiae*. Iudex, non aliter atque quilibet homo, in hoc niti debet, ut de rebus iudicet, *secundum quod sunt*. Eo ipso autem, quod quis ita iudicat, iudicat de iis secundum *veritatem*. Veritas vero est simul *iustitiae* lex. Opus justum enim ideo est iustum, quia est *conforme legi iustitiae*, prout haec lex est in mente

divina et in se ipsa consideratur. Intime igitur nectuntur veritas et iustitia. Huius temporis homines indigent veritate, quae est iustitia, et iustitia quae est veritas; iustitia, quae hominibus et in bello et in pace sit perutilis.

Deprecatur Summus Pontifex, ut Aeternus Sol iustitiae illuminet terram et dominatores gentium; ut dirigat omnem iudicum passum, quem faciunt in exquirenda realitate veri, quod, obtenta de eo certitudine morali, tranquillum facit iustitiae vultum. Et in hunc finem obtinendum impertit Benedictionem Apostolicam.

39 - Chirographus

(*AAS* XXXIV [1 aug. 1942] p. 217)

IN CIVITATE VATICANA INSTITUTUM CARITATIS RELIGIONISQUE OPERIBUS TUTANDIS CONDITUR.

PIUS PP. XII

Il Nostro Predecessore di venerata memoria Leone XIII, nell'intento di custodire ed amministrare i capitali delle fondazioni pie, costituì, dopo attento studio affidato ad alcuni Signori Cardinali, una Commissione Cardinalizia che assunse il nome di Commissione *ad pias causas*, per il funzionamento della quale in data 11 febbraio 1887 approvò un Regolamento, che rimase in vigore fino a quando, nel 10 agosto 1904, il Nostro Antecessore Pio X, di santa memoria, ritenne opportuno approvare un nuovo Regolamento.

Nel 24 novembre del medesimo anno 1904 la Commissione *ad pias causas* prendeva il nome di Commissione Cardinalizia per le Opere di Religione, finchè nel 1908, quando per la Costituzione *Sapienti consilio* passarono alla Sacra Congregazione del Concilio, per la competenza attribuitale dalla medesima Costituzione Pontificia, alcuni compiti fino allora esercitati dalla suddetta Commissione Cardi-

nalizia, la Commissione stessa cessava di essere Cardinalizia per divenire Prelatizia.

Sopravvenute esigenze amministrative indussero poi la Sacra Congregazione del Concilio, munita all'uopo di speciale mandato del venerato Nostro Predecessore Pio XI, ad approvare nel 10 febbraio 1934, in esperimento, uno Statuto per la Commissione Prelatizia Amministratrice delle Opere di Religione.

Successivamente, e cioè nel 17 marzo 1941, il Signor Cardinale Prefetto della medesima Sacra Congregazione del Concilio Ci propose per l'approvazione, che Noi concedemmo, uno Statuto per l'Amministrazione delle Opere di Religione, nuovo nome assunto dalla Commissione anzidetta. Con questo Statuto l'Amministrazione fu affidata ad una Commissione di Signori Cardinali.

Una speciale adunanza di Signori Cardinali, tenutasi nel 18 gennaio del corrente anno 1942, ha poi espresso il voto che la ricordata Amministrazione delle Opere di Religione sia eretta in persona giuridica, allo scopo di dare ad essa un ordinamento più rispondente alla necessità dei tempi e di far apparire ancor più espressamente separata e distinta la responsabilità, che ognora la Santa Sede ha voluto nettamente disgiunta, dell'Amministrazione anzidetta da quella degli Uffici della Santa Sede.

Dopo matura considerazione avendo ritenuto di potere annuire a tale voto, abbiamo deciso di disporre, come con la Nostra Autorità disponiamo, quanto segue:

I. E' fondato ed eretto nella Città del Vaticano l'Istituto per le Opere di Religione, il quale ha personalità giuridica ed assorbe l'Amministrazione delle Opere di Religione.

II. Scopo dell'Istituto è di provvedere alla custodia e all'amministrazione di capitali (in titoli od in contanti) e di immobili, gli uni e gli altri trasferiti od affidati all'Istituto medesimo da persone fisiche o giuridiche e destinati ad opere di religione e di cristiana pietà.

III. Le disposizioni dello Statuto per l'Amministra-

zione delle Opere di Religione, da Noi approvato nel 17 marzo 1941, rimangono in vigore e saranno applicate all'Istituto per le Opere di Religione, in quanto non siano in contrasto con il presente Nostro Chirografo e fino a quando non apparirà opportuno di riformarle.

La Commissione di Signori Cardinali, alla quale era affidata l'Amministrazione delle Opere di Religione, assume la vigilanza dell'Istituto. L'Ufficio Amministrativo dell'Amministrazione delle Opere di Religione diviene Ufficio Amministrativo dell'Istituto.

IV. Per tutti gli effetti giuridici l'Istituto è rappresentato congiuntamente dal Signor Cardinale Presidente dell'Ufficio Amministrativo e da Monsignor Segretario dell'Ufficio medesimo.

V. L'Istituto continuerà ad usare, a titolo di locazione, degli uffici fin qui occupati dall'Amministrazione delle Opere di Religione, e stipulerà all'uopo un contratto con l'Amministrazione dei Beni della Santa Sede.

VI. Qualsiasi disposizione contraria al presente Nostro Chirografo è abrogata.

VII. Il presente Nostro Chirografo sarà pubblicato negli *Acta Apostolicae Sedis*.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico Vaticano, il giorno 27 giugno 1942, quarto del Nostro Pontificato.

PIUS PP. XII.

40 - Suprema S. Congregatio S. Officii

Decretum

(*AAS* XXXIV [14 iul. 1942] p. 200)

DE QUIBUSDAM CAUTELIS ADHIBENDIS IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS IMPOTENTIAE ET INCONSUMMATIONIS.

Qua singulari cura providendum sit et ab Ecclesia provisum fuerit ut in causis matrimonialibus impotentiae et inconsummationis necessitas assequendae iuridicae proba-

tionis, etiam quandoque per corporalem coniugum inspectionem, apte semper componatur cum naturali et christiano pudicitiae sensu, nulla unquam ratione obtundendo, immo, maxime in muliere, sancte fovendo, iam constat ex pluribus huius Supremae S. Congregationis documentis, inter quae meminisse sufficiat duas Instructiones, alteram anno 1858 editam « Pro conficiendo processu super viri impotentia et non secuta matrimonii consummatione », alteram vero anno 1883 datam ad Episcopos rituum orientalium (art. 5, de impedimento impotentiae).

In prima ex his Instructionibus facile patere dicitur « quam sancte in omnibus huiusmodi inspectionibus cavendum sit, ne quidquam agatur quod divinae legi et castitatis virtuti adversetur »; haec autem continua Ecclesiae sollicitudo relata est in Codicem Iuris Canonici, qui cavet ut in causis impotentiae et inconsummationis matrimonii inspectio corporalis coniugum fiat « nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat » (can. 1976) atque « servatis plene christianae modestiae regulis » (can. 1979, 3).

Ut haec iuris praescripta adamussim serventur. E.mi ac Rev.mi Patres huius Supremae S. Congregationis, rebus fidei et morum tutandis praepositi, in plenario Conventu feriae IV, diei 2 Iunii 1942, opportunum duxerunt, quae sequuntur, vel quondam statuta in mentem Ordinariorum revocare, vel noviter praecipere.

1. Examen physicum coniugum, praesertim vero mulieris, utpote inutile, omittitur iuxta « *Regulas servandas* in processibus super matrimonio rato et non consummato » editas a S. C. de disciplina Sacramentorum, die 7 Maii 1923 (art. 86):

a) si consummatio haberi non potuit quia nec tempus nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi;

b) si iam constat de mulieris defloratione.

His casibus alii duo addendi sunt, nempe:

c) omitti poterit inspectio si, attenta partium et tes-

tium morali excellentia, ac serio pensatis eorum animi dispositionibus necnon ceteris adminiculis aut argumentis, Ordinarii iudicio, plenissima iam habeatur probatio de impotentia vel de inconsummatione;

d) omittatur mulieris inspectio, si ex inspectione viri plene constiterit de huius incapacitate ad matrimonium consummandum.

2. Quoties ad necessariam probationem assequendam requiratur coniugum inspectio corporalis, ad inspiciendum virum deputentur periti medici, ad mulierem vero inspiciendam designentur (ad mentem can. 1979, 2) duae mulieres quae laurea doctorali in arte medica, vel saltem legitimo peritiae in arte obstetricia testimonio praeditae sint.

3. Si vero praefatae mulieres ad inspectionem perficiendam haberi nequeant, tunc licitum erit Ordinario, de consensu mulieris inspiciendae, examen peragendum committere viris, qui tamen non tantum medica arte sint insignes, sed etiam religionis et honestatis laude commendati, moribus atque aetate graves, ab ipso Ordinario vel iudice moniti de christianae modestiae regulis sancte servandis; quique ad inspectionem ne deveniant nisi adstante honesta matrona ex officio designanda (can. 1979, 3).

4. Si mulier aut inspectionem ipsam aut virorum operam recuset, abstinendum est ab urgenda inspectione vel ab exigendo virorum interventu; satis tunc erit illam monere de iuridicis suae recusationis consectariis, seu de graviori difficultate vel etiam de probabili impossibilitate assequendi sui propositi probationem.

5. Peracta per mulieres inspectione, earum orale examen fiat ab ipso Tribunali, semper tamen adstante medico in his rebus vere perito ac honestate claro, qui suas animadversiones et opportunas interrogationes proponere possit.

6. Excussio mulieris, quae est pars in causa, paratis ad normam iuris interrogationibus eidem proponendis, semper quidem fiat coram Tribunali, *sed a medico*, qui sit

religione, moribus, aetate gravis, ab ipso Ordinario deligendus, omni exceptione maior.

7. In exarandis sententiis in huiusmodi processibus, praesertim si hae publici iuris fieri debeant, abstinendum erit a nimia et minuta rerum descriptione: facta vero et rationes exponantur castigatis verbis.

Quae omnia Ss.mus D. N. Pius Pp. XII, in audientia diei 11 Iunii 1942, Sibi relata, adprobare dignatus est, ac publici iuris fieri et ab omnibus servari iussit, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus, ceterisque servatis de iure servandis.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 12 Iunii 1942.

I. Pepe, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

41 - Sacra Congregatio Concilii

Tergestina

(*AAS* xxxiv [30 oct. 1942] p. 299)

DISTRIBUTIONUM

Vi canonis 420 § 1 n. 14 Codicis iuris canonici excusantur a choro ut percipiant fructus praebendae ac distributiones quotidianas, inter ceteros, iudices synodales, dum proprio munere funguntur. Iamvero in Capitulo Tergestino dubium ortum est num praescriptum memorati canonis teneat, etiamsi iudex synodalis, non gratuito, sed retributione percepta, ratione huius muneris sibi commissi, absens sit a choro. Et rationem dubitandi idem Capitulum desumit ex comparatione iudicis synodalis cum Vicario Capitulari vel Generali, qui, ad normam canonis 421 § 1 n. 3, dum suis muneribus vacant, excusantur quidem a choro ut percipiant praebendae fructus dumtaxat, non autem distributiones quotidianas.

Nam ex praescripto canonis 420 facile argui potest, censet Capitulum, quod Capitulares de quibus in eodem

canone est sermo, ideo distributiones quotidianas lucrantur, quia suam operam gratuito impendunt, dum officiis choralibus vacant; quod ceterum congruit praxi Sacrae Congregationis Concilii, uti legitur in una *Gerunden. — Distributionum choralium* diei 20 Februari 1915: « Etenim iuxta canonici iuris sanctionem ac Sacrae Congregationis stylum nullus canonicus a choro absens ratione muneris sibi commissi quotidianas distributiones lucratur, ubi pro dicto munere congruum percipiat stipendium » (*A. A. S.*, vol. VII, pag. 262 ss.).

Animadversiones. — Notandum in primis quod citatus canon 420 § 1 n. 14, uti verba sonant, nullam distinctionem admittit, sed regulam claram eamque absolutam statuit, et ubi lex non distinguit, nec nostrum est distinguere.

Praeterea in re de qua agitur per analogiam aptandum est responsum Pontificiae Commissionis ad Codicis I. C. canones authentice interpretandos, die 24 Novembris 1920 datum. Proposito enim dubio: « Utrum in § 1 n. 1 canonis 421: *qui de licentia Ordinarii loci publice docent in scholis ab Ecclesia recognitis sacram theologiam aut ius canonicum*, etiam comprehendi debeant canonici, qui de Ordinarii licentia docent, retributione peculiari pro lectione percepta; an tantum qui absque tali retributione theologiam vel ius susceperint edocendum », responsum prodiit: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». Sicut enim distributiones quotidianas lucratur Capitularis qui docet sacram theologiam, etc., retributione percepta, ita a pari de iudice synodali qui ratione huius muneris lucrum facit sentiendum est. Nam ubi eadem est ratio, eadem est iuris dispositio.

Sed ratio iuridica huius rei in hoc praecipue esse videtur, quia persona iuridica Vicarii Capitularis vel Generalis et Officialis alia est a iudice synodali. Officium enim iudicis synodalis non est stabile et firmum, nec hac ratione stabili retributione remuneratum, atque eiusdem retributio in ipsis causis, quae non sunt gratuiti patrocinii, non est

certa, sed naturam potius induit oblationis incertae et obventitiae, quod contra evenit de Vicario Generali et Capitulari et de Officiali, quorum munera, cum sint stabilia atque diuturnum et continuum laborem praeseferant, congruum est ut congrua et stabili remuneratione donentur: qua de causa, ad normam canonis 421 § 1 n. 3 distributionibus quotidianis iure privantur, cum a choro haec munera obeundi causa abesse cogantur.

Resolutio. — Proposito itaque in Comitiis Plenariis diei 14 februarii 1942 dubio: *An Capitularis, absens a choro dum munere iudicis synodalis fungitur, lucretur distributiones quotidianas, etiamsi peculiarem retributionem ratione huius muneris percipiat;*

E.mi Patres huius Sacrae Congregationis responderunt: *Affirmative.*

Quam resolutionem Ss.mus Dominus Noster Pius Pp. XII in Audientia diei 23 Februarii 1942, referente subscripto Secretario, approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

42 - S. Congreg. de Propaganda Fide

Decretum

(*AAS* xxxiv [13 apr. 1942] p. 104)

Per decretum S. C. de Propaganda Fide d. d. 16 octobris 1941 praefectus est titulari episcopali Ecclesiae Lauzadenae R. P. Iacobus Hubertus Goumans, Ordinis Sanctae Crucis seu Crucigerorum, hactenus Praefectus Apostolicus de Bandoeng, qui Vicarius Apostolicus Bandungensis seu de Bandoeng constitutus est. Per idem decretum praefectus est titulari episcopali Ecclesiae Eleutheropolitanae in Palaestina R. P. Michaël Verhoeks, Congregationis Missionis sodalis, hactenus Praefectus Apostolicus de Soerabaja, qui constitutus est Vicarius Apostolicus Surabaiensis seu de Soerabaja.

Annotationes

Hoc anno centenaria recurrit commemoratio decreti quo Praefectura apostolica Bataviensis in Vicariatum apostolicum evecta fuit. Iam anno 1807 duo sacerdotes ex Neerlandia venerant ut immensum istum campum, qui praeter insulam Java etiam omnes alias insulas Indonesiae complectebatur, sudore suo fertilem redderent. Hodiernae circumstantiae externas festivitates haud opportunas faciunt, sed celebratio dignissima et laetitia maxime sincera invenitur in eo, quod Missio Bataviae, quae inde ab anno 1859 Patribus Societatis Jesu commissa est, omnes suas filias in insula Java, ut exprimitur in his decretis, nunc demum ad aetatem adultam pervenire videat, postquam aliae decem, in ceteris insulis dispersae, iam pridem eodem iure donatae fuerunt sicque florentem propriam vitam ducunt. Prima autem earum, sc. missio in insula Nova Guinea, nonnisi anno 1902 in Praefecturam apostolicam evecta est, dum in insula Java prima Praefectura apostolica independens habebatur tantum inde ab anno 1927 in Malang.

Proprie dicta missio inter Javanenses initium habuit versus finem saeculi praeteriti, postquam varia tentamina anteriora effectum sortita non erant. Propter magnas difficultates in conversione adultorum habitas, primae partes dabantur educationi scholasticae iuventutis, quae dein fructus consolatione plenos habuit. Divina gratia adiuvante necnon gubernio cooperante, quod uti in patria etiam scholis privatis subsidia economica subministrabat, hic modus apostolatus magis magisque evolvi potuit, ita ut scholae, quae anno 1923 nonnisi 40 erant, iam anno 1940 numerarentur 750. Hic modus exercendi apostolatum quantitatem conversionum brevi spatio tantopere augere non solet, sed fundamenta solidissima iacit, quae se manifestant in vita spirituali neo-conversorum atque in numero vocationum. Fervente imprimis vita Eucharistica numerus vocationum in dies augebatur. Ex primis alumnis, qui anno 1911 studia

absolverant, iam duo sacerdotii viam inierunt neque in posterum unquam candidati defuerunt. Anno praeterito in Seminario minore 110 iuvenes studiis humanioribus operam navabant, cum 30 circiter studia philosophica aut theologica obibant in Seminario maiore aut in domibus studiorum variorum Ordinum et Congregationum. Immo iam anno 1940 illae regiones centrales, ubi missio initium sumpserat atque maxime florebat vita christiana, a Vicariatu Bataviensi separatae sunt atque in novum Vicariatum apostolicum (a Semarang nuncupatum) erectae sub Vicario apostolico indigeno, Mgr. Alberto Soegijapranata S. J. Praeter 61 sacerdotes europaeos ei subsunt velut cooperatores 11 sacerdotes indigeni. In tota insula dant labori missionario operam 215 missionarii europaei, qui pertinent ad 9 familias religiosas diversas. PP. Societatis Jesu duos Vicariatus regunt, Bataviam sc. et Semarang. Eis cooperantur PP. Ordinis Fratrum Minorum, quibus nuperrime Praefectura apostolica Soekaboemi commissa est; insuper Missionarii S. Familiae, PP. Ordinis Fratrum Minorum Convent. et Missionarii SS. Cordis Jesu. Alii regunt singuli proprium Vicariatum, sc. PP. Ordinis Carmelitarum Vic. apost. Malang; Domini Congregationis Missionum Vic. apost. Soerabaja; Missionarii SS. Cordis Jesu Vic. apost. Poerwakerta, Canonici reg. Ordinis S. Crucis Vic. apost. Bandoeng.

Catholici indigeni sunt plus quam 40.000. Hic numerus, si comparetur cum ingenti multitudine incolarum (42.000.000), exiguus sane videtur; sed numerus sacerdotum indigenorum necnon vocationum sacerdotalium et religiosarum in tam brevi temporis intervallo obtentus, luculenter manifestat vitam Ecclesiae in illa missione florentem atque solido fundamento innixam omnino esse, ita ut sperare liceat fore ut etiam mediis in difficultatibus, in dies magis magisque evolvatur.

C. Claereboets S. I.

43 - Sacra Congregatio Rituum

Decretum

(*AAAS* XXXIV [14 iul. 1942] p. 205)

DE FUNCTIONIBUS PRO DEFUNCTIS

Quum plures locorum Ordinarii ab hac Sacra Rituum Congregatione exquisierint qualiter se gerere debeant quoad functiones funebres quae, praesertim hac tempestate, a defunctorum propinquis etiam diebus dominicis aut festis de praecepto celebrandae indiscriminatim petuntur; haec porro S. R. Congregatio eosdem vehementer hortatur, ut in huiusmodi functionibus peragendis curent ut omnino serventur praescriptiones quae tum in Rituali Romano (tit. VI, cap. I, n. 8 et cap. III, n. 18) cum in novis Missalis Rubricis (*Addit, et variat. in Rubr. Miss.*, tit. III, n. 4) continentur.

In exsequiis autem, si Missa celebretur, semper — nisi de pauperibus agatur — fiat in cantu, reprobata invalescente praxi eam legendi absque cantu etiam cum funus externam induit pompam. Quandocumque vero ex rationabili causa funebris functio ritu breviori aut simpliciori agi contingat, ea tamen gravitate ac pietate peragatur, quam non minus reverentia sacrorum quam populi aedificatio requirit.

Quod vero ad Missae funebris qualitatem spectat, Missa exsequialis ea dicitur, iuxta novas rubricas (*Addit. et variat.*, l. c., n. 4), quae fit corpore defuncti physice aut saltem moraliter praesente. Corpus autem censetur praesens in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus (S. R. C., decret. 3755, § 2); non autem ultra biduum ab obitu (S. R. C., decret. 3767, ad XXVI). Quoties autem praefata Missa a rubricis impeditur, transferri potest in proximiorem diem similiter non impeditum (*Addit, et*

variat., l. c., n. 4). Si vero Missa impediatur non a rubricis, sed ab alia causa, tunc dicitur opportuniori die post acceptum mortis nuntium (*Addit. et variat.*, l. c., n. 6); sed haec Missa, etsi privilegiata, non est tamen exsequialis, ideoque diebus dominicis aut de praecepto prohibetur. Hoc igitur in casu dicatur Missa dominicalis aut festiva diei; poterit tamen fieri absolutio ad tumulum, exceptis iis diebus dominicis et festis in quibus Missa exsequialis etiam praesente cadavere prohibetur (*Addit. et variat.*, l. c., n. 4).

Hoc servandum praecipit S. R. Congregatio, sive agitur de militibus in locis dissitis bello peremptis, quorum mortis nuntius mature ad suos non pervenerit; sive agitur de definitiva alicuius corporis humatione, sive denique — eoque magis — de defunctorum anniversariis propriis vel fundatis, et de similibus casibus.

Datum Romae, die 1 Maii 1942.

† C. Card. Salotti, Ep. Praenestinus, *Praefectus*.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius*.

Annotationes

Isto decreto inculcatur obligatio servandi ea quae de missis exsequialibus in *Rituali romano* sed praesertim in *Additionibus et variationibus in rubricis missalis* praescribuntur. Duo spectantur: modus missae exsequialis celebrandae, et eius ratio seu natura. Decreti autem occasio in fine eius indicatur; eo scilicet in quibusdam locis deventum erat, ut propter frequentiam missarum funebrium ne diebus dominicis quidem propria officia celebrarentur, contra vetitum *Additionum ac variationum*, t. III, 12.

De missae exsequialis celebratione statuitur eam, nisi pro pauperibus agatur, debere cum cantu fieri. Reprobatur praxis huic legi contraria, pro qua missa exsequialis sine cantu legitur, etiam cum funus externam induit pompam.

Nemo qui recto spiritu liturgico animatur, id est amat ut quod e voluntate Ecclesiae vel ipsius Domini a communitate christiana agendum est, ab ea re vera agatur, de ista reprobatione non gaudebit. Quod hodie pro missa funebri cantata mos inducitur missae lectae, non debetur tantum voluntati res breviore tempore ac minoribus sumptibus expediendi, vel amori simplicitatis, aut nescio cuius elegantiae ostentationi, sed isti quoque menti, quae etiam apud homines magis excultos ac religiosos ignara apparet et impatiens omnis operae communis seu collectivae in rebus divini cultus perficiendis. Minus nimirum turbatur quis in propriis suis precibus recitandis missae privatae celebratione — praesertim si celebrans elatiore voce non utitur — quam missae cantatae. Praxis reprobatur, non singularis quaedam missae privata celebratio, quotiescumque hanc postulat rerum condicio. Id significat ipsa vox praxis et sententia subsequens: « Quandocumque vero ex rationabili causa » etc., modo haec etiam missae celebrationem spectet.

Quaenam autem praxis improbetur non perspicue significatur, utrum omnis praxis missam exsequialem sine cantu celebrandi, quamquam non agitur de pauperibus, an praxis id agendi, cum funus externam induat pompam, ita ut etiam pro iis qui pauperes non sunt, fas sit missam exsequialem sine cantu celebrare, et hoc etiam e consuetudine, modo externa pompa desit. Hanc vim determinativam, non mere explicativam, habere voces « cum funus externam induit pompam » eo demonstrari videtur, quod a superioribus commate non dividuntur. Attamen longe probabilius est verba ista non id spectare, ut reprobationem missae exsequialis lectae ad eum dumtaxat casum circumscribatur,quo funus externa pompa ornatur, sed hodiernum morem magis tantum definire et quasi notare velle. Etenim rubrica *Variationum et additionum in rubricis missalis* sine discrimine praescribit ut missa exsequialis, excepta tantum missa pro pauperibus celebranda, semper

cum cantu agatur, idemque facit novum decretum ubi praecipit: « In exsequiis ... missa ... semper ... fiat in cantu ».

De ratione missae exsequialis propria haec decernuntur.

Temporum condiciones quae in fine decreti memorantur, saepe efficiunt ut miles aliquis in dissitis locis interimatur bello, mortis autem nuntius ad suos mature non perveniat, ita ut non possit pro illo missa in patria celebrari, nisi post elapsum longius temporis intervallum. Poteritne nihilominus ista missa exsequialis esse, omnibusque huius missae privilegiis frui?

Secundum rubricas novas nomine missae exsequialis non ea tantum significatur quae cadavere physice praesente, sed etiam quae eodem moraliter tantum praesente celebratur. Moraliter autem adest corpus, si rationabili de causa vel ob iam peractam sepulturam abest. Porro quaestio hic oritur num moraliter praesens dicendum sit corpus hominis qui iam a longiore tempore vita functus est, immo in dissita aliqua regione sepultus iacet, pro quo autem nunc primum missa in patria celebranda est. Quam quaestionem solvit praesens decretum, cum statuit corpus moraliter praesens censendum non esse, nisi intra biduum ab obitu. Ut autem plene intellegatur huius solutionis significatio paucis verbis memoranda est eius historia; brevem namque historiam habet.

Tribus modis potest missa exsequialis agi: praesente physice corpore, corpore quidem nondum sepulto sed tamen absente ob rationabilem aliquam causam, v. g. ob leges civiles quibus vetatur corpora defunctorum in ecclesias introducere, corpore iam sepulto [1]. Duo priores modi nullam difficultatem gignere possunt, quoniam pro iis missa exsequialis ante sepulturam celebratur, nec multum differri umquam potest. De tertio autem modo dubium necessario surgit, quamdiu celebrationem missae exsequialis procras-

---

[1] Eadem distinctio fit in *Rubricis generalibus Missalis*, tit. V, 2, ad finem.

tinare licitum sit, et num hoc pro libitu vel commoditate fidelium fieri possit.

Prima licentia missam exsequialem absente corpore celebrandi concessa est decreto diei 22 martii 1862 (decr. 3112, I), sed hoc alterum dumtaxat modum spectabat, seu concedebat tantum ut missa exsequialis ageretur absente quidem sed nondum sepulto corpore: « Diebus festivis de praecepto et duplicibus secundae classis, permittitur una missa solemnis de requie, cum absolutione et precibus quae in die obitus fieri et recitari solent, etiamsi cadaver ob civiles praescriptiones non sit praesens in ecclesia, sed, adhuc insepultum, qua decet religione, servetur in loco decenti; apposito tamen in ecclesia lodicis seu nigri panni signo, ab eo diverso quod in anniversario adhibetur, ut fideles intellegant missam hisce diebus offerri in expiationem animae illius defuncti, cuius corpus traditum terrae adhuc non fuit, et Ecclesiae precibus etiam proprias adiungant ». Facultatem vero missam exsequialem, etiam post sepulturam seu depositionem defuncti celebrandi, triginta tantum annis postea, die 2 decembris 1891 data est (decr. 3755, II): « Si ex civili vetito, aut morbo contagioso, aut alia gravi de causa, cadaver in ecclesia praesens esse nequeat, immo, etsi iam terrae mandatum fuerit, praefata missa [id est exsequialis] celebrari quoque poterit in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus, eodem prorsus modo, ac si cadaver esset praesens ». Simul ergo cum concessione facultatis, circumscribebatur eius usus ad duos post obitum dies. Idem agebat anno sequenti decretum diei 13 februarii 1892 (decr. 3767, XXVI): « Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum insepultum sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret physice praesens, ita ut missa exsequialis in casu cantari licite valeat, quoties praesente cadavere permittitur ». In eo autem excerpto ex novis generalibus missalis rubricis quod ad missam defunctorum pertinebat, et ante ipsius missalis typicam editionem

(1920) e S. Congregatione Rituum iuris publici factum est, non solum usque ad diem secundum post obitum, sed usque ad diem secundum post depositionem inclusive fas fiebat missam exsequialem celebrare, « etiam absente rationabilem ob causam cadavere », quod utique fiebat quotiescumque missa post depositionem celebrabatur. Commissio autem liturgica quae *Additionum et variationum in rubricis missalis* textum paravit, voces « ab obitu usque ad secundum diem post depositionem eiusdem [defuncti] inclusive » suppressit, eo consilio, ut affirmat L. Barin [2], ut sic ad definitivam et unicam conclusionem, quae quamlibet controversiam auferret, gressum faceret. Ad commissionis mentem, teste eodem auctore, missa exsequialis, semper tamen unica et cum funere iuncta, celebrari poterat ea die qua primum pro determinato defuncto celebranda erant debita funera. Censebat namque commissio non privari debere iustis exsequiis defunctum cuius obitus seu depositio occurrat diebus a ritu vetitis, sicut si fidelis alicuius mors in feriam IV maioris hebdomadis, depositio vero in feriam V in Cena Domini inciderit. Quae interpretatio si recta est, latissima apparet concessio quam faciunt *Additiones et variationes*, quippe quae facultatem missae exsequialis etiam post sepulturam celebrandae ad nullum temporis intervallum coartent. At tunc non facile intellegitur cur eaedem rubricae paulo postea definiant quid agere fas sit quoties missa exsequialis a rubricis impediatur. Quidquid de hac re sentiendum est, mens novi decreti clara est: corpus non censetur praesens nisi in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus », quae verba sunt decreti 3755, II.

Clarissima quoque sunt quae de translatione missae exsequialis adiunguntur. Notandum tamen est secundum textum *Additionum et variationum* (III, 6) missas privilegiatas, etsi non exsequiales, non solum diebus dominicis

---

[2] *In novissimas rubricas missalis romani, a Pio Pp. X reformati, Ss. D. N. Benedicti Pp. XV auctoritate vulgati, commentarium*, Rhodigii, 1920, p. 204-207.

aut de praecepto prohiberi, sed etiam in Commemoratione omnium fidelium defunctorum, in duplicibus I et II classis, in feriis, vigiliis, octavis privilegiatis. An S. Congregatio privilegium quoddam concedere voluit missis exsequialibus quae suo tempore ob impedimentum aliquod non liturgicum agi non possint? Probabilius est eam dumtaxat decretum suum Ordinariorum quaesito aptare voluisse; hoc enim tantum ad missas diebus dominicis et festis de praecepto celebrandas pertinet.

Ultima pars decreti significat quinam casus praesertim eo spectentur.

I. M. Hanssens S. I.

44 - S. Paenitentiaria Apostolica

I

Decretum

(*AAS* xxxiv [14 sept. 1942] p. 239)

INDULGENTIAE AUGENTUR TACTUI PAENITENTIALIS VIRGAE ADNEXAE

Quinto ac vicesimo feliciter exacto anno, ex quo Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XII Episcopali fuit dignitate ornatus, cum Ipse eiusmodi celebrationem percupiat spirituali modo a christifidelibus peragi, cumque novum paternae benevolentiae Suae documentum Ecclesiae filiis praebere voluerit, divino Iesu Christi sanguine redemptis, Indulgentiam paenitentialis virgae tactui adnexam ea, quae infra exponitur, ratione adaugere dignatus est.

Scilicet in Audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die VIII mensis Iunii data, *trecentorum dierum Indulgentiam* semel in die lucrandam christifidelibus om-

nibus concessit, qui quolibet anni die, in Basilicis Lateranensi, Vaticana, Liberiana, Ostiensi, Minores Paenitentiarios adierint, seseque, christianae humilitatis sinceraeque contritionis sensibus animatos, paenitentiali virga tangendos submiserint.

Christifidelibus autem, qui E.mum Cardinalem Paenitentiarium Maiorem, munere suo statutis maioris hebdomadae diebus in memoratis quattuor Basilicis fungentem, adierint, quique iisdem sensibus animati, paenitentiali virga tangendos se pariter submiserint, *partialem septem annorum Indulgentiam* lucrandam benignissime concessit.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione, et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, e Sacra Paenitentiaria, die 20 Iulii 1942.

N. Card. Canali, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

II

45 - Decretum

AUGENTUR FACULTATES CIRCA INDULGENTIARUM CONCESSIONEM

In fere innumeris observantiae, amoris pietatisque documentis, quibus christifideles quintum ac vicesimum emensum annum, ex quo Augustus Pontifex Pius XII Episcopali dignitate insignitus est, spirituali modo, ex expressa ab eodem Summo Pontifice voluntate, concelebrant, ea peculiari ratione Sanctitati Suae grata obveniunt, quae vel a Purpuratis Patribus vel ab Excellentissimis Episcopis locorumque Ordinariis undique catholici orbis Eidem admoventur utpote qui communis Patris Pastorisque animo propius adsint, Eiusque gravissimas curas in Ecclesia gubernanda participent.

Quam quidem gratam voluntatem ut Sanctitas Sua testetur, utque paternam sollicitudinem Suam erga universum Sibi creditum gregem ostendat, spiritualem Ecclesiae thesaurum latius patere voluit; atque adeo in Audientia, die VII mensis Iunii infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, haec, quae sequuntur, decrevit ac statuit:

I. Facultas impertiendi Benedictionem papalem cum Indulgentia plenaria, de qua in can. 914 Cod. Iur. Can., ita adaugetur, ut Episcopis ter in anno. Abbatibus autem, Praelatis *nullius*, Vicariis ac Praefectis Apostolis bis in anno eam impertire liceat ad normam eiusdem canonis.

II. Itemque facultas Indulgentias concedendi, Abbatibus ac Praelatis *nullius* per can. 323 data, Vicariis vero ac Praefectis Apostolicis per can. 294, atque Episcopis residentialibus per can. 349 § 2 n. 2 impertita, sic augetur, ut iisdem liceat *Indulgentiam centum dierum* concedere. Facultas autem Archiepiscopis per can. 274 n. 2 data, ita pariter adaugetur, ut *ducentorum dierum Indulgentiam* iisdem concedere liceat. Ac postremo, facultas E.mis Patribus Cardinalibus per can. 239 § 1 n. 24 concessa, ita amplificatur, ut iisdem fas sit *trecentorum dierum Indulgentiam* dilargiri.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione, et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, e Sacra Paenitentiaria, die 20 Iunii 1942.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. LUZIO, *Regens.*

Annotationes

In more hominum apud omnes populos semper positum est ut qui specialem aliquam dignitatem et excellentiam obtineat, aliquo etiam dignitatis signo ab aliis distinguatur, ut videre est in regibus, magistratibus et praeci-

puis officialibus civilibus; et pari modo in Pontificibus, in Cardinalibus, in Episcopis, etc.

Iam, cum Paenitentiariorum Apostolicorum munus magni semper habitum fuerit, pronum erat ut et ipsi peculiari quodam insigni decorarentur. Cur vero virga electa sit ad eorum munus demonstrandum, facile patebit consideranti per virgam sape exprimi potestatem iudicialem, sicut inter romanos fasces virgarum soli Consuli praeferebantur; cui usui consonant verba S. Pauli ad Corinthios (I, 4): *Quid vultis; in virga veniam ad cos*?

Praeterea, sicut Praetor romanus leviter servos percutiendo eos libertate donabat, sic et Paenitentiarius paenitentes virga tangendo declarat eos liberos a servitute daemonis. Ad hanc liberationem et a peccatis absolutionem vividius exprimendam adhibita fuit, iam ab antiquis temporibus, ferula seu virga. Sixtus IV (Cf. Petra, De S. Poenit. Ap., C. IV), anno VIII sui Pontificatus absolvit tres hispanos qui, tempore absolutionis procumbentes sub porticu basilicae D. Petri, a Papa, una cum duodecim presbyteris, virga vapulavere. Ipse Sixtus IV anno X absolvit Oratores reipublicae Florentinae, qui verberati fuere a Papa et a duodecim presbyteris Cardinalibus; et notat Spondanus his verbis anno 1480, n. 1: dein admisi Legati pro foribus basilicae S. Petri, prostrati de more, viritim virga converberati, absoluti et in basilicam intromissi, sacro interfuerunt; et Raynal. (eodem anno n. 40, ex Iacobo Volterrano) loquens de Sixto IV ait: Non minus paterne et pie quam constanter et fortiter capiens manu virgulas, quae de more gestari manibus a Paenitentiariis solent, leviter percutiebat humeros cuiuscumque Oratoris.

Ut ex postremis verbis apparet, tempore Sisti IV mos erat, iamdiu introductus, ut paenitentiarii virgulas manu gestarent. Quod intelligendum est de solis paenitentiariis Apostolicis. Cum enim isti maiorem potestatem haberent, et absolvere possent paenitentes magnis criminibus irretitos, quorum absolutio soli Papae et ipsius delegatis re-

servabatur, consonum etiam erat ut hi paenitentiarii aliquod signum peculiare haberent suae potestatis quo a confessariis ordinariis distinguerentur. In quodam formulario antiquo Paenitentiariorum Apostolicorum Avenionensium, edito sub Benedicto XII, anno 1338, invenitur hoc statutum; quod publice ab illis verberari deberent paenitentes, denudatis brachiis, et aliquando cucullo imposito, nempe patricidae, matricidae, fratricidae, clericidae, nisi aliter Maior Paenitentiarius iudicasset. (Ap. Petra, l. c.).

Aliis paenitentiariis qui, vi sui muneris, facultatem non habent absolvendi a reservatis, talis virgae usus non conceditur, nequidem paenitentiariis cathedralium immo neque Episcopis ipsis, nisi vi indulti Apostolici vel consuetudine legitima illum obtinuerint, quod quidem rarissimum est. Iulius III qui per 25 annos Ecclesiae Syponti-nae praefuerat, concessit quatuor Paenitentiariis basilicae montis Gargani facultatem retinendi usum virgae.

Alius virgae usus, hodie tamen vix usitatus, describitur in Rituale Rom. C. II: De modo absolvendi ab excommunicatione extra Sacramentalem Confessionem. N. 4 ait: « Denique hunc absolvendi ritum observabit (sacerdos cui talis potestas commissa fuit): Paenitentem coram se utroque genu flexo, in humero, (si vir sit) usque ad camisiam exclusive, denudato, virga aut funiculis sedens leviter percutit, dicendo: Miserere mei Deus, etc ». Quae verberatio cum tantam vim habeat significandi condignam satisfactionem absolutioni coniungendam, adhiberi etiam debet in ritu absolutionis iam mortui ab excommunicatione in vita contracta. « Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur et absolvatur, ut infra; deinde absolutum in loco sacro sepeliatur » (Rit. Rom., Cap. IV, 2). « Si vero fuerit sepultum in loco profano, si commode fieri poterit, exhumabitur, et eodem modo verberabitur... » (N. 3). « Quod si in loco sacro sit sepultum, non exhumabitur, sed verberabitur sepulchrum... » (N. 4).

Ut ad Paenitentiarios Apostolicos redeamus, praeno-

tandum est quod memoratus virgae usus est penitus independens a circumstantia eidem, tractu temporis superaddita, concedendi iis quibus capita tanguntur aliquot indulgentiae dies. Constat enim illum usum longe vetustiorem esse concessione indulgentiarum, facta, ut videtur, prima vice per Paulum V.

Usus namque virgae, ex primaeva sua institutione, fines habet longe alios ac plane diversos ab indulgentiarum praedictarum largitione. Ex parte enim Pontificum virgae usum concedentium finis hic fuit ut virga signum esset et ornamentum dignitatis, ac simul potestatis insigne. Ex parte vero fidelium, capita sacrae virgae submittentium, finis intrinsecus et nativus hic est ut signo illo externo profiteantur subiectos se esse supremi animarum Pastoris virgae seu potestati, ac paratos ab eo corrigi et erratorum poenas suscipere. Atque ita se hic religiosus ritus et usus habuit per plurima saecula, tum in Maiori, tum diuturnius etiam in minoribus Paenitentiariis: longe vero serius accessit eidem virgae a Pontificum liberalitate memorata largitio indulgentiarum.

Paenitentiarii minores, singulis anni diebus, per ordinem in basilicis Lateranensi, Vaticana, Liberiana et Ostiensi in sedibus confessionalibus adsunt, fidelium confessiones excepturi. Omnes ante se praeferunt virgam paenitentialem ligneam qua volentes ante se prosternere leviter tangunt. Per plura saecula, uti innuimus, nulla indulgentia annexa erat huic humilitatis et submissionis actui.

Eminentissimus Cardinalis Paenitentiarius Maior per hebdomadam sanctam vespere in basilicas se confert hoc ordine: die dominico, ad S. Ioannem in Laterano; die mercurii, ad S. Maria Maiorem; die jovis, ad S. Petrum in Vaticano; die tandem veneris, usque ad annum 1941, item ad S. Petrum; hoc vero anno 1942 et, uti sperandum est, etiam futuris, ad S. Paulum. In hac enim basilica solummodo ab anno 1933 institutum est Collegium Paenitentiariorum minorum, per Constitutionem Pii Pp. XI

« Quod divina favente gratia », 3 Maii. « Etenim, ait Pontifex, si superiore tempore, perspecta sacrarum harum aedium a frequentioribus Urbis partibus longinquitate, huius rei necessitas neque Decessoribus Nostris neque Nobis occurrerat, at in praesens, cum tot domus, citatiore quodam incremento, in Basilicae vicinia excitentur, consentanea advenisse tempora putamus quibus pastoralis Nostra sollicitudo postulet ut sacrorum id genus administrorum Collegium in perpetuum condamus... » (AAS, 1933, p. 230).

Accedit igitur ad basilicas praedictas E.mus Card. Paenitentiarius Maior et ad ianuam recipitur ab aliquibus earumdem canonicis, a Praelatis S. Paenitentiariae atque a paenitentiariis in confessionibus non occupatis. Ibi cappam evolvit, et ingressus basilicam atque adorato SS.mo Sacramento, procedit ad sedem fixam in unaquaque basilica paratam, ibique sedens accipit a D.no Regente virgam paenitentialem, et cum ea percutit in capite eundem Regentem, adstantes canonicos, praelatos S. Paenitentiariae, paenitentiarios atque alios fideles per ordinem se humiliter submittentes, quorum numerus inter 600-1500 computatur. Olim, et usque ad tempus non ita a nobis remotum, Paenitentiarius Maior confessiones audiebat volentium ad se accedere; et si occurrebat casus discutiendus, ab aliquo Paenitentiario propositus, is tacito nomine paenitentis, maxima caritate et patientia per assistentes officiales maiores solvebatur. Qui tamen usus iam penitus cessavit, remanente solummodo virgae paenitentialis tactu.

Indulgentiae eidem tactui annexae, quae, uti innuimus, initio nullae fuere, postea ad numerum 300 dierum excreverunt. Nunc vero, praesenti Decreto, auctae sunt ad partialem septem annorum. Similiter, indulgentiae tactui virgae paenitentialis minorum paenitentiariorum annexae, quae ultimis temporibus 100 dierum erant, in posterum erunt 300 dierum, semel in die lucrandae. Condi-

tiones autem sunt ut fideles in supradictis basilicis, christianae humilitatis sinceraeque contritionis sensibus animati, paenitentiali virga tangendos se submittant.

* * *

Quod ad secundum Decretum quo augentur facultates circa indulgentiarum concessionem, haec tantum notare sufficiat.

Post pontificale Leonis XIII iubilaeum plures sacrorum Antistites ad auspicatum eventum novo pietatis religiosique fructus pignore consecrandum, ab ipso Summo Pontifice postularunt ut eorum facultas in indulgentiis elargiendis aliquantulum augeretur. Quod cum mors Pontificis impediret, Episcoporum postulatio SS.mo D.no Pio X delata fuit, qui nihil magis in votis habere testatus est quam ut gloriosam Antecessoris memoriam digno honoris documento prosequeretur et propriam insuper erga universos ecclesiasticos ordines paternam caritatem oppido ostenderet. Quapropter decernere dignatus est ut in posterum E.mi Patres Cardinales in suis titulis aeque ac dioecesibus, bis centum; Archiepiscopi, centum, atque denique Episcopi quinquaginta dierum indulgentiam elargiri valerent (28 aug. 1903 - AAS, v. 36, p. 318).

Nunc autem, occasione vigesimi quinti anniversarii consecrationis episcopalis SS.mi Patris Pii XII, Ipse, pro sua benignitate, voluit nova privilegia Cardinalibus et Praelatis concedere, eorum facultates rursus augendo.

Itaque, praeter concessionem impertiendi aliam Benedictionem papalem ultra statutas per can. 914, Episcopis, Abbatibus, Praelatis nullius, Vicariis et Praefectis Apostolicis, amplificat quoque facultatem concedendi indulgentias, ita ut Episcopi, et his assimilati hac in re, Vicarii et Praefecti Apostolici, indulgentiam 100 dierum concedere valeant, loco 50; Archiepiscopi vero, 200, loco 100; Patres tandem Cardinales, 300, loco 200.

I. M. Restrepo S. I.

46 - Declaratio

(*AAS* XXIV [20 oct. 1942] p. 303).

CIRCA INDULGENTIAM PLENARIAM CRUCIFIXIS ADNEXAM, SOLUMMODO IN ARTICULO MORTIS LUCRANDAM.

Aliquo iam tempore, magna cum fidelium admiratione, Crucifixi imagines praebentur, quibus asseveratur Indulgentiam plenariam adnexam esse, ab infirmis lucrandam quotiescumque iidem, corde contrito et amoris dolorisque actum elicientes, unum ex hisce Crucifixis osculaverint; quos quidem dicunt ab aliquo Praelato, ex peculiari a Summo Pontifice accepta facultate, fuisse benedictos.

Nec desunt qui recens praesertim ad hoc sacrum Tribunal recurrerint, ab eodem postulantes utrum haec gratia reapse, ut exponitur, concessa fuerit; itemque significantes rem, utpote omnino extraordinariam, haud mediocrem commovisse admirationem.

Quamobrem hoc sacrum Tribunal — cuius est de Indulgentiarum concessione et usu iudicare — ad falsam praecavendam interpretationem circa S. Matris Ecclesiae hac in causa benignitatem, non modo opportunum, sed necessarium ducit duas illas Declarationes in omnium memoriam revocare hac super re iam editas; illam nempe Supremae S. Congregationis S. Officii d. d. 10 mensis Iunii a. 1914 (*Acta Apost. Sedis*, vol. VI, pag. 347), et alteram Sacrae huius Paenitentiariae d. d. 23 mensis Iunii a. 1929 (*Acta Apost. Sedis*, vol. XXI, pag. 510). Atque iterum declarat Crucifixos, qui nostris etiam hisce temporibus eiusmodi gratia ditati distribuuntur, ad normam harum Declarationum benedictos censendos esse; ita ut Indulgentia plenaria solummodo in articulo mortis lucrifieri possit, necessariis habitis contitionibus.

Quae omnia, cum Summo Pontifici relata fuerint ab infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiore in Audientia diei 4 mensis Iulii vertentis anni, idem Ss.mus Dominus

declarationem S. Paenitentiariae Apostolicae approbavit, confirmavit et publicandam mandavit.

Datum Romae, e Sacra Paenitentiaria, die 22 Septembris 1942.

N. Card. Canali, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

47 - Commissio Pontificia de re Biblica

Responsum

(*AAS* xxxiv [1 aug. 1942] p. 232)

DE EXPERIMENTIS AD PROLYTATUM

Cum quaesitum fuerit utrum in examinibus ad Prolytatum seu Licentiatum coram Pontificia Commissione Biblica habendis, varia experimenta, sive oralia sive scripta, quae iuxta statuta in eadem sessione fieri solent, ita dividere liceat, ut etiam sat magnum intervallum inter ea habeatur, eadem Pontificia Commissio Biblica respondit:

Affirmative. Ita tamen ut prius fiant examina linguarum hebraicae et graecae, una cum universa introductione speciali et quidem ore (*Ench. Bibl.*, nn. 355, 356, 358). Quibus experimentis feliciter superatis, Candidatus declarabitur *Baccalaureus.*

Superatis vero ceteris experimentis programmatis (ibid., nn. 352, 353, 354, 357 et 359), conferetur gradus *Prolytatus.*

Quod responsum Ss.mus D. N. Pius Pp. XII, in audientia 6 Iulii an. 1942 infrascripto Rev.mo Consultori ab Actis benigne concessa, ratum habuit et publici iuris fieri mandavit.

Romae, 6 Iulii 1942.

Iacobus M. Vosté O. P., *Consultor ab Actis.*

ACTA SUMMATIM RELATA

48 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Constitutio apostolica *Quae fidei catholicae,* 16 octobris 1941, qua praefectura apostolica de Bandoeng in insula Java ad vicariatus apostolici gradum evehitur (*AAS* XXXIV [14 iul. 1942] p. 185 s.).

B — Constitutio apostolica *Magno cum gaudio,* 16 octobris 1941, qua praefectura apostolica de Soerabaia in vicariatum apostolicum erigitur (*AAS* XXXIV [14 iul. 1942] p. 187 s.).

C — Constitutio apostolica *Valde rei catholicae,* 16 octobris 1941, qua praefectura apostolica de Poerwokerto in vicariatum apostolicum eiusdem nominis erigitur (*AAS* XXXIV [14 iul. 1942] p. 188 s.).

D — Constitutio apostolica *Ecclesiarum,* 15 novembris 1941, qua a dioecesi Denveriensi territorii pars distrahitur, e qua nova erigitur dioecesis « Pueblensis » (*AAS* XXXIV [14 iul. 1942] p. 190 ss.).

E — Constitutio apostolica *Quae ad maius,* 15 novembris 1941, qua dioecesis Deveriensis a provincia ecclesiastica Sanctae Fidei seiungitur et nova erigitur provincia ecclesiastica Denveriensis, ab ipsa ecclesia Deveriensi ad metropolitanae gradum erecta, et a cathedralibus ecclesiis Cheyennensis et Pueblensi, illi suffraganeis constitutis, efformata (*AAS* XXXIV [14 iul. 1942] p. 192 ss.).

F — Epistula apostolica *Haud mediocrem,* 23 nov. 1941, ad Venerabiles Fratres Danielem Rivero, Archiepiscopum Sucrensem ceterosque Boliviae Episcopos et locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes de sacrorum seminariorum causa deque recta cleri institutione (*AAS* XXXIV [14 sept. 1942] p. 233-238).

G — Litterae apostolicae *Fidentiae dioecesis,* 28 febr. 1942, quibus templum Sancti Laurentii martyris in oppido « Monticelli d'Ongina » Fidentinae dioecesis ad titulum et dignitatem basilicae minoris evehitur (*AAS* XXXIV [14 iul. 1942] p. 195 s.).

H — Allocutio ad Em.mos PP. DD. Cardinales in festo s.

Eugenii I Pp. fausta ominantes (*AAS* XXXIV [14 iul. 1942] p. 196 ss.).

I — Litterae apostolicae *Decessorum Nostrorum*, 20 april. 1942, quibus consociatio mulierum et puellarum catholicarum pro missionibus in Pfaffendorf-Koblenz dioecesis Trevirensis titulo « Pontificiae » decoratur (*AAS* XXXIV [1 aug. 1942] p. 219 s.).

K — Litterae apostolicae *Quas corrector generalis*, 25 apr. 1942, quibus titulo ac privilegiis basilicae minoris ditatur ecclesia S. Andreae vulgo « delle Fratte » in Urbe, Ordini Minimorum concredita (*AAS* XXXIV [20 oct. 1942] p. 275-276).

L — Litterae apostolicae *Victoriensis dioecesis*, 1 maii 1942, quibus Beata Maria Virgo sub titulo « de Uribarri », quae in oppido « Durando » Victoriensis dioecesis colitur, totius archipresbyteralis regionis Duranguensis Patrona caelestis declaratur (*AAS* XXXIV [1 aug. 1942] p. 220 s.).

M — Epistula *Denis transactis lustris*, 5 maii 1942, ad Rev.mum P. Wlodimirum Ledóchowski, Generalem Societatis Iesu praepositum atque ad moderatores et alumnos Pontificii Seminarii Studiorumque universitatis Comillensis, ob dena lustra ab eodem seminario condito (*AAS* XXXIV [1 aug. 1942] p. 228-229).

N — Litterae apostolicae *Exponendum Nobis*, 8 maii 1942, quibus Beata Maria Virgo Immaculata Vicariatus Castrensis Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum Patronae caelestis eligitur (*AAS* XXXIV [1 aug. 1942] p. 221 s.).

O — Litterae apostolicae *Expedit ut christifidelium*, 20 maii 1942, quibus Beata Maria Virgo « Consolata » Taurinensis civitatis praecipua Patrona caelestis proclamatur (*AAS* XXXIV [1 aug. 1942] p. 222-224).

P — Litterae apostolicae *Que in exploratum*, 1 iun. 1942, quibus S. Gulielmus abbas, Montis Virginis et monasterii conditor praecipuus patronus Irpinorum regionis declaratur (*AAS* XXXIV [20 oct. 1942] p. 277-278).

Q — Epistula *Octavo exeunte saeculo*, 16 iun. 1942, ad R. P. Iosephum Ramirum Marcone, Montis Virginis abbatem, octavo exeunte saeculo ab obitu s. Gulielmi abbatis, eiusdem abbatiae et sanctuarii conditoris (*AAS* XXXIV [20 oct. 1942] p. 278-280).

R — Epistula *Intimo gaudio*, 29 iun. 1942, ad Em.mos PP. DD. Cardinales atque Exc.mos DD. Archiepiscopos et Episcopos Hispaniae de disciplinae regula studiorumque ratione opera eorum in seminaria Hispaniae nuper introducta (*AAS* XXXIV [1 aug. 1942] p. 224-228).

S — Epistula *Comperimus te sodalesque,* 18 aug. 1942, ad R. P. Ambrosium Giner, abbatem praepositum Canonicorum Regularium a Novacella octavo exeunte saeculo a monasterio Novacellensi condito (*AAS* xxxiv [20 oct. 1942] p. 280-281).

T — Nuntius radiophonicus die VII septembris anno 1942 missus ad christifideles ob IV conventum eucharisticum e tota Brasilia in urbe S. Pauli coadunatos (*AAS* xxxiv [20 oct. 1942] p. 265-270).

U — Allocutio habita ad viros ad Actione catholica ex Italiae dioecesibus die 20 mensis septembris anni 1942 Romae coadunatos (*AAS* xxxiv [20 oct. 1942] p. 282-293).

49 - Sacra Congregatio Consistorialis

Decretum 14 martii 1942, quo pagi duo ab archidioecesi Paderbornensi separantur atque dioecesi Hildesheiensi adiunguntur; oppidum vero unum huiusque territorium a dioecesi Hildesheiensi disiungitur et Paderbonensi incorporatur (*AAS* xxxiv [14 iul. 1942] p. 202 s.).

Decretum 21 martii 1942, de regimine Pompeianae praelaturae « nullius » cum Pontificio Sanctuario B. Virginis Mariae a Sacratissimo Rosario (*AAS* xxxiv [14 iul. 1942] p. 203 s.).

Decretum 17 ian. 1942, de regimine abbatiae « nullius » S. Mariae Montis Oliveti Maioris (*AAS* xxxiv [1 aug. 1942] p. 230).

Decretum 18 april. 1942 de finibus dioecesis Labacensis et Tergestensis (*AAS* xxxiv [1 aug. 1942] p. 231).

Decretum 2 maii 1942, de mutatione finium dioecesis Agriensis et Cassaviensis (*AAS* xxxiv [20 oct. 1942] p. 294).

Decretum 23 maii 1942, de mutatione finium dioecesis Quinque Ecclesiensis et Veszprimiensis (*AAS* xxxiv [20 oct. 1942] p. 295).

Decretum 30 iun. 1942, quo territorium monasterii S. Magni ab abbatia «nullius» S. Pauli ab Urbe separatur et dioecesi Amerinae incorporatur (*AAS* xxxiv [20 cot. 1942] p. 296).

50 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

Decretum 9 iun. 1942, quo portio vicariatus de Ouagadougou praefecturae apostolicae Ghardaiensi in Sahara adnectitur (*AAS* xxxiv [20 oct. 1942] p. 301).

51 - Sacra Congregatio Rituum

Causa beatificationis et canonizationis:

Brentwooden. seu *S. Andreae et Edimburgen.* Decretum 13 febr. 1942, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis servae Dei M. Franciscae a Quinque Plagis, in saeculo Margaritae Sinclair, sororis professae ordinis S. Clarae (*AAS* xxxiv [14 iul. 1942] p. 207 ss.).

52 - Provisiones ecclesiarum

A. *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt*:

1 maii 1942,, R. D. Iosephus Frings, Rector Seminarii Maioris, metropolitanae ecclesiae Coloniensi.

2 maii 1942, R. D. Gulielmus P. A. M. Mutsaerts, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Arnoldi F. Diepen, episcopi Buscodunensis.

14 maii 1942, Exc. P. D. Ioachimus García, hactenus episcopus S. Marthae, metropolitanae ecclesiae Medellensi.

16 maii 1942, Exc. P. D. Augustinus De Jesus y Sousa, hactenus episcopus Lamacensis, cathedrali ecclesiae Portugallensi.

20 iunii 1942, Exc. P. D. Ioannes Em. Gonzalez, metropoli-ecclesiae Popayanensi.

20 iunii 1942, R. D. Georgius Petit, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Caroli M. A. Ginisty, episcopi Virodunensis.

23 iunii 1942, R. D. Aloisius Rosa, cathedrali ecclesiae Balneoregiensi.

23 iun. 1942, R. D. Ierardum Martinez, cathedrali ecclesiae Garzonensi.

23 iun. 1942, R. D. Iulius Caicedo, Soc. S. Francisci Salesii, cathedrali ecclesiae Baranquillensi.

23 iun. 1942, R. P. Angelus M. Ocampo, Soc. Iesu, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Leonidae Medina, episcopi Succursensis et Sancti Aegidii.

4 iul. 1942, R. D. Carolus Allorio, cathedrali ecclesiae Papiensi.

25 iul. 1942, R. D. Norbertus Robichaud, metropolitanae ecclesiae Monctonensi.

25 iul. 1942, R. D. Camillum Leblanc, cathedrali ecclesiae Bathurstensi in Canada.

8 aug. 1942, Exc. P. D. Pius Giardina, hactenus episcopus Hephaestiensis, cathedrali ecclesiae Nicosiensi.

24 aug. 1942, R. P. Ioannes Baptista Muniz, C. ss. R., Cathedrali ecclesiae Barrensi.

4 sept. 1942, R. D. Franciscus Orlando, cathedrali ecclesiae Sancti Severi.

24 sept. 1942, Exc. P. D. Iulius Glattfelder, hactenus episcopus Csanadiensis, metropolitanae ecclesiae Colocensi.

24 sept. 1942, R. D. Iosephus Péteri, cathedrali ecclesiae Vaciensi.

24 sept. 1942, R. P. Ioannes de Deo Ramalho, Soc. Iesu, cathedrali ecclesiae Macaonensi.

25 sept. 1942, R. D. Michael Angelus Machado, cathedrali ecclesiae S. Michaelis.

30 sept. 1942, R. P. Aloisius Colignon, a Congr. Oblat. B. M. V. Imm., cathedrali ecclesiae Caiensi.

7 oct. 1942, R. D. Georgius Jacquin, cathedrali ecclesiae Molinensi.

B. *Decretis S. C. de Propaganda Fide nominati sunt*:

23 febr. 1942, R. P. Ioannes Gunnarson, e Societate Mariae Montfortensi, vicariatus apostolicus Islandiae.

24 febr. 1942, R. P. Alphridus I. Gummer, Cathedrali ecclesiae Geraldtonensi.

24 febr. 1942, R. P. Sanctus Ubierna O. P., vicarius apostolicus de Thai-Binh in Indosina.

24 febr. 1942, R. P. Eduardus Rostaing, miss. B. M. V. de la Salette, vicarius apostolicus de Antsirabè.

25 febr. 1942, R. P. Ioannes Tharsicius Senner O. F. M., vicarius apostolicus de Chiquitos.

15 apr. 1942, R. D. Petrus Cule, cathedrali ecclesiae Mandetriensi.

28 apr. 1942, R. P. Iacobus Eich, Instit. Oblator. S. Fran-

cisci Salesii presbyter, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Iosephi Kleemann, vicarii apostolici Magni Namaqualand.

9 iun. 1942, R. P. Philippus Silvester Wang-Tao-Nan, O. F. M., vicarius apostolicus de Fengsiangfu.

6 sept. 1942, Exc. P. D. Iustinus Simonds, hactenus archiepiscopus Hobartensis, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Danielis Mannix, archiepiscopi metropolitanae ecclesiae Melburnensis.

53 - Nominationes

Decretis S. C. de Propaganda Fide renuntiati sunt:

1 maii 1942, R. P. Franciscus Faroud, Soc. pro Miss. ad Afros, praefectus apostolicus Niameyensis.

5 aug. 1942, R. P. Ioannes Lesourd, e Soc. Miss. Africae, praefectus apostolicus Gaoensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

Ios. Creyghton S. I., *Credo: het geheim van de apostolische geloofsbelijdenis*, 's Hertogenbosch (Malmberg) 1941, 13,5×21 cm., 140 p.

Hoc libro agitur de Symbolo Apostolico. Exposita structura et evolutione documenti, per tria capita sequentia explicantur tres symboli partes. Dein ponitur quaestio, quid sit Symbolum et quid adiutorii dare possit ad omnia instauranda in Christo. In fine appendix formularum propinquarum.

Idem, *De tien geboden in het Christelijk leven*, Credo-reeks II, 's Hertogenbosch (Malmberg) 1941, 11,5×18,5 cm., 108 p.

Facta comparatione inter decalogum Sinaiticum et Christianum; inter decalogum et legem naturalem; exponitur quid sit decalogus et quid contineat. Dein agitur de habitudine decalogi ad novam legem amoris et libertatis filiorum Dei.

Vilko Fajdiga, *Moralni čudeži in njihova kriteriolška vrednost*, Acad. theol. Ljubljanae liber XIV, Ljubiana 1942, 15,5×23 cm., 100 p.

In hoc libro, lingua slovena conscripto, agitur de miraculis moralibus (prophetiae, expansio christianismi; sanctitas, foecunditas, catholica unitas, vita mirabilis Ecclesiae; sign. elevatum in nationes; problema vitae in Ecclesia tt. solutum; providentia divina in V. et N. T.) et eorum valore criteriologico. Post conspectum historicum quaestionis, exponitur quomodo miracula moralia singulatim et simul sumpta probent. Dein agitur de eorum vi in apologetica.

Fr. Grivec, *Cerkev-telo Kristusovo; Ecclesia - Corpus Christi* Ljubjana (Kramarič) 1942, 15,5×23,5 cm., 34 p.

Expositio valde compendiosa. In parte slovena (p. 1-14) post introductionem agitur de crisi novae ecclesiologiae (methodus; notae; corpus mysticum), dein de corpore mystico in specie. In parte latina (p. 14-34) unice est quaestio de Corpore mystico: a) controversiae de C. M.; b) quaestiones selectae de C. M. (Ecclesia Corpus Christi: Corpus mysticum; caput: Sponsa; communio sacramentorum; sacramentum Ecclesia; anima); c) C. M., hierarchia et primatus; d) Conclusio: Corpus Christi quod est Ecclesia.

Ferrutius A. Liuzzi, *Commentarius de singulis delictis in Iure canonico. De delictis contra auctoritates ecclesiasticas* (cann. 2331-2340), Romae (Officium Libri Catholici), 1942, 16,5×24,5 cm., XVI-164 p.

De delictis contra auctoritates ecclesiasticas in genere. De inoboedientia deque ad inoboedientiam provocatione. De conspiratione. De appellatione ad concilium universale. De violatione libertatis litterarum vel actorum Sanctae Sedis. De ordinationibus contra libertatem aut iura Ecclesiae. De impedito exercitio iurisdictionis ecclesiasticae. De adscriptione sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus. De impedito exercitio iurisdictionis ecclesiasticae in paroeciis. De censurarum contemptu ac violatione. De illegitima sepultura ecclesiastica. De insordescentia in censura.

F. Malmberg S. I., *De Kerk als Christusgemeenschap,* Credoreeks I, 's Hertogenbosch (Malmberg) 1941, 11,5×18,5 cm., 100 p.

Prius agitur de Christo Salvatore et Ecclesia quatenus opus redemptionis perenne reddit; dein de Ecclesia ut societas est cultus, gratiae, sanctificationis; tandem ut societas est visibilis simul ac invisibilis. In fine fit synthesis praecedentium.

Gerardus Oesterle O. S. B., *Consultationes de jure matrimoniali,* Romae (Officium Libri Catholici), 1942, 16,5×24,5 cm., 376 p.

De origine matrimonii secundum Evolutionistas. De iure matrimoniali reipublicae Sovjeticae. Antidotum contra nutantia connubia efficax. De iure matrimoniali missionario. Etc. (Universae decem et octo consultationes).

Anton. Polianti, *Il Corpo mistico e le sue relazioni con l'Eucaristia in S. Alberto Magno,* Roma, 1939, 18×25 cm., 215 p.

Introductio historica; Elementa C. M.: caput et membra; Unio et causae C. M.; Vita C. M.: de Sanctis, B. M. V. et Communione Sanctorum; Eucharistia symbolum, causa, vinculum C. M.; Sacrif. Euch. et C. M.; Eucharistia vinculum mysteriorum fidei.

Benedictus Salierno O. F. M. Conv., *De actu deputationis locorum cultui divino,* Neapoli, 1942, 16,5×23,5cm., 78 p.

Utrum sufficiat necne simplex voluntatis actus competentis auctoritatis ad deputanda loca divino cultui et ad illa sacra reddenda. Utrum actus quo loca deputantur sit ordinis an iurisdictionis an de utraque participet potestate.

II- Ex periodicis

ARCHIVIO DI DIRITTO ECCLESIASTICO, IV (1942), num. 3 (luglio-settembre) — Felice M. Cappello, *La sterilità maschile e l'impedimento d'impotenza*, p. 237-250.

BOGOSLOVSKA SMOTRA, XXX (1942), fasc. 3 — I. Skreblin, *Curator animarum et juventus* (croatice), p. 137-163.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO E RASSEGNA DI DIRITTO MATRIMONIALE, LIII (1942), num. 5 (maggio) — Pietro A. d'Avack, *L'impedimento della professione religiosa nel diritto matrimoniale canonico*, p. 146-155 — Num. 6 (giugno-luglio), eiusdem dissertationis continuatio et finis, p. 189-199. — Num. 9 (settembre) — Pio Ciprotti, *Personalità e battesimo nel diritto della Chiesa*, p. 273-276 — Mario Petroncelli, *I soggetti dell'ordinamento canonico*, p. 276-282.

PASTOR BONUS (Romae), VI (1942), fasc. 7-8 (iulio-augusto) — I. Monetti S. I., *SS. RR. Pontificum de doctrina sociali et praxi praecipua placita cum commentariis*, p. 292-296 — Ph. Oppenheim, O. S. B., *De patrinorum iuribus et officiis*, p. 297-303.

PASTOR BONUS (Treviris), LIII (1942), fasc. 5-6 (mai-juni) — von Meurers, *Die eucharistische Konzelebration*, p. 65-77 — fasc. 7-8 (jul. aug.), eiusdem articuli continuatio et finis, p. 97-105.

PERFICE MUNUS, XVII (1942), 10 luglio — Ph. Oppenheim, *De lingua liturgica et de uniformitate in eadem pronuntianda*, p. 372-379.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO E DEI RAPPORTI DI FAMIGLIA, IX (1942), num. 8 (agosto) — D. Lazzarato, *Importante decisione sul conflitto di attribuzioni fra una s. congregazione romana e i tribunali ecclesiastici*, p. 149-153.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

Philippus Aguirre, S. I., Prof. iur. publ. et concord. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 61 ss., 107 ss., 191 ss., 268 ss.

Raimundus Bidagor, S. I., Prof. textus iur. can. et inst. iur. rom. in Pont. Univ. Gregoriana; Consultor S. Congreg. de D. Sacramentorum, p. 195 ss.

Carolus Claereboets, S. I., Doct. S. Theologiae, p. 374 ss.

Iosephus Creusen, S. I., Prof. textus iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana; Cons. S. Congr. S. Officii, p. 74 ss., 143 ss., 176 ss., 216 ss., 286 ss.

Iosephus Creyghton, S. I. Prof. iur. can. in Coll. Max. Traiectensi in Hollandia, p. 247 ss.

Ioannes M. Hanssens, S. I., Prof. inst. liturg. in Pont. Univ. Gregoriana; Consultor S. Congr. pro Eccles. Orient. et SS. Rit. in sectione liturgica, p. 31 ss., 377 ss.

Franciscus Hürth, S. I., Prof. theol. moral. in Pont. Univ. Gregoriana, Cons. S. Congr. S. Officii, p. 5 ss., 291 ss.

Petrus Kraemer, M. I., Consultor S. Congr. de Religiosis, p. 140 ss.

Ulpianus Lopez, S. I., Prof. theol. moral. in Pont. Univ. Gregoriana, Consultor S. Congr. de D. Sacramentorum; p. 12 ss., 201 ss., 242 ss.

Ioannes M. Restrepo, S. I., Prof. hist. Cur. Rom. ad Tabul. Vatic.; theol. Datar. Apost. et S. Paenit., p. 215 ss., 275 ss., 386 ss.

Silvius Rosadini, S. I., Prof. S. Script. in Pont. Univ. Gregoriana; p. 168 ss.

Arthurus Schönegger, S. I., Prof. textus iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 119 ss.

Ioseph Schweigl, S. I., Prof. inst. liturg. orient. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 155 ss.

Sebastianus Tromp, S. I., Prof. Theol. fundam. in Pont. Univ. Gregoriana; Consultor S. Congreg. S. Officii, p. 345 ss.

Alfredus Vaccari, S. I., Prof. intr. gen. et exeg. V. T. in Pont. Inst. Biblico, p. 93 ss.

Alexander Willwoll, S. I., Prof. intr. in psycol. rel. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 280 ss.

Ivo A. Zeiger, S. I., Prof. hist. iur. can. et font. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 333 ss.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

Pag.

De viro ut subiecto unico validae ordinationis sacrae, F. Hürth, S. I. 5

Quo vertitur probabilismus?, U. Lopez, S. I. 12

De laudibus carolinis, I. M. Hanssens, S. I. 31

S. P. Piux XII pro concordia inter populos, Ph. Aguirre, S. I. 107

Canonis 105, 1º interpretatio et interpretes, A. Schönegger, S. I. 119

De professione religiosa a novitio in mortis articulo vel periculo constituto emittenda, P. Kraemer, M. I. . . 140

De iuridica status religiosi evolutione brevis synopsis historica, I. Creusen, S. I. 143

De quibusdam antiquioribus textibus slavicis liturgiae S. Basilii M. in editione Romana iterum restitutis, I. Schweigl, S. I., ... 155

Sacerdotium - Apostolatus - Perfectio, U. Lopez, S. I. 201

De iuridica status religiosi evolutione brevis synopsis historica, (continuatio) I. Creusen, S. I. 216

Casus varii de alumnis Seminarii admittendis in familiam religiosam, U. Lopez, S. I. 242

Parva quaedam animadversio, I. Creyghton, S. I. . . . 247

De mutua inter Theologiam Moralem et Ius Canonicum habitudine, I. A. Zeiger, S. I. 333

Venerabilis L. de Ponte et co-oblatio fidelium, S. Tromp, S. I. 345

INDEX MONUMENTORUM

SS. D. N. PIUS PP. XII — *Pag.*

1 - Allocutio natalitia de novo ordine 54
Annotationes, PH. AGUIRRE, S. I. . . . 61
9 - Conventio inter Sanctám Sedem et Gubernium hispanicum 164
17 - Nuntius radiophonicus d. 13 maii 249
Annotationes, PH. AGUIRRE, S. I. 268
18 - Litterae Apostolicae Motu Proprio datae d. 13 maii 274
Annotationes, I. M. RESTREPO, S. I. . . . 275
38 - Allocutio ad S. R. Rotam de morali certitudine in processibus iudicialibus habenda 352
Synopsis et Annotationes 358
39 - Chirographus de Instituto caritatis religionisque operibus tutandis in C. Vaticana condendo . . 366

Acta summatim relata.

5 - 27 - 31 - 48 . . . . . 99, 321, 325, 392

S. S. C. S. OFFICII

10 - Responsum de millenarismo 166
Annotationes, S. ROSADINI, S. I.. . . . 168
11 - Decretum 16 ian. 1942 175
Annotationes, I. CREUSEN, S. I. 176
12 - Decretum 4 febr. 1942 184
Annotationes 184
13 - Submissionis notificatio 188
14 - Responsum 189
19 - Decretum d. 23 martii - Proscriptio libri . . . 278
20 - Decretum d. 26 martii - De Radiaesthesia . . 279
Annotationes, A. WILLWOLL - I. CREUSEN, S. I. 280
21 - Decretum d. 17 apr. - De praevia censura librorum pietatis 291
40 - Decretum de quibusdam cautelis adhibendis in causis matrimonialibus impotentiae et inconsummationis 368

S. C. CONSISTORIALIS

Acta summatim relata 394

S. C. CONCILII

22 - Resolutio de iure funerandi 294
41 - Tergestina - Distributionum. Iudices synodales lucrantur distributiones quotidianas 371

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

42 - Decretum d. 16 Octobr. 1941
Annotationes, C. Claereboets, S. I. . . . 374

2 - 50 - *Acta summatim relata* 99, 394

S. C. RITUUM

23 - Commune unius aut plurium SS. PP. . . . 298
24 - Decretum de lampade SS.mi Sacramenti . . 308
43 - Decretum de functionibus pro defunctis . . . 376
Annotationes, I. M. Hanssens, S. I. . . 377

Acta summatim relata.

7 - 28 - 51 . . . . . 100, 322, 395

S. C. DE RELIGIOSIS ET DE SEMINARIIS ET UNIV. STUD.

2 - Decretum, 25 iulii 1941, de alumnis admittendis in Seminarium vel in Familiam religiosam . 73
Annotationes, I. Creusen, S. I. . . . 74

S. C. PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

3 - Indultum, 19 decembr. 1941, circa legem de ieiunio et abstinentia 82

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

25 - De privilegio sacerdotibus concesso in motu proprio « Summo solacio » 308
44 - Indulgentiae augentur tactui paenitentialis virgae adnexae 384
45 - Augentur facultates circa indulgentiarum concessionem 385
Annotationes, I. M. Restrepo, S. I. . . 386
46 - Declaratio circa indulgentiam plenariam crucifixis adnexam solummodo in articulo mortis lucrandam 390

DATARIA APOSTOLICA

26 - Instructio de observandis in collatione beneficiorum non consistorialium 309
Annotationes, I. M. Restrepo, S. I. . . 317

PONT. COMMISSIO BIBLICA

4 - Litterae ad Exmos. PP. DD. Archiepiscopos et Episcopos Italiae, 20 aug. 1941 93
47 - Declaratio de experimentis ad prolytatum . . 391

PONT. COMMISSIO INTERPRET. CODICIS

15 - Responsa ad proposita dubia 190
Annotationes, PH. AGUIRRE, S. I. 191
16 - Responsa ad proposita dubia 194
Annotationes, R. BIDAGOR, S. I. 195

PROVISIONES ECCLESIARUM

8 - 29 - 34 - 52 . . . . . 100, 323, 327, 395

NOMINATIONES

33 - 53 . . . . . 328, 397

DESIGNATIONES PRO APPELLATIONE

35 328

TABULAE SYNOPTICAE S. R. ROTAE

36 329

NECROLOGIUM

30 324

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE 102, 200, 323, 398

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Acta causae comprehendunt omnia acta iudicialia, 194.
Admissio in seminarium vel religionem 73, ss.
Amoris misericordis devotio quid sit; denegatur venia ad eam propagandam, 189.
Androgynoida, determinata forma pseudohermaphroditismi 8. 10-11.
Appretiatio: axioma « liberae probationum appretiationis » in processibus matrimonialibus 363, — conflictus cum principio « formalismi iuridici » 364.
Archivum secretum non debet continere summaria facti, si rei vita cesserint, 190.
Ascetae in primaeva Ecclesia, 147.
Baptismus prolis e matrimonio mixto 175.
Beneficia S. Sedi reservata; normae pro eis conferendis, ab Ap. Dataria datae, 309.
Calamitates hodiernae unde procedant, 63.
Canonici Regulares, 153.
Cautelae adhibendae in causis matr. impotentiae et inconsum., 368.
Cautiones in matrimonio mixto, 175.
Censura librorum: decretum S. Officii de praevia censura librorum pietatis, 291. — in quo excedat normas iuris communis, 293.
Certitudo: moralis in processibus: requiritur 359 — quid sit 359 — tres habet gradus (substantiales): 360; summus non requiritur 360, infimus (probabilitas fortis) non sufficit 361; medius requiritur et sufficit 361; quomodo aliquoties acquiratur 362 — cert. mor. debet esse obiectiva 363 — habet varios gradus accidentales 365; quo gradu accidentali iudex contentus esse possit vel debeat 365.
Clerici regulares, 226.
Congregationes monasticae, 218.
Congregationes religiosae; initia et evolutio, 231, 237.
Consensus vel consilium in actibus iuridicis ponendis, quid intelligatur, 122; influxus iuridicus, 123.
Criteria sexus: quid intellegantur, quae distinguantur 6-7. (cf. hermaphroditismus).
Dubium: certitudo moralis proprie dicta excludit omne prudens dubium, 361, 365, improprie dicta non ita, 361.
Ecclesiae primaevae notae peculiares, 253.
Egressus quis dicatur, 80.
Episcopi aliique Praelati ampliores indulgentias concedere poterunt, 385.
Eremitae in primaeva Ecclesia, 148.
Familia et bellum, 265.

Familia religiosa quomodo intellegenda, 78.
Favor iuris non valet contra notitiam moraliter certam 361.
Fideles offerunt, 345.
Formalismus iuridicus: in processibus matrimonialibus 363. — servari debet 363; — conflictus cum principio « liberae appretiationis probationum », 363-364.
Gynandroida, determinata forma pseudohermaphroditismi, 8, 10-11.
Habitudo inter th. moralem et i. canonicum habenda, 333.
Hermaphroditismus: quid sit 7 — distinguitur verus et falsus; variae formae utriusque 7-8. — an hermaphroditus ad ordines sacros admitti queat 9-11. — regulae tres de hermaproditis ab ordinatione arcendis vel ad eam admittendis 11-12.
Ieiunii lex; facultates conceduntur Ordinariis locorum pro dispensatione generali, 82.
Indigere aliqua re ad agendum quid significet, 121.
Indulgentia plenaria quibusdam crucifixis adnexa pro art. mortis, 390.
Institutum pro operibus caritatis et religionis conditur in C. Vaticana, 366.
Intentio, 348.
Iudices synodales possunt percipere distributiones quotidianas, 371.
Laici offerunt, 345.
Laudes carolinae, quid hoc nomine vocetur, 280; in quibus documentis inveniantur, 282; exempla earum duo nova, alterum latinum, alterum graecum, 285-291; earum communis structura, 298-302; earum singulae adclamationes, p. 303-308; sanctorum in iis invocatio, p. 322-325; earum doxologiae, 325.
Libri proscripti; Chenu, Charlier, 184; Karrer, 279.
Lucis electricae usus coram Ss.mo Sacramento, 307.
Matrimonium mixtum: cautiones de prole, 175.
Mendicantes, (Ordines) 221.
Milenarismi mitigati systema quid sit, quid de eo sentiendum, 167.
Missa, 345.
Missa exsequialis, eius condiciones, 379; concessio gradalis, 380.
Monachi; evolutio vitae monasticae, 148.
Nominatio vicarii cooperatoris non audito parocho, 131.
Nominationes episcoporum quomodo fieri debeant in Hispania, 164.
Oblatio interna et externa, 348; stricte et late dicta, 347; sacrificalis, 347; analogice praedicata, 347.
Offerentes in Sacrificio Missae, 345.
Ordo: subiectum ordinis sacri est solummode *vir*, 5; cf. *hermaphroditismus*.
Ordo novus qualis debet esse, 56.
Pax vera pluribus periculis est obnoxia, p. 56.
Pius XII quantum contulerit ad concordiam internationalem, 107.
Perfectio sacerdotalis, 209; eius titulus, 209, 214.

Postulans in seminarium admittendus, 79.
Praecedentia Metropolitarum, 190.
Praeconium « *Christus vincit* », etc., eius momentum in laudibus carolinis, 280, eius origo, 325.
Praesumptio iuris non valet contra notitiam moraliter certam, 361.
Processus matrimonialis, quae certitudo in eo ad ferendam sententiam requiratur: 359-365; cf. *certitudo moralis*.
Pseudohermaphroditismus, 7, 10-11; cf. *ordo*.
Radiaesthesiae experimenta quaedam clericis prohibita, 279.
Regula Pakhomii, 149; S. Basilii 151; S. Benedicti 153; S. Francisci 222; S. Dominici 221.
Sacerdos, saecularis et religiosus ratione muneris inter se non differunt, 205.
Sacerdotibus missam celebrantibus indulgentia plenaria conceditur intra hunc annum, 275.
Sacerdotium quem locum habet in hierarchia, 202; sacerdotium et apostolatus, 263; sacerdotii unitas ratione muneris, 205; sacerdotium et vita religiosa, 212.
S. Scripturae studium quomodo debeat fieri, 83.
Sacrificium Missae, 345; sacrificium proprium et improprium, 346.
Scholae apostolicae alumnus in seminarium admittendus, 79.
Seminarii alumnus « transiens » in familiam religiosam, 242.
Seminarium quid sit, 77.
Sexus requiritur masculinus in subiecto sacri ordinis 5; — criteria sexus 6; — incertitudo sexus 6-7 — cf. *hermaphroditismus*.
Superior, quis intelligatur in c. 105, 120.
Superioris dependentia in agendo a consensu vel consilio aliquarum personarum, 123.
Titulus « *Apostolici* », prima eius origo, 321.
Titulus « *Universalis papae* », eius prima origo, incrementa; 308-317; eius duplex significatio, antiquior et recentior, 317-321; quid de ea senserit s. Gregorius Magnus, 314-319.
Transitus e religione in seminarium vel e seminario in religionem, 73.
Vaticanae basilicae monumenta archeologica, 261.
Velatio virginum, 148.
Vicarius cooperator ratione officii nequit valide assistere matrimoniis, 194.
Virga Paenitentialis, augentur indulgentiae eius tactui annexae, 383; virgae usus et significatio declaratur, 384.
Virgines in primaeva Ecclesia, 147.

v.31
1942

CBPac

v.31
1942

23700

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00335 6916